STATUTORUM
MAGNIFICÆ
CIVITATIS VERONÆ.

STATUTORUM
MAGNIFICÆ
CIVITATIS VERONÆ
LIBRI QUINQUE,
UNA CUM PRIVILEGIIS


In hoc Volumine comprehensi.

Cui adjecit Tomus alter Serenifs. Ven. Dom. Decreta, nec non ejusdem Civitatis Consilii Partes continens; ac tandem complures syndicales Terminationes tum pro regulando Foro, tum pro bono Regimine Civitatis numquam ante hac impreffas.

Addito nunc primum Indice locupletissimo.

A Jo: PAULO COMINIO
JAMPRIDEM CONCINNATO

TOMUS PRIMUS.





VENETIIS,
Apud LEONARDUM TIVANUM
SUMPTIBUS SOCIETATIS

MDCCXLVII.

DE SUPERIORUM LICENTIA, AC PRIVILEGIO.

IN NOMINE DOMINI

NOSTRI JESU CHRISTI.

DUODECIM, ET QUINQUAGINTA REIPUBLICÆ Veronensis Præsidentium in Leges, & Statuta Civitatis Veronæ.

PROOEMIUM.

QUemadmodum nonnulli sapientes, & in primis Plato, Civitatem humano corpori simillimam esse dixerunt: ita etiam Leges in ea vitalem quasi sanguinem, vel validissimos nervos esse censuerunt; quia sicut illud exangue, & enerve, ita etiam hanc Legibus, pro tempore quoque reformationibus carentem penitus interire prorsusque dissolvi necesse foret: fuere, & alii, qui mores Civitatis, & instituta quasi muros; alii autem quasi rerum cardinem appellarint. Sive igitur hoc, sive illud, omnes eo nimirum spectasse videri possunt, Civitatem quæ beata, ac sempiterna optet esse, oportere eam non tam originis vetustate, ac situs opportunitate, ædificiorumque magnificentia, virorum etiam præstantia, quam juris & justitiæ ornamentis, atque præsidiis præditam esse. Etenim si iis quasi naturæ, & corporis bonis fidendum esset, quis negaret Veronam posse cum reliquis non modo Italiæ, sed exterrarum etiam gentium urbibus conferri, ne dixerimus anteponi. In primis namque scriptores hæbraici, a Sem Noe filio eam conditam tradunt, posteaque minorem Hierusalem munitione locorum, agrorum amœnitate, fructuum affluentia, situs fere totius similitudine vocitatam. Nam & in hunc usque diem apud nos, ut loca eadem, sic maxime montis Domini, qui est Olivetus, montis Calvarii, vallis Domini, Nazareth, Bethleem, Sepulchri nomina consequentia præstant: qua laude

de vetustatis nulla major, aut præstantior proferri potest. Quam deinde Galli gens ferox & bellicosa], novas sibi sedes post incensam Romam quærentes, Duce Brenno occupatam auxerunt. In montem deinde dimidia ferme parte consurgens speciosa, & magnifica arce munita medium, quem Virgilius vocat amænum Athesim suscipit: Urbi quasi vallum, atque agro munitissimum, in quem nulli finitimo populo a Tridento in mare Adriaticum usque jus habendi pontis est. Mœnia quoque, & privata, & publica spectandæ magnitudinis: Inter quæ primum omnium Amphitheatrum, quod vulgo arena appellatur eminet, opus tam spectandæ molis, & inextricabilis structuræ, ut in toto fere orbe par non haberi credatur: a quo muri duo velut brachia, vetusta quondam urbis Mœnia sese præferunt: quorum in altero, qui fori majoris, & veteris arcis viam intermediat, est apud Beati Michaelis templum, quod ab ea ducit agnomen Porta gemina Bursari nominata: supra cujus fornicem epigramma vetustum legitur. *Colonia augusta Verona nova gallieniana Valeriano II. & Lucillo, Conss. muri Veronensium fabricati ex die iij. Non. Aprilium dedicati,* I. *Non. Decembr. jubente Sanctissimo Gallieno Aug. N. Insistente Aur. Marcellino V. P. duc. duc. curante Jul. Marcellino.* Beatissimi quoque Zenonis Basilica magnificentissime extructa, opulentissime dotata visitur. In qua est sanctissimum illud ejus ipsius Præsulis nostri corpus, quem patronum, ac protectorem civitas præcipue colit, & veneratur. Ager vero cum alpibus Baldis, Lacu Benaco, Mintio cum Pisceria, Hostilia, Leniaco, & Colonia oppidis sane semiurbibus: atque olim Abbatia, Vangaditia, Lonato, Ripa, vallibus etiam themi, & lagri, munitissimus: fontium quoque amnium, collium, pascuorum, piscationis, venationis, aucupii amœnitate, atque opportunitate conspicuus: frugum præterea omnis generis, atque optimarum; & olei præsertim feracissimus: Lanarum etiam copia, atque præstantia uberior; cujus agri ambitus ad passuum circiter ducenta millia, urbis vero ultra septena millia proferatur: ubique demum aer saluberrimus,
situs

situs arridens, regalis undique tutus: solum indigenis non mutandum, sedes autem alienigenis appetenda. Huc accedunt nostrorum hominum ingenia summa, & singularia, consilio ac virtute præstantia, cujus rei maximi, atque optimi testes habentur illustres domi, ac foris Plinii duo, tum Æmylius Macer, tum Catullus, de quo Martialis in epigrammatis, *Tantum magna suo debet Verona Catullo, quantum parva suo Mantua Virgilio*: nec minus Guarinus summus, ac clarus Orator græci, & latini eloquii nostra ætate facile princeps. Id ipsum etiam declarant res quondam præclare, ac magnifice gestæ, quum Verona marchiæ fuerit aliquando caput, ac regni sedes, tum quidem divi Philippi Senioris Augusti, tum Theodorici, tum Alboini, hujus Longobardorum, illius Gothorum & Italiæ regis; Pipini etiam aliquando Francorum regis. Omittimus autem quod Italicarum quoque rerum vel tum maxime fuit ipsa quasi Princeps, quum Scalidarum heroum temporibus Vincentiæ, Paduæ, Tarvisio, Feltro, Belluno, Brixiæ, Parmæ, Regio, Lucæ eodem ferme est tempore dominata. Ejusmodi igitur sunt hæc tum naturæ munera, tum fortunæ ornamenta, ut ex omnibus Italiæ urbibus Verona his bonis dotata beata haberi, ac prædicari possit. Sed ad ejus felicitatem constituendam, & cumulandam accedere Legum suarum institutionem secundum superiorem sapientum sententiam dicere posset quispiam: sed nec ipse Leges fuere beatitudinis suæ caussa primaria, verum optimi earum administratores ii sunt, per quos eam esse beatissimam liceat dicere. Etenim quid prodest obsecro jus in civitate, ut ait Pomponius, esse, nisi adsint in ea, qui jura regere possint. Namque Verona Leges habuit semper etiam pro temporibus commodas, sed licet Leges haberet bonas, ab earum tamen administratoribus habebatur ipsa aliquando non bonis. Quam ob caussam diu illa discordiis, & seditionibus, ac bellis civilibus vexata in sævum tandem Icerini de Romano dominatum corruit. Quod quidem servitutis initium fuit, anno Incarnati Verbi MCCL. Hunc etiam variæ postea tyrannicæ potestates con-

secu-

fecutæ funt: etenim decimo poſt anno Maſtino primo Scalidæ, ac deinceps minoribus ejus, annis prope centum & XXVII. Joanni quoque Galeatio Vicecomiti Ligurum duci duodeviginti, & Franc. demum Carrarienſi biennio per extremas calamitates, intollerabileſque jacturas, ac miſerabiles erumnas ſervivit. Nam Scalidæ duces, & ipſi quidem cives, quamvis rem populi agere primum viderentur, ſibi tamen imperium ad extremum quæſiviſſe inventi ſunt. Sed nec ipſa quidem priſcæ libertatis tempeſtate eam fuiſſe liberam noſtra hæc tempora docent: nam Leges in præſentiarum, & judicia, quæ omnem libertatis ſtatum tuentur, & continent, ut a potentibus, ſic & a ſapientibus ſine vi, & cupiditate reguntur: tum quidem omnia violento, intemperatoque premebantur arbitrio. Agitur enim quintus jam, & quadrageſimus annus, quum ab Illuſtriſſimo atque ampliſſimo Venetorum Senatu, conceſſu, ac beneficio Dei, Civitas iſta regitur: quo tempore quanta fuerit erga nos pietatis, juſtitiæ, religionis magnitudo enarrare quis poſſet? Harum enim virtutum tam præcipuus, atque obſervantiſſimus cultus illis eſt, ut ſuam jam ſupra mille annos libertatem egerint, & liberos ſimul, ac beatos effecerint eos, qui ut nos illis ſponte, & affectate pareant. Id quod non tam per aliorum exempla, quam per noſtram comprobationem longa ipſarum rerum experientia ducti plane prædicare poſſumus: nihil enim nobis abeſt, quod ad veram, & jucundam libertatem ſpectare videatur; quum & Senatus habendi, & Legis condendæ, & creandorum Magiſtratuum poteſtas nobis permiſſa ſit, & univerſæ tandem Civitatis, & Reip. gubernandæ honor, ac dignitas: ipſis autem Principibus ac Senatoribus Venetis relicta ſit cura, opera, labor, ſumptus, ſudores, pericula; nos quidem ſumus in arce quaſi veræ, ac tranquillæ libertatis conſtituti, & ab inteſtinis ſeditionibus liberi, & ab externis perturbationibus tuti. Age quod Venetæ Reip. regimen ſic inſtitutum habetur, ut etiam ab ipſo illo celſiore Ducali ſolio libera permittatur cuique provocatio, ut non minus inopi adverſus injuriam, quam divitiori adi-

aditus pateat, liceatque cuique coram tum dicere quod libeat, tum audire quod cupiat, unde clementiam cum animadversione conjunctam nocentes, boni autem dignitatem cum commodis, & honore permistam ab illa senatoria majestate, ac ducali sede reportant: sub qua est cuique rerum suarum liber usus: sub qua uxorum pudor, ac pudicitia inviolata: sub qua liberorum conjugia non coacta: sub qua denique arbitria hominum non circumscripta. Ex quo quidem Venetiarum civitas justitiæ templum dici potest, in quam illa, pridem hominum sceleribus offensa cum ascendisset in cœlum, de cœlo nunc descendisse videtur. Habeant sibi alii vel regiam potestatem, vel rem popularem: in hac quidem sollicitæ libertatis imaginem, in illa autem servilis metus miseriam, in utraque multiplices, varias, calamitosasque rerum mutationes comperient. Nobis autem relinquant excelsæ, accolendissimæ Venetæ Dominationis sortem: Nobis relinquant nostram hanc parendi, & imperandi conditionem: Nobis relinquant nostrum hunc moderatæ libertatis statum: quum, ex Platonis sententia, sit tam immoderata libertas mala, quam immoderata servitus pessima. Est enim mirabile dictu, quod & a sapientibus regimur liberi, & cum sapientibus dominamur subjecti: quo statu quis in terris liberior? quis jucundior? quis stabilior? quis dici potest optatior? Cum principibus enim, & Optimatibus nostra omnis res est: quorum Principatum græci ἀριστοκράτειαν vocant. Quamobrem civitatis ac Reipublicæ nostræ fortunatus ac fœlix status habendus est, quia medius inter extrema versetur, ex quo ille honestior, tutiorque & esse, & haberi possit, & eadem ipsa ratione beatior; quum, ut Plato inquit, genus humanum non ante desinat in malis versari, quam rerum publicarum gubernacula, aut homines recte philosophantes adepti sint, aut ii, quibus gubernare contigerit, divina quadam sorte philosophentur. Id autem, etsi superiori tempore cognoverimus, tum maxime Zacharia Trivisano Prætore nostro perspeximus, viro quidem quum omnium liberalium

 artium

artium doctissimo, tum philosophiæ, Civilisque, ac Pontificii juris insignibus decorato; avitæ quoque, ac præcipue paternæ, magis autem propriæ virtutis, rerumque a se gestarum gloria refulgente. Cujus præclarissimas in omni genere, atque præstantia laudes explicare difficile ac longum esset, eas etiam, quas hoc anno Præturæ suæ experti sumus: quum singularem illius justitiam, integritatem, constantiam, sapientiam, liberalitatem, prudentiam antea quidem late celebrem, ad Nos etiam fama perlatam, singularemque in primis ejus in Nos pietatem re, atque opere ipso cognovimus. Cui cum maxime hujus populi fides, studium, observantia erga Venetum imperium perspecta fuerit, commoda nostra, honores, amplitudinem, non modo ut æquissimus Prætor, sed ut diligentissimus paterfamilias curare, augere, tueri, propagare studuit: cujus tantopere apud Nos valuit auctoritas, ut necessariam juris Legum nostrarum reformationem eo Prætore aggredi non dubitavimus: ut per hanc & absens semper adesse, & mortuus usquequaque Veronensis Prætor vivere Nobis videatur. Quum igitur vetus illa Statutorum traditio ex magna parte rebus præsentibus, & temporum nostrorum opportunitatibus minime congrueret, ad quas omnis Legum ratio semper est accommodanda: ita ut tempus quasi parens juris recte dici possit: quumque multa jam essent continua desuetudine exoleta, extarentque plurima Veneti Senatus Decreta, Prætorum nostrorum Edicta, nostra quoque Senatus Consulta extra volumen ipsum vagantia, visum est unum in corpus, & stilo convenientiore ac continuiori ordinatione omnia enucleata, & digesta conferre. Illa etiam præcipua ad hanc reformationem ratio Nos compulit: quia quum nomen Venetum in animis nostris tot annos fixum & impressum geramus, adeo ut pro Imperii sui salute, ac gloria per tot, & tantos labores, per tanta incommoda, per tanta rerum indigentiam, quum primum Sigismundi Pannoniorum Regis, & Brunorii Scalidæ, tum proxime Philippi Mariæ Vicecomitis Ligurum Du-

cis, ac Joannis Francisci Gonzagæ Mantuæ Marchionis incursiones, obsidiones, oppugnationes, direptiones tulerimus; ita ut nec ferrum, nec fames, nec pestis Nos a Veneti Imperii charitate, ac fide separare potuerit; non erat consentaneum, nec prorsus decens, ut quod hæserat in corde, non legeretur in codice, nam antea Joannis Galeatii nomen ubique personabat. Quam quidem ad rem conficiendam reformatores ex tribus civium & virorum ordinibus delegimus, D. Antonium a Tertiis Bergomensem ipsius nostri Prætoris assessorem, D. Petrum Franciscum a Justis, D. Christophorum a Campo, D. Antonium Peregrinum, D. Bartholomæum Cepolam, Jurisconsultos prudentissimos: præterea, D. Jacobum Lavagnolum equitem nostrum, D. Bartholomæum Peregrinum, Augustinum Montaneam, Antonium Rodulphum, cives usu rerum plurimarum peritissimos: deinde Vitalianum Faelam, Antonium Donatum Cavodasinum, Joannem Michaelem a Falcibus, & Bernardum Lombardum, tabelliones probatissimos: & una quoque Silvestrum Landum Civitatis, ac Reip. Cancellarium, qui etiam hanc ipsam Legum nostrarum præfationem confecit, & earum reformationi, atque ordinationi plurimum tribuit. Cæterum quia ad hujus tanti operis confectionem, affuit in primis (ut ante dictum est) ipsius Prætoris nostri auctoritas, atque sententia, qui plurima de suo, ut juris peritissimus, & rerum usu prudentissimus addidit: videtur jus Zacharianum recte appellari posse, & quidem convenientius quam Papinianum, ac Flavianum jus fuerit appellatum: quum neque Papinianus ad Leges regnum in unum compositas, neque Flavius ad librum actionum Appio Claudio surreptum quicquam attulerint. Id quod divina quadam sorte videtur factum, quum Zacharias senior clarissimus in primis juris consultus equestrisque, ac senatorii ordinis, & in omni genere laudis omnium sui temporis præstantissimus, jam pridem Prætor noster commendatissimus, quarto in Nos Imperii anno hanc ipsam reformationem adortus, magistratus au-

tem exitu præventus perficere nequierit: unde eam filio perficiendam quodammodo reservasse, tradidisseque existimari potest. Atque ideo jus ipsum sic appellandum per primam Legem decernimus; ut hoc ipso juris cognomine utriusque sit Patris, & Filii meritorum apud Nos, & posteros nostros sempiterna memoria. Tu igitur Verona tot, & tantis naturæ, ac fortunæ bonis dotata, & in primis novo libertatis genere decorata, Leges has tuas tanti Prætoris nomine, & auctoritate illustratas, ambabus (ut ajunt) manibus suscipe, ut tibi cumulata fœlicitas adsit: quum abundare te videas agrorum ubertate, Legum religione, administratorum earum fide, atque integritate: quos quidem bonos, vel bonis Legibus anteponendos, præoptandosque Arist. judicat, Idipsumque expertas es. Tu altera Hierusalem surge illuminare Veneto sydere, a quo tibi religio, justitia, libertas illuxit, cui cum fide parendo, regnare didicisti; gradere in hoc lumine, perge, pulchra frui libertate, quam vitæ anteponendam ducas, quæque non in armis, aut opibus, sed in fide tantum, ac studio custoditur: nam sicut Divina Majestas, ita Veneta celsitudo corda ipsa hominum metitur, & spectat; in qua quidem felicitate corroborata jam & confirmata, suffragante tibi Divino Spiritu, in æternum permaneas. Data in Cancellaria communis Veronæ XIV. Kal. Septemb. Anno Incarnati Verbi MCCCCL. Indict. XIII. D. Zacharia Trivisano Juniore Prætore, Et D. Antonio Venerio equestris ordinis Præfecto præsidii; Ducatus vero Illustrissimi Principis D. Francisci Foscari Venet. Anno XXVIII. Imperii autem in Nos Venet. xlv. Jacobo Aleardo, & Tebaldo Capella viris prudentibus, & patriciis Reip. Provisoribus.

INDEX MATERIARUM,

Quæ in hoc Volumine continentur.

IN LIBRO PRIMO.

IN LIBRO SECUNDO.

IN LIBRO TERTIO.

d IN

IN LIBRO QUARTO.

IN LIBRO QUINTO.

VOCI

VOCI OSCURE

Dello Stato di Verona.

Raccolte, e spiegate dal Signor Avvocato Dottor Domenico Micheli in fine della sua Pratica Civile del Foro di Verona.

Ambasciata, cioè Relazione del Viatore fatta al Giudice; lib. 3. cap. 54.

Andaria, cioè Viatori che praticano le Intimazioni, e le esecuzioni Forensi, lib. 1. cap. 151.

Arengus, Luogo destinato alla pubblicazione delle Donazioni, e d'altro; lib. 1. capp. 77. 78.

Bailia, Libertà di operare; lib. 5. cap. 2.

Bannum, cioè Bando: s' intende Primo per pubblica ordinazione sotto il carico di qualche penalità; lib. 1. cap. 35. Secondo per esilio della Città e Distretto per maleficio; lib. 1. cap. 36. lib. 3. cap. 67. Terzo per condanna pecuniaria; lib. 3. cap. 64. Quarto per ingiuria, danno, e servitù intentata per gli altrui beni; lib. 5. capp. 72. 73. 76. 95.

Baratària, Inganno con fraude, o sia macchinazione coperta ordita in pregiudizio della rettitudine de' giudizj, e in danno delli contendenti; lib. 2. capp. 4. 5.: ed anche in danno delli giuocatori, lib. 4. cap. 12. Lo stesso anche rileva la parola *Baratatio* di cui nel lib. 2. cap. 149.

Barrus, cioè Barro, che con fraude criminosa inganna sul giuoco, e leva alle persone semplici le loro sostanze; lib. 1. cap. 45.

Beuratorium, lib. 4. cap. 23.: vedi *Vadum*.

Bisca.

Biscacia, cioè ridotto per giuochi non permessi, o siano di vantaggio; lib. 4. cap. 12.

Brevia, *vel quando dantur Brevia*, *vel eliguntur ad Brevia*; lib. 1. capp. 13. 70. 71., e lib. 2. cap. 125. Si spiega dal lib. 2. cap. 165. e dal lib. 5. cap. 164. essere la elezione di quelli che rilevano l' estimo, o sia la distribuzione delle pubbliche Gravezze dovute contribuirsi dalle persone alle medesime soggette; mostrando questa parola *Brevia* la forma ristretta per cui solamente si scrive il nome del debitore, e la quantità del debito appostatogli.

Cedere bona, & *cedere bonis*, sono diversi. Il primo importa la sola cessione che fa il debitore delli soli beni che possede. Il secondo importa la cessione anche delli beni che non possede, ma che nell' avvenire potesse possedere; lib. 2. cap. 61.

Cincionium, cioè afficurazione, o sia esecuzione che fa la moglie per poner in sicuro la sua Dote; lib. 1. cap. 71.; e lib. 2. cap. 98.

Combiatus, cioè liberazione riportata per il citato in assenza dell' Attore, o sia spedizione assente, come si desume dalla Rubrica e dal Testo; lib. 2. cap. 29.

Conciones, cioè pubblicazioni in Arengo delle Sentenze, e di altri Atti; lib. 1. cap. 71. lib. 2. cap. 115. lib. 5. cap. 43.

Convivium, cioè unione o fratellanza nella stessa professione; lib. 1. cap. 49.

Credentia, *seu tenere in credentia*, importa essere tenuto secreto; lib. 1. cap. 99. lib. 2. cap. 114. lib. 5. capp. 38. 175.

Donatio, *propter nuptias*, di cui lib. 2. cap. 97. puo essere ricevuta in più sentimenti; ma sotto gli aspetti di questa legge propriamente s' intende la Donazione fatta dal Marito alla Moglie in pendenza del Matrimonio, o dopo contratti li sponsali.

Drictum,

Drictum, di cui nel lib. 2. cap. 41. significa la porzione delle Entratte de beni concessi a lavorare ad alcuno sotto l'obbligazione di corrisponder certa quantità o certo caratto di esse al Padrone; lib. 2. cap. 3.

Emphyteusis, Concessione perpetua de beni col carico di annua corrisponsione al concedente; lib. 2. capp. 44. 75. 100. 107. §. 13, così spiegata dalla L. 1. Cod. de Jur. Emphy.

Exceptio anomala, cioè eccezione irregolare ed innominata, la quale mai porta l'effetto di perentoria, e di dilatoria come dicono li Vocabolarj Legali; lib. 1. cap. 35.

Exceptio peremptoria, lib. 2. cap. 35., così detta dal verbo *Perimo*, come quella che apporta il totale finimento della Lite quando sia provata, nè mai può essere esclusa, avendo sempre il proprio luogo in qualunque stato si attrovi la Lite, come sono le eccezioni *Doli mali*, *Pacti conventi perpetui*, *Rei judicatæ*, *solutionis*, ed altre simili raccordate dalli Vocabolarj Legali sotto le parole *Exceptio Peremptoria*, ovvero *Peremptoriæ exceptiones*.

Gaba, *id est eligere ad Fabas*, di cui nel lib. 2. cap. 165., e lib. 5. cap. 164. importa la elezione de' Consiglieri del Consiglio, i quali votavano coll' uso della Fava.

Feudum, di cui nel lib. 1. cap. 10. col sentimento dello Statuto vuol dire salario, perchè proibendo egli il ricevimento di Feudo al Podestà, ed alli Giudici, intende di levare ad essi la libertà di conseguire alcun salario, acciò restino contenti di quello destinato loro dalla pubblica Cassa, come dalle finali parole di detto Capitolo risulta, e come più amplamente viene dichiarato dalli capp. 4. 5. 9. 141. 169. dello Statuto antico 1228. dato alle stampe l'anno 1728. da cui lo Statuto moderno prese certamente ad imprestito questa voce *Feudum*.

Fidantia, cioè Salvo-condotto; lib. 3. cap. 13.

Ganza-

Ganzara, *Ganzirolum*, Barca, o sia Naviglio armato sopra il Lago di Garda ad uso di quel Capitanio; lib. 1. cap. 97.

Garba, cioè Aja sopra cui si batte il Formento, o altri grani; lib. 2. cap. 187. §. 20.

Gaudiare, viene ricevuto in due sensi: l'uno per farsi descrivere in qualche Arte o Mestiere; lib. 1. cap. 50.: l'altro per Sposalizio; lib. 2. cap. 95. dove dice *exceptis annulis cum quibus dicta mulier fuerit gaudiata*. Lo stesso conferma nel lib. 3. cap. 93., e nel lib. 4. cap. 9.

Horticinum, cioè Vaso con fiori, proibito tenersi sopra le fenestre poste sopra la strada pubblica o vicinale; lib. 4. cap. 66.

Hostaria, significa il luogo nel quale vengono ammazzati gli animali Porcini; lib. 4. cap. 151. a differenza della Bottega, o luogo in cui si vende il vino, che si dice *Taberna*, e così li Venditori del vino *Tabernarj*; lib. 3. cap. 6. e lib. 4. capp. 113. 115.

Imbreviatura, cioè prima minuta, o Scrittura ristretta fatta per mano del Nodaro contenente qualunque Instrumento o ultima volontà pubblicata, ma non ancora riportata in Protocollo colla solita sua regolare estensione; lib. 2. capp. 21. 22.

Inquisitio, s'intende propriamente per il procedere del Giudice per proprio suo Officio senza instanza della Parte, e si dice anche *Inventione*; ma impropriamente e ricevuta, e si estende sul Foro alle accuse, denonzie, manifesti, indoglianze, o querelle; lib. 3. capp. 2. 8. 11. 12.

Insocidare, cioè dare animali in Soceda, o Società o Compagnia; lib. 3. cap. 89.

Latrina, cioè Cloaca, ricevuta anche per sedile di comodità per scaricare gli escrementi dal corpo; lib. 4. cap. 51.

Levir,

Levir, cioè Fratello del Marito, di cui nel lib. 2. cap. 121. spiegato dalla *L. non facile ff. de grad. cognat.*

Locatio placitorum, cioè giorno feriato, così detto dalla voce vernacula locare, o sia chiudere la porta alli ricorsi forensi civili, ed alla prosecuzione delle Liti; lib. 2. capp. 3. 4. 6.

Masnata, voce vernacula ed antiquata, importa l'essere descritto nell'Arte o Professione per sortire alcuna Carica o sia Officio della stessa Arte; ovvero essere della Masnata, cioè di quella unione, compagnia, o mestiere, come si desume dal lib. 1. cap. 48.

Mendum, cioè risarcimento de' danni; lib. 1. capp. 61. 77.; e lib. 5. cap. 78.

Mesclamia, cioè violenza armata con spargimento o senza spargimento di sangue; lib. 8. capp. 6. 34.

Parabola, cioè dar parola, o prestar assenso verbale; lib. 4. cap. 34.

Pedagium & Pontaticum, aggravio dal Principe imposto, e dovuto contribuirsi da Passeggieri per certe Strade o Ponti. Questa contribuzione si dice anche *Toloneo*; lib. 1. capp. 19. 22. 23.

Peremptio causæ, importa l'effetto di far perdere all'Attore la libertà di riassumere e proseguire la Lite spirato il termine delli 3. anni destinati alla di lei prosecuzione; presumendo la legge per un tanto silenzio un volontario abbandono della causa, ed il riconoscimento del proprio torto, *L. properandum Cod. de Judiciis*. Per questo nel lib. 2. cap. 3. pendono deliberative su questo proposito circa al tempo Feriato, e nel cap. 116. dello stesso libro, risulta obbligato l'Attore pagare le spese al Reo nel caso della perenzione della causa.

Precarium, di cui nel lib. 2. cap. 187. §. 13. importa il solo godimento permissivo, e revocabile ad arbitrio del concedente.

Preca-

Præconizare, Præconizare, cioè pubblicare o proclamare per tromba; lib. 1. cap. 90. lib. 2. capp. 115. 126. lib. 3. capp. 117. 134. dalla voce *Præco* lib. 2. cap. 126.

Proclamare, cioè ſtrida pubblica; lib. 2. cap. 127.

Refutatio, cioè volontaria rinonzia; lib. 2. cap. 184.

Regula, cioè Sorte, o Contrada di Città, o Villa; lib. 2. capp. 149. 150. 153.

Sacreſtia, luogo ſicuro, nel quale ſi conſervano le Scritture della Città; lib. 1. cap. 80.

Scapizator, cioè venditore di Panni di lana o lino, a miſura di Brazzolaro o Canna ſpezzatamente per parti, lib. 4. cap. 64.

Sororius, di cui nel lib. 1. cap. 57. puo avere due ſignificati, che dalli Vocabolarj legali ſono eſpoſti col dire; *Sororius eſt ille, cui ſoror mea nupſit, & ſimiliter Fratris & Sororis filius.*

Tornatura, cioè d'intorno alli confini, o al Territorio d'una Communità, eſtendibile fino a 60. pertiche fuori dalli confini, o fuori dallo ſteſſo circondario; lib. 3. cap. 6.

Treuga, cioè eſſere in unione, commerzio, e conſorzio con la Città e co' Tribunali; all' incontro eſſere *extra Treugam, vel exemptus de Treuga*, importa l'attrovarſi fuori della unione, del commerzio e conſorzio della Città e de' ſuoi Tribunali.

Vadum, cioè Vò, Vaone, o Strada, o Ingreſſo che porta al fiume deſtinato al beveraggio degli animali; lib. 4. capp. 24. 34. Significa anche rottura del fiume, per cui viene divertita l'acqua dal proprio Alveo; lib, 5. cap. 67.

STA-

STATUTORUM
MAGNIFICÆ CIVITATIS
V E R O N Æ.

Liber Primus.

De Honorifico introitu Domini Poteſtatis. *Cap. I.*



SICUT Jus Prætorium veteres ab honore Prætoris honorarium appellarunt; Ita ejus inſignia tantum honoraria eſſe decet, quantum & mittentis principis celſitudo, & ſuſcipientis civitatis dignitas exigit. Inter hæc igitur ſplendorem incundæ præturæ maximè computantes, hoc primo Statuimus, & ordinamus, quod dominus Poteſtas Veronæ, qui modo eligitur, & mittitur per Illuſtriſs. dominium noſtrum Venetiarum, etiam cum ſui Status adminiſtratione, intrare debeat regimen ſuum ad ſonitum campanæ groſſæ communis ad martellum, conſuetis inſignibus dignitatis ſuæ, quam honorificentius fieri poteſt, per portam Sancti Spiritus. Et primo viſitare Eccleſiam Sancti Zenonis protectoris noſtri, deinde cathedralem Eccleſiam, & ſucceſſivè cum fuerit ad plateam communis, aſcendere debeat ſolitam ſedem capitelli. Ubi habita ad eum condigna oratione, ſceptrum recipiat Poteſtariæ civitatis, & diſtrictus Veronæ, juxta veterem conſuetudinem & dignitatem civitatis.

De familia Domini Poteſtatis, & quidem perſonarum forenſium. *Cap. II.*

CONDUCERE, & habere debeat dominus Poteſtas, expenſis cameræ Illuſtriſſimi noſtri dominii per totum tempus regiminis ſui infraſcriptos officiales, videlicet unum Vicarium legum doctorem, unum judicem maleficiorum juriſperitum, duos judices ad civilia aſſeſſores juriſperitos, unum cancellarium, duos milites ſocios, unum comeſtabilem: Et quod prædicti, & quilibet alii de famil. domini Poteſtatis ſint forenſes. Ita quod ipſe dominus Poteſtas non poſſit, nec debeat conducere,

 nec

nec habere in familia sua, qui sit quocunque civis, vel districtualis Veronæ, aut habeat uxorem de Verona, nisi talis uxorem habens Veronensem esset civis originarius Venetiarum.

De juramento officialium domini Potestatis. *Cap. III.*

MAXIMUM observandarum legum remedium est juris jurandi religio. Propterea Statuimus, quod dominus Potestas, sicut ipse venit a prælibato dominio juratus super sua commissione servanda, quæ etiam Statutorum nostrorum continet observationem; Ita ipse quando intrat statim consignato sibi sceptro Potestariæ adhuc sedens ad capitellum in majestate sui fœlicis introitus coram populo deferre debeat singulis officialibus suis prædictis juramentum in forma infrascripta, de cujus delatione per cancellarium communis fiat scriptura.

Forma juramenti domini Vicarii, domini Judicis maleficiorum, & duorum Judicum ad civilia assessorum. *Cap. IV.*

JURO ego talis ad sancta Dei evangelia, me gerere in hoc meo officio bene, & fideliter ad honorem Dei, & bonum Statum Illustrissimi nostri dominij Venetiarum, ac communis Veronæ; & jus reddere sine acceptione personarum, cum omni sinceritate, & integritate secundum Deum, & Justitiam, & honorem regiminis domini Potestatis: Et servare Statuta, & ordinamenta communis Veronæ. Et specialiter habere manus mundas, & continentes a donis, ac barattariis, quas, & quæ, nec pro meo posse consentiam.

Forma juramenti cancellarii, Comestabilis, & duorum militum sociorum domini Potestatis. *Cap. V.*

JURO ergo talis ad sancta Dei evangelia, quod bona fide sine fraude faciam officium meum, secundum quod in commissione domini Potestatis continetur, & secundum statuta, ac ordinamenta communis Veronæ, & honorem regiminis domini Potestatis, & specialiter donum non accipiam, nec ullam unquam faciam, nec pro meo posse consentiam barattariam.

De obedientia Comestabilis, & baroeriorum, & militum domini Potestatis, in exequendo mandata sine salario. *Cap. VI.*

COMESTABILIS domini Potestatis, & quilibet ejus baroerij, & similiter duo milites socij esse debeant prompti, & obedientes ad exequendum omnia mandata domini Potestatis, & etiam domini Vicarij,

ac

ac aliorum judicum domini Poteſtatis, & ſimiliter aliorum judicum, & judicum conſulum communis Veronæ pro eorum officio exercendo, tam de die, quam de nocte, & ſine alio ſalario, vel lucro a communi Veronæ percipiendo. Et ſpecialiter ire debeant cum viatoribus communis Veronæ, ad pignorandum quamlibet perſonam debentem aliquid communi Veronæ ex quacunque cauſa, & etiam ad capiendum, ſi capi deberet perſona, quæ deberet aliquid communi. Et non debeant aliquid lucri facere: ſeu habere a communi, nec ſingularibus perſonis occaſione prædicta, niſi aliter domino Poteſtati videretur; & ſic dominus Poteſtas eos mittere, & compellere debeat.

De armatis, ſive baroeriis domini Poteſtatis. Cap. VII.

EX viginti baroeriis, quos tenere debet dominus Poteſtas, quilibet habere teneatur arma, quæ ipſi domino Poteſtati videbuntur pro ſuo officio expedire; & debeant omnes viginti, ſive plures, ſive pauciores arbitrio domini noſtri qui pro tempore fuerit eſſe induti uniformiter ad unam inſigniam, ſive diviſam ab aliis veſtimentis aliorum de familia domini Poteſtatis, vel ad minus portare continue inſigniam armorum domini Poteſtatis conſutam ad manicam. Et ſi quis contrafecerit puniatur in. XL. ſol. pro quaque vice.

Quod Baroerii domini Poteſtatis non vadant foras ad pignorandum, niſi pro maleficio: & niſi in viatoris ſubſidium. Cap. VIII.

ITEM Statuimus, quod nullus famulus, ſeu baroerius domini Poteſtatis audeat, vel præſumat, ſeu debeat ire extra civitatem, & burgos Veronæ ad pignorandum aliqua ratione, jure, vel cauſa, niſi pro maleficio, vel officio maleficiorum, & niſi in ſubſidium viatoris ad pignorationes, & executiones per vim faciendas.

Ne quis de familia domini Poteſtatis pro quocunque intercedat. Cap. IX.

ITEM quod nullus de familia domini Poteſtatis poſſit, ſeu debeat ire coram domino Poteſtate, vel Vicario, ſeu aliquo ex judicibus ſuis, vel aliis officialibus communis Veronæ pro ſupplicando, deprecando, advocando, ſeu dicendo aliquid pro ſervitio alicujus perſonæ. Et ſi contrafactum fuerit per aliquem, puniatur, pro quolibet, & qualibet vice, in quinquaginta ſolidis; & quod ipſe Vicarius, & Judices, & alii officiales teneantur vinculo ſacramenti non audire eos, nec aliquem ipſorum, & denunciare domino Poteſtati omnes facientes contra hoc Statutum infra etiam diem, & ipſi denuncianti credatur.

Ne Pheudum accipiatur. *Cap. X.*

ITEM quod, Nec dominus Poteſtas, nec ejus Vicarius, nec aliquis ejus judex, nec aliquis alius de familia ſua poſſit, nec debeat per ſe, vel alium directe, vel indirecte accipere aliquod phæudum, nec de de phæudo modo aliquo cum aliqua perſona mundi participare. Et idem intelligatur de quocunque alio officiali forenſi recipiente ſalarium a communi, vel a Camera Veronæ.

De auxilio præſtando regimini domini Poteſtatis. *Cap. XI.*

AUXILIUM, conſilium, favorem, & juvamen quilibet homo Civitatis, & diſtrictus Veronæ teneatur, & debeat dare, & præſtare domino Poteſtati, ut ſuum regimen faciat, & exerceat cum omni juſtitia, & melioramento, & majori honore, & Statu Illuſtriſs. noſtri dominii Venetiarum, & communis Veronæ, defendendo, & manutenendo ſecundum jura, & Statuta communis Veronæ; quod qui non fecerit puniatur in libr. xxv. & plus & minus in arbitrio domini Poteſtatis.

De uno libro memoriali criminalium tenendo per dominum Poteſtatem. *Cap. XII.*

ITEM Statuimus, quod dominus Poteſtas habere teneatur unum librum memorialem de omnibus accuſis, quærelis, denuntiis, & inquiſitionibus factis in civitate Veronæ, & in diſtrictu, in quo teneatur ſcribi facere illos, quos miſerit pro maleficiis inquirendis, & ubi, & pro quibus maleficiis eos miſerit & alia, quæ ſcribenda ſunt ad memoriam habendam; Et quæ ipſi domino Poteſtati videbuntur utilia fore communi Veronæ. Et quilibet memorialis debeat in ipſius domini Poteſtatis cuſtodia permanere. Et judex maleficiorum teneatur, & debeat habere etiam pœnes ſe dicti memorialis exemplum.

De tribus voluminibus Statutorum faciendis, & apud quos ſtare debeant. *Cap. XIII.*

TRIA volumina Statutorum communis Veronæ ejuſdem tenoris Statuimus fieri debere: Unum quorum permaneat pœnes dominum Poteſtatem, Aliud vero ad banchum Judicis maleficiorum, Aliud autem ad tribunal Reginæ Leone, pœnes notarium originarium civem, electum in conſilio generali; videlicet quando dantur brevia in palacio. Ad hoc, ut quilibet poſſit ipſorum Statutorum copiam habere, qui etiam notarius ſub ipſo Judice Reginæ Leone poſſit acta conſcribere.

Quod

Quod dominus Poteſtas faciat ſibi legi in principio regiminis ſui Statuta Civitatis. Cap. XIV.

ITEM quod dominus Poteſtas teneatur ſibi facere legi in principio regiminis ſui omnia Statuta, & ordinamenta communis Veronæ. Et quod ejus Vicarius ſub pœna libr. x. pro qualibet vice teneatur, & debeat reducere ad memoriam dicti domini Poteſtatis in principio cujuslibet menſis omnia Statuta, quæ infra certum tempus debent executioni mandari, ut ipſa Statuta efficacius obſeruentur.

De Statutis, & ordinamentis, & additionibus Statutorum ponendis, & ſcribendis in libris Statutorum communis Veronæ. Cap. XV.

STATUTA & ordinamenta, & additiones Statutorum, ac etiam reformationes, quæ haberent Statuti, & pro Statuto deberent obſervari, facta & factæ, ſeu quæ de cætero fierent; Paces etiam, & pacta facta, ſeu quæ fierent inter commune Veronæ & communia alicujus Civitatis, ſeu loci cum licentia Illuſtriſs. noſtri Dominij omnia, & ſingula infra octo dies & poſtquam fuerint publicata, ſeu facta ponantur, & ſcribantur in libris Statutorum communis Veronæ, vel ſaltem in libro Statuti, qui pœnes D. Poteſtatem habet remanere.

Ut hoſtia palatii, & domus novæ ſtent aperta. Cap. XVI.

ITEM Statuimus, quod omnia hoſtia palatii, & domus novæ, in qua habitant Vicarius, & Judices D. Poteſtatis continue per totum diem, ex quo mane aperientur uſque ad horam veſperum ſtare debeant aperta, ita quod quælibet perſona, tam minor quam major, tam pauper, quam dives, tam humilis quam ſublimis, poſſit libere abſque contradictione aliqua ire ad dictos Vicarium & Judices: Et coram ipſis proponere & dicere & facere dici ſua jura, & rationes, ac etiam ſi in aliquo ultra quam deberent gravarentur. Et dicti Vicarius, & Judices imponendo bannum, vel alio quocunque modo alicui perſonæ prohibere non poſſint, quo minus ad ipſos vadat, vel aliquem voluerit ipſorum pro ſuis juribus, & rationibus dicendis, & proponendis.

De campanariis ſuper Turrim palatii. Cap. XVII.

ITEM Statuimus, quod campanarii, qui poſiti, & deputati fuerint ad manendum ſuper turrim palatii communis Veronæ teneantur, & debeant ibi ſolicite ſtare de die, & de nocte & bene, ac ſæpe proſpicere, & maxime de nocte per civitatem ſi viderent, vel ſentirent aliquid importantiæ, & ſimiliter per diſtrictum ad ſigna ſortiliciorum: Et illud

illud continenti notificare teneantur D. Poteſtati, & quoties contrafecerint, puniantur pro quolibet contrafaciente, & qualibet vice in. XL. ſolidis veronenſibus. Quos ſi non ſolverint infra tertiam diem; ponantur in fundo turris, & inde non extrahantur donec ſolverint. In quam pœnam etiam incidant, quacunque nocte omitterent pulſare campanam de media nocte. Item quod quoties campanella parva appenſa extra turrim ter non fuerit pulſata, & ipſe campanarius ad turrim non venerit, vel apparuerit, puniatur in. v. ſol. pro quaque vice.

De Caſtellis, & fortilitiis non alienandis ſine licentia domini. *Cap. XVIII.*

ITEM Statuimus, quod nulla perſona, collegium, vel univerſitas, quæ vel quod haberet aliquod Caſtellum, ſeu fortilitium in diſtrictu Veronæ, ſeu jus aliquod, partem, vel particulam in aliquo prædictorum, poſſit, nec debeat aliquo modo cauſa vel ingenio ipſum Caſtellum, vel fortilitium in totum, partem, vel particulam, ſeu jus aliquod quod haberet in eo vendere, permutare, vel aliquo modo alienare, ſeu aliquem contractum de ipſis facere in aliquam perſonam, collegium, vel univerſitatem, ſine ſpeciali licentia Illuſtriſs. noſtri dominii, & ſi contrafactum fuerit, ipſo jure non valeat, nec teneat & puniatur contrafaciens in arbitrium prælibati dominii.

De pedagiis non accipiendis. *Cap. XIX.*

ITEM Statuimus, quod dominus Poteſtas operam det, quod aliquis de Verona, & ejus diſtrictu non ſolvat, nec accipiat pedagium pontaticum, ſeu tholoneum de his rebus, quæ ab xl. annis citra, ab anno domini M. CC. XXXV. indictione octava, retro incepta ſunt dari vel auferri, niſi oſtenderint illi, qui illud acceperint, quod illud habere debeant cum ratione. Quod ſi aliquis contrafecerit omne id, quod acceperit contra prædicta, duplum illi, vel illis, a quibus exegerit, reſtituere teneatur. Et communi Veronæ in vigintiquinque libris pro qualibet vice condemnetur.

De Tholoneis non accipiendis per flumem Athefis hominibus De Verona *Cap. XX.*

THOLONEUM aliquod civibus Veronæ, & ejus diſtrictus non accipiatur per flumen Atheſis: Et ſi extra diſtrictum Veronæ tholoneum aliquod acciperetur hominibus de Verona, & ejus diſtrictu per homines alicujus civitatis, ſive loci; Statuimus quod ſimile tholoneum accipiatur hominibus dictarum civitatum, & locorum in Verona, & ejus diſtrictu. Et quod dominus Poteſtas Veronæ præciſe teneatur hoc

Sta-

Statutum observare, & inquisitionem facere de terris, in quibus Veronenses solvunt datium: Salvis tamen pactis, quæ essent inter commune Veronæ, sive Illustrissimum dominium nostrum pro eo, & alias civitates.

De Ponte inter Leniacum, & portum. Cap. XXI.

PONTEM super Athesim inter portum, & Leniacum dominus Potestas debeat refici facere, & refectum manuteneri de bonis columnis, & trabibus prout melius, & utilius videbitur. Pro cujus quidem refectione camera Illustris. nostri dominij facere debet expensam columnarum fictarum; Reliquam vero expensam facere debent Colonia cum omnibus aliis villis fluminis novi, & Leniacum cum aliis villis Zosanæ. Manutenere autem postea illum debent Leniacum, & Portum cum pertinentijs suis. Et hoc etiam juxta declarationem Illustriss. nostri dominij.

De securitate facienda per commune Porti & Leniaci. Cap. XXII.

ITEM Statuimus, quod una securitas quingentarum librarum, accipiatur a commune Porti; Et una alia quingentarum librarum, accipiatur a commune Leniaci, per quemlibet Potestatem Veronæ in principio regiminis sui scribenda per cancellarium communis Veronæ nominatim pro reddendo unicuique, cui damnum acciderit ad pontem Porti, & Leniaci. Et pro auferendo ab eis communibus bannum, si non attenderint præcepta domini Potestatis; Et de non accipiendo pontaticum alicui. Et communia illarum villarum Leniaci; & Porti teneantur, & compellantur, ita aptare ab utraque parte pontis Leniaci, quod bene possit elevari, & naves inde possit transire ab utraque parte pontis cum trasto.

Ut tholoneum hominibus de Verona auferri non debeat. Cap. XXIII.

ITEM quod dominus Potestas debeat prohibere, quod nullum tholoneum, sive pedagium sive pontaticum auferratur hominibus de Verona, & ejus districtu ad portam clusæ, nec corvariæ, nec ad pontem Porci, nec ad alios pontes districtus Veronæ.

Ne theotonici traiiciantur ultra flumen Athesis. Cap. XXIV.

THEOTONICI non portentur ultra Athesim a Verona superius, vel a Verona inferius per districtum Veronæ. Sed per civitatem Veronæ ipsum flumen transire debeant, sub pœna arbitrio domini Potestatis.

Ut

Ut Poteſtas, qui non ſit de Verona, non ponatur in abbatia policini;
Cap. XXV.

CONTINUANDO noſtram antiquam poſſeſſionem; Statuimus, quod Monaſterii Abbas ſanctæ Mariæ de vangaditia non ponat, habeat vel accipiat Poteſtatem in villa ſeu loco abbatiæ, vel in aliis villis, quæ per abbatiam diſtriguntur, niſi qui ſit de Verona; quod ſi contrafecerit D. Veronæ Poteſtas infra menſem ex quo ſciverit, facere debeat, quod Abbas illum Poteſtatem, quem poſitum habuerit, debeat removere. Et quod ipſe D. Poteſtas operam dare debeat, quod Caſtellum in ipſo loco abbatiæ factum in virtutem deveniat communis Veronæ, ſive Illuſtriſs. dominii noſtri Venetiarum. Et quod tholoneum ibidem ad ruptam abbatiæ alias ablatum reſtituatur. Et de cætero non auferatur. Et quod Abbas dictæ abbatiæ Poteſtetem, quem accipere voluerit, debeat illum accipere cum conſilio Domini Poteſtatis Veronæ, ſive dominii noſtri prælibati.

Ut non impediatur dominus Epiſcopus Veronæ, nec ſui Vicarii, vel nuncii in jurisdictione Bodoloni & Montisfortis. Cap. XXVI.

ITEM Statuimus, quod dominus Poteſtas, Judices communis Veronæ, Conſules & alii officiales quocunque nomine cenſeantur, non poſſint, nec debeant impedire dominum Epiſcopum Veronæ, ſuos Vicarios, vel Nuncios in juriſdictione Bodoloni, & Montisfortis; Sed ipſum dominum Epiſcopum ſuos Vicarios, vel Nuncios debeant, & Sacramenti vinculo teneantur in ipſa juriſdictione, & in poſſeſſione, vel quaſi juriſdictione defendere, & manutenere.

Denuntiatio domini Poteſtatis facienda domino Epiſcopo circa juris adminiſtrationem. Cap. XXVII.

INTENDENTES quod idem jus in cauſſis civilibus reddatur æqualiter inter perſonas eccleſiaſticas, & ſeculares adinvicem litigare volentes, tam in curia, ſive foro palatii communis Veronæ, quam foro canonico, ſive curia Epiſcopali. Statuimus quod dominus Poteſtas pro ſe, & aliis officialibus Veronæ infra. xv. dies introitus ſui officii denunciare debeat, ſeu denunciari facere domino Epiſcopo Veronæ, ſive ejus locumtenenti, ſi placet eidem, quod Statuta communis Veronæ loquentia de cauſſis civilibus obſerventur in ſuo foro in favorem laycorum contra perſonas eccleſiaſticas; Et capitula eccleſiarum. Quoniam iidem dominus Poteſtas, & cæteri officiales communis Veronæ ipſa eadem Statuta obſervabunt, & obſervari facient contra laycos in favorem cle-

clericorum, & ipsorum capitulorum, & Ecclesiarum. Et de ipsa denunciatione, & responsione ipsis domini Episcopi faciat confici per Cancellarium communis publicum instrumentum. Et si dictus dominus Episcopus responderit sic; tunc fiat ratio ipsius clericis, & capitulis Ecclesiarum, etiam secundum ipsa Statuta. Si vero responderit non; tunc observentur eis solummodo jura communia, & secundum ea, tantum eis jura reddantur, & non secundum ipsa Statuta.

De auxilio præstando Ichonomo, sive procuratori Episcopatus. Cap. XXVIII.

AUXILIUM, & favorem dominus Potestas dare debeat sindico, & Ichonomo, sive procuratori Episcopatus, sive Episcopo Veronæ ad inquirenda, & invenienda bona, & possessiones, ac rationes dicti Episcopatus.

De contractibus inter dominum Aleardum Episcopum Veronæ, & quasdam villas observandis. Cap. XXIX.

CONTRACTUM, sive contractus, celebratum, seu celebratos, factum vel factos, Inter dominum Aleardum Veronensem Episcopum pro Episcopatu Veronæ, Et D. Azonem estensem Marchionem Potestatem Veronæ; Et inter infrascriptas villas, & homines, communia, ac universitas infrascriptarum villarum, seu aliquos eorundem nomine pro eis, ac dictum D. Azonem, & ejus officiales pro communi Veronæ super jurisdictione, Imperio, honore, & districtu Erimaniæ fodro, & super omnibus aliis, quæ in dicto contractu continentur, D. Potestas in omnibus, & per omnia integraliter prout ibi continetur, attendat & observat, ac attendi, & observari faciat, & firma teneat & teneri faciat, & ut hoc semper in perpetuum inviolabiliter observetur, operam det, & neque patiatur, vel sustineat, quod aliquis de cætero exerceat aliquid ex prædictis infrascriptis locis, & eorum pertinentiis, vel personis, vel rebus ibidem nunc, & in futurum existentibus, vel commorantibus. Quinnimo vetet Episcopis, & omnibus aliis, excepto communi Veronæ, Et exceptis communibus earum villarum; ut ibidem aliquid ex prædictis exercent. Villæ autem sunt hæ, Leniacus, Rupeclaria, Tomba, Canova, Calderium, Terniacus, Marcenicus, Centrum, Montaurus, S. Georgius; Et quæ aliæ villæ in dicto contractu, vel contractibus continentur. Et hæc postea, sive Statutum semper remanere, & esse debeant in postis sive Statutis communis Veronæ.

De contractibus comitissæ Ailicis observandis de factis Coloniæ. Cap. XXX.

CONTRACTUM, & contractus factum, & factos, Inter dominam Ailicem comitissam, & ejus filium Azolinum q. domini Azonis estensis Marchionis ex una parte, nec non dominum Rosinum de capite pontis novi Veronæ pro communi Veronæ, Et homines, ac universitatem Coloniæ ex altera: Et postea inter dominum Isnardinum de D. Riprandino de carcere, & Zenium de cavazenis ex una parte; & D. Bonzenum q. domini Aldevrandini de cresentiis sindicum, & procuratorem, et actorem communis Coloniæ, et universitatis pro ipso communi ex altera: Inter Ugucionem de crescentiis Veronæ Potestatem pro communi Veronæ ex una parte; Et prædictum D. Bozennum sindicum, et procuratorem, et actorem communis Coloniæ pro ipso communi, et universitate ex altera; de quadam petía terræ cum domo, et curte posita ante portam Castri Coloniæ, et de omnibus terris, et fictibus, et reditibus, ac vasalijs villæ et pertinentiæ Colloniæ, & de omnibus, quæ in eo contractu, vel in eis contractibus continentur; D. Potestas attendat, et observet, et firmiter manuteneat, firmum, firmosque per commune Veronæ perpetuo teneri, et observari faciat. Et prædicta omnia Coloniæ, seu communi, et hominibus Coloniæ, et cui vel quibus dederint, vel causam ab eis habuerint, ab omni persona omnique tempore defendat, nec dictum contractum, vel contractus in aliquo infringi, vel mutari, aut violari ab aliquo, vel aliquibus, aliquo modo, vel quovis ingenio ullo tempore permittat, vel patiatur, aut sustineat inquietare vel impedire, seu turbare homines, et commune, aut universitatem Coloniæ, vel qui causam ab eis habuerint de aliquo ex prædictis, quæ in dicto contractu, vel contractibus continentur. Et non permittat dominum Isnardinum de carcere, et Zeninum de cavazenis, nec aliquos creditores, vel hæredes eorum inquietari, vel molestari de pecunia ab eis accepta, et habita occasione prædictorum contractus zumellæ a domina Ailice estensi comitissa, et ejus filio Azolino, et hæredibus eorum; Nec ab aliqua alia persona loco, seu collegio, quod tempore contractum prædictorum non fuerit districtu Veronæ. Et hæc quidem posta, sive Statutum, nec per consilium, nec per arengum nec ullo modo tolli, vel mutari, vel minui, seu cancellari, aut abrogari, seu derogari possit. Sed perpetuo in postea, seu postis, Statuto, sive Statutis communis Veronæ integre esse, et permanere inviolabiliter debeat.

De

De privilegio Sancti Jacobi ad tombam, & de infirmis recipiendis.
Cap. XXXI.

ECCLESIAM, et hospitale Sancti Jacobi ad tombam, cujus patronatus ad commune Veronæ noscitur pertinere per bullam maxime, sive privilegium domini Alexandri quinti, et ejus terras, et possessiones bona, et jura; et maxime arbitrium, et compromissum, et præcepta, atque concessionem factam in dominum, et per dominum Jacobum olim electum super transactione bonorum infirmorum, atque conversorum ecclesiæ et hospitalis sanctæ Crucis in Ecclesiam S. Jacobi ad tombam in totum, et per totum, prout de ipso facto continetur in instrumentis per Gulielmum notarium de bonvillano, et Pizollum de braida factis, dominus Potestas teneatur, et debeat manutenere, et defendere, et non permittere dictam Ecclesiam S. Jacobi ad tombam, nec infirmos, sive rectores, vel fratres ibidem commorantes inquietari ab illis. de S. Cruce occasione bonorum, et possessionum translatorum de Ecclesia Sanctæ Crucis in Ecclesiam S. Jacobi; et ibidem commorantes pro temporibus perpetuo defendere, ad hoc ut prior, sive rector, fratres, seu conversi dictæ Ecclesiæ, et hospitalis, et habitantes ibidem pium officium exercentes ad dictum hospitale recipiant, et retineant omnes malesanos, et leprosos civitatis, et burgorum districtus Veronæ, & eisdem subsidia necessaria administrent; quos infirmos civitatis et districtus Veronæ dicti prior fratres et conversi recipere teneantur infra triduum, facta sibi denunciatione per dominum Potestatem, vel provisores communis: Et ibidem permanere debeant dicti leprosi, et non alibi.

De juribus, & possessionibus monasterii sancti Zenonis manutenendis.
Cap. XXXII.

JURA et possessiones monasterii Sancti Zenonis, quas visum est habere, tenere, et possidere ab anno domini. M.CCC.LXXXVIII. citra. Salvo jure omnium, qui voluerit dicere se jus habere in eis, dominus Potestas manutenere, et similiter jura, et rationes dicti monasterii S. Zenonis in poleto, et poletello, et in omnibus ad ipsum poletum, seu poletellum pertinentibus; quamvis alio nomine ab illis appelletur. Et prohibere debeat ne per ipsum Monasterium, seu per aliquem alium nomine Monasterii prædictum poletum, seu poletellum in homines, seu communia alterius districtus alienetur sine voluntate consilij. xij. et l. ad utilia communis Veronæ deputatorum.

De favore Ecclesiæ sancti Georgii in braida. *Cap. XXXIII.*

AD reverentiam beati Georgii, et devotionem Monasterii sui in braida Veronæ, Statuimus, quod dominus Potestas, et Judices, et quilibet officialis communis Veronæ petitiones justas, et juri consonantes D. Prioris, sindicorum, vel procuratorum, ejusdem Ecclesiæ sive Monasterii debeant benigne audire, ac jura sua pro timore justitiæ toto posse defendere, ac tueri; non obstantibus aliquibus Statutis, vel reformationibus in contrarium loquentibus.

De sancta domo pietatis. *Cap. XXXIV.*

PIETATE sola Deo pares sumus: Cujus ideo cultus sicut Dei agnitione, et proximi subventione constat; Ita rerum publicarum, quæ ab hominum cetu sunt jure viventium, præcipuum est fundamentum. Cum igitur in anno. M.CCCC.XXV. existente prætore nostro Pio viro D. Victore Bragadino promoventeque, et ad id etiam impendente venerabili collegio notariorum Veronæ; Accedentibus autem nostris pro nostra propensiori religione favoribus, et operibus; Nec minus Illustris. nostri dominij Venetiarum munificentia. Quæ suum palatium nobis supplicantibus, Potestate nostro D. Joanne Navagerio, dono dedit; Sancta pietatis domus in dicto palatio juxta majorem Ecclesiam fuerit erecta, et constituta pauperum. s. infirmantium refugium, et puerorum expositorum alimentum; Et ea sic abinde citra Deo propitio mirabiliter adaucta: Ideo Statuimus, quod D. Potestas Veronæ teneatur, et debeat Statuta, quæ ipsi domui de, et super ejus regimine in Anno Domini. MCCCC.XIV. domino Jacobo Lauredano commendatissimo prætore nostro. edidimus, et quæ in futurum per commune Veronæ, pro meliori dictæ domus conservatione, et augumento edi contigerit, observare, et facere observari. Ac insuper dictæ domui, sive gubernatoribus, et factoribus ejus jus summarium, et expeditum omni tempore, et de omnibus caussis dictæ domus ministrare; Et partibus dictæ domus semper cum justitia, et honestate favere.

De Dominica totius populi, & de currendo ad Brauvium. *Cap. XXXV.*

MAJORUM traditionem pro nostra religione, in melius commutantes, ut verbo Domini tempus, quod est Dei, reddatur Deo; Et quod est mundi, mundo. Statuimus, quod Dominica totius populi, quæ ab antiquo est prima in quadragesima loco soliti festi braviorum fieri debeat una solemnis, & devota processio cum toto clero, & populo ad ho-

honorem Dei, & gloriosæ Virginis Mariæ, & beati Sebastiani, ut gloriosis eorumdem virginis & martyris intercessionibus, & meritis hæc Civitas a pestilentia specialiter perservetur intacta. Festum autem ipsum braviorum a modo convenientius sit translatum non solum extra quadragesimam; Sed etiam extra sanctificatum diem Domini, in diem jovis grassam, in qua die, deinceps curratur ad bravium hoc solito nostri temporis modo: videlicet quia per Cameram Illustriss. nostri dominij exponi debent quatuor bravia, quorum primum sit. vi. brachiorum panni viridis sambugati & fini; Ad quod curratur per mulieres honestas, etiam si esset una: Et si de honestis nulla tunc haberetur currens, tunc in supplementum accipiatur de prostitutis. Secundum vero sit sex brachiorum scarlatini fini; Ad quod curratur per viros: Et cum hoc sit unus gallus, qui cum uno pari cirotecharum detur ultimo currenti, quem palam portare debeat per civitatem. Tertium autem sit. xxv. brachiorum pignolati albi, ad quod curratur per asinos. E quartum sit. xxv. brachiorum veluti carmesini palam, ad quod curratur per equos masculos, & integros, & cum hoc sit duæ bassæ, sive mezenæ porcinæ salatæ, & bonæ, quæ ultimo equorum currenti dentur, de quibus bassis licitum sit cuilibet incidere, & tollere postquam currens habuerit ad collum equi ligatas. Sed in die præcedenti levari debeant dicta bravia cum dictis mezenis, Et gallo de domo domini Potestatis cum solemnitate tubarum, Et portari circum, circa plateam communis, & deinde super domum novam; In qua ejus Vicarius habitat, & ibi exponi super dictam plateam. Sequenti vero die festi post nonam portari similiter debeant cum solemnitate, & cum sonitu campanæ grossæ communis ad martellum versus portam braidæ: Et ex inde ad portam castri veteris. Et super dictam stratam cursus portari ipsa bravia usque ad plateam Sanctæ Anastasiæ, & ibi ad lapidem singula bravia exponi: ut primo currendi quodlibet detur. Loca autem, unde currendum est, sint primo mulieribus ex opposito plateæ sanctorum Apostolorum; viris ex opposito putei coatractæ omnium sanctorum; asinis ex opposito monasterij sanctæ Luciæ veteris; Equi vero dismurata pro illa die porta Sisti debeant subclivum sanctæ Luciæ foris. Item quod pro illa solemnitate dari debeant per dictam cameram juxta solitum infrascripta paria cirotecharum. Videlicet magnificis dominis Potestati, & Capitaneo, & camerario, singulum par valoris unius ducati, vel circa, pro quoque pari. Item paria. lxv. de quibus D. Vicarius D. Potestatis, D. Judex maleficiorum, duo judices assessores, Cancellarius D. Potestatis, et Cancellarius communis, Et duo milites Domini Potestatis, & duo milites communis habere debeant singulum par honorabile. Item quod per unum mensem ante dictum festum, D. Potestas mittere debeat publicas proclamationes per civitatem, & burgos Veronæ, quod quilibet volens currere ad dicta bravia, seu curri facere, debeant se parare ad prædicta, & venire, seu mittere debentes currere, ad faciendum se scribi coram ipso D. Pote-

D. Poteſtate per Cancellarium communis in die proxime præcedenti dictum ſeſtum. Et inſuper D. Poteſtas in die ipſo feſti poſſit, & debeat mittere, & imponere illa banna, & illas ordinationes facere circa ſolemnitatem, et celebritatem dicti feſti, et letitiæ populi, quæ ſibi videbuntur, et punire quemlibet impedientem et facientem contra ea, quæ per ipſum fuerint ordinata.

De Judæis fœnerantibus non conducendis, & aliis manifeſtis uſurariis non ſubſtinendis *Cap. XXXVI.*

VSVRARVM licentiam, quam aliquando noſtra Civitas ſub publicæ utilitatis opinione permiſſit; Nunc pro noſtra propenſiori religione, & canonum reverentia tanquam latentem pauloque ſerpentem peſtem, aut demum voraciſſimam beſtiam pro rerum experientia deteſtantes propulſareque volentes; Statuimus, quod aliqui fœnerantes Iudæi ſine quorum, & aliorum fœnore per plures annos contra plurimorum opinionem vel in duriſſimis adverſiſſimorum temporum auguſtijs ſtetimus, optimeque ſucceſſit; nullo unquam tempore conduci poſſit, nec debeant ad fœnerandum in civitate, vel diſtrictu Veronæ. Sed nec permitti, aut tollerari modo aliquo, vel ingenio, vel ſub aliquo quæſito, colore, cauſa, vel occaſione, quod ſtare poſſint in Civitate, vel in aliquo loco territorij Veronæ ad mutuandum ſub uſuris. Idem & magis intelligatur de Chriſtianis, & magis de civibus, aut diſtrictualibus Veronæ qui tenerent, ſeu tenere vellent menſam paratam ad mutuandum omnibus ſub uſuris. Et quod D. Poteſtas, & proviſores communis Veronæ ſacramenti vinculo teneantur obviare, & non permittere, quod aliquid unquam in contrarium directe, vel indirecte proponatur, ſeu tractetur in conſilio aliquo tanquam propoſito, & tractatus mortalis contaminationis, & chriſtianis auribus execrabilis, & tanquam blaſphemia Dei, Domini noſtri IESV CHRISTI, & Eccleſiæ ſuæ ſanctæ furorem ejus provocatura, & deſolatura poſſibiliter Civitatem; ſub pœna proviſoribus cent. duca. auri, pro quoque, & privationis perpetuæ ab officio proviſoriæ, & cuilibet conſiliario, qui ſtaret ad audiendum, & non recederet incontinenti de conſilio. x. duca. auri, & privationis de conſilio per illum annum, & nihilominus quodcunq; tractaretur, et deliberaretur, ſit ipſo jure nullum. Et ipſi Iudæi, ac Criſtiani ſic fœnerantes cadant in pœnam perpetui banni de Civitate, et diſtrictu Veronæ, et perdendi capitale cum uſuris, et tantumdem pro pœna.

Quod Judæi portant unum O. *Cap. XXXVII.*

ITEM, quod quilibet judæus habitans, ſeu converſans in Civitate, vel diſtrictu Veronæ, Et quilibet alius judæus in ipſa Civitate, vel diſtrictu repertus, teneatur, et debeat portare in ſupra veſte, aperte, ante in pecto-

pectore bene apparens unum O, quod sit una cordella zalla lata uno digito, et magnitudinis unius panis a quatuor denariis. Sub pœna librarum. xxv. pro quoque, et quaque vice. Cujus dimidia sit magnificorum Rectorum Veronæ, et alia dimidia cameræ. Sed si intervenerit accusator tunc dicta pœna per tertium dividatur. Et de ipsa pœna non possit fieri donum gratia, vel remissio ullo modo.

De capsellariis a festa expellendis de Civitate. Cap. XXXVIII.

ITEM Statuimus, quod nullus capsellarius a festa de his, videlicet qui vadunt cum capsis vendendo consortinos, scaletas, cielas, et similia, quæ pueri vocant festam, debeat intrare vel stare in Civitate Veronæ. Et quod nullus debeat eos in sua domo tenere, vel hospitari: Sed de ipsis debeant incontinenti expellere. Et qui contrafecerit pro quolibet, et qualibet vice in. c. sol. puniatur.

De hæreticis capiendis, nec non a domino Potestate puniendis. Cap. XXXIX.

HÆRETICOS capere dominus Potestas teneatur, in Civitate, et districtu Veronæ, et si examinati a domino Episcopo, vel ab ipso domino Potestate, et ab illis, quos dominus Episcopus, vel ejus Vicarius, et dominus Potestas voluerit interesse, hæretici fuerint judicati, et infra xv. dies non resipuerint ad hæretica pravitate, et ad fidem sanctam, et catholicam redire contempserint per dominum Potestatem legitime puniantur.

De debito hominum Veronensium recuperando. Cap. XL.

ITEM Statuimus, quod dominus Potestas operam det, quod omnis persona de Civitate, et districtu Veronæ, cui debetur aliquid extra districtum Veronæ suum, vel ibi debitum recuperet, et ei solvatur. Et debeat ipse dominus Potestas ad totum suum posse, et suam fortiam recuperare omne, quod alicui de Civitate, vel districtu Veronæ, vel communi Veronæ deberetur ab aliqua persona, vel ab aliquo communi. Et ad voluntatem creditorum, et illorum de Verona, qui ab exterris aliquid deberet percipere, et habere; et ad eorum expensas debeat solicitare Potestatem, et Rectores Civitatum et aliorum locorum, vel ipsos eosdem, qui deberent, quod nostris civibus satisfaciant. Et post denunciationem factam, nisi per unum mensem satisfecerint, Eidem det operam, et juvamen, Ut id, quod est sibi debitum valeant re habere, intromittendo de bonis ipsorum debitorum usque ad summam debiti, sive debitorum. Et si quæstio aliqua verteretur de debitis aliquibus per-

personarum, quæ sint de terra latina, inter quas Tridentina Civitas, et Episcopatus computetur, dominus Potestas det operam, quod quæstio ipsa per Judices communium Civitatum, et locorum infra mensem post denunciationem factam cognoscatur, et terminetur sine appellationis obstaculo faciendo. Quod si non fecerint vel infra duos menses a denunciatione non satisfecerint habere debentibus, dominus Potestas operam det, et juvamen recuperare prædicta debita: Intromittendo de bonis dictorum debitorum, ut supra.

De recuperando debitum, vel ablatum extra districtum Veronæ, & de intromissione facienda de bonis debitorum, & hominum deprædantium illius loci. Cap. XLI.

ITEM, quod dominus Potestas pro posse suo operam det, quod omnis persona de Civitate et districtu Veronæ, cui aliquid debetur extra ipsum districtum suum, vel sibi debitum, vel ablatum recipiat, et ei solvatur, et restituatur. Et ipse D. Potestas intromittere teneatur de bonis illorum debitorum deprædantium, et omnium hominum illius Civitatis, seu civitatum, vel castrorum, et burgorum districtus earum, et eorum Episcopatus, et omnium locorum ipsarum Civitatum, et locorum usque ad summam debiti, vel ablati, et expensarum. Et hoc post denunciationem factam rectoribus illarum civitatum, et locorum, ubi depredatio, vel intromissio facta fuerit. Et quod ipsa denunciatio fieri debeat in hunc modum: Videlicet quod dominus Potestas ad voluntatem suam, et ipsorum quibus debeatur, Et qui depredationem passi fuerint ad expensas eorum solicitare, et denunciare debeat Potestati, seu Rectoribus civitatum, et locorum, ut satisfiat hominibus nostræ civitatis, et districtus. Et post denunciationem factam uno mense elapso teneatur facere existimare res intromissas per duos bonos homines, et existimatione facta creditoribus, vel depredatis dare in solutum. Si vero bona alicujus personæ nostræ civitatis, et districtus sine denunciatione facta Potestati Veronæ fuerint intromissa, teneatur ad voluntatem illorum, quorum intromissio fuisset, intromittere, et dare licentiam intromittendi de bonis hominum illius terræ, in qua, et super qua intromissio facta fuisset. Et hoc sine denunciatione aliqua, Et dare in solutum in modum predictum.

De emptionibus factis a factoria Veronæ. Quod affictales scripti, intelligantur livellarii. Cap. XLII.

ITEM Statuimus, quod aliqua persona, quæ emisset olim a factoria Veronæ de bonis ipsius factoriæ, sive dominorum tunc Veronæ; Aut a factoribus, vel procuratoribus eorum ab anno. M.CCCLXXXVII. Re-

retro aliquas terras, domos, seu possessiones in instrumentis, quarum emptionum descripti essent aliqui affictales, seu conductores, ipsarum rerum emptarum; Non possit nec valeat ipsos affictales, seu conductores, vel eorum hæredes, seu successores expellere de ipsis rebus emptis, seu de possessione ipsarum, nec eas ab ipsis auferre ex eo, quod non habeant, seu non ostendant instrumenta conductionum ipsarum rerum. Cum ipsa veritas sit, & habeatur, quod qui scripti erant pro affictalibus ipsarum rerum super libris, sive memorialibus dictæ factoriæ, & inde scripti seu reducti super dictis instrumentis dictarum emptionum sint, & habeantur, ut veri emphitheotæ, & veri conductores ad imperpetuum, sive ad majus tempus. Et habere, seu habere posse jus in ipsis rebus, sicut habere possunt emphitheotæ, seu conductores ad imperpetuum, sive ad majus tempus: Ita quod ipsæ res ipsis affictalibus, seu conductoribus neque eorum hæredibus, seu successoribus auferri non possint. Et ad locationes ad renovandum expresse faciendas de ipsis rebus, dicti emptores dictis conductoribus totaliter teneantur. Sed nec etiam ipsi affictales, seu conductores, vel eorum hæredes, & successores possint, nec valeant eas relaxare, seu refutare dictis emptoribus, nec suis hæredibus, vel successoribus; nisi de ipsorum emptorum, sive eorum hæredum & successorum voluntate processerit. Sed ad ficta, seu pensiones solvendas, & locationes ad renovandum expresse recipiendas de ipsis rebus; Et ad omnia alia, & singula, quæ emphitheotæ, seu conductores ad imperpetuum, vel ad majus tempus tenentur locatoribus suis, totaliter teneantur, & obligati sint; licet super dictis libris factoriæ, & in dictis instrumentis emptionum non fiebat, nec fiat mentio, quod ipsæ res eisdem affictalibus, seu conductoribus, vel eorum præcessoribus, aut auctoribus fuerint locatæ, ad renovandum: Et non obstante etiam quod dicti libri, super quibus descripti erant dicti affictales, non reperiantur. Et hoc non habeat locum, nec habere intelligatur in illis venditionibus, in quibus non sunt descripta hæc verba, SALVO JURE CONDUCTORIS. Et quod omnes, & singulæ venditiones factæ per judicem & militem procuratorem communis Veronæ, vel alterum eorum de bonis alicujus personæ sub prætextu alicujus crediti dictæ factoriæ, vel dictorum dominorum, de quibus constent publica, & autentica instrumenta valeant, & teneant. Et idem intelligatur de omnibus venditionibus, donationibus, permutationibus, & alienationibus cujuscumque condictionis factis per factoriam Veronæ, sive per dominos de Scala, seu successive per dominum Comitem virtutum, sive ejus, vel eorum procuratores, aut factores, & factorio nomine pro eo, vel eis. Et quod dominus Potestas, ejusque Judices, & officiales ipsos tales emptores, vel eorum hæredes in dictis talibus bonis emptis manuteneant, & defendant, & omnibus conquerentibus, seu conquæri volentibus audientiam denegare debeant; & hæc omnia non obstantibus aliquibus Statutis in contrarium loquentibus.

Communia villarum teneantur laborare terras in sua pertinentia sitas si domini earum justa caussa non auderent accedere. *Cap. XLIII.*

SI aliquis civis Veronæ haberet aliquas terras, seu possessiones in aliqua Villa, vel loco districtus Veronæ, ad quem accedere non auderet, seu in ipso secure manere forte timore alicujus sui inimici, vel aliqua alia justa de caussa; vel forte non inveniret in ipsa villa, vel loco, in quo sunt dictæ possessiones, qui eas vellent laborare timore, vel amore alicujus habitantis in ipsa villa, vel alibi, vel alia qualibet justa de caussa: Statuimus quod tunc commune illius villæ teneatur, & debeat expensis illius, cujus sunt dictæ possessiones, & terræ, facere eas bene coli, & laborari, & fruges colligi & conduci Veronam ad domum habitationis dicti domini, si inde dictum commune ipsius villæ, & loci fuerit requisitum. Sub pœna, cen. sol. de bonis propriis, massarii, & x. lib. de bonis communis illius villæ, & loci. Et ad refectionem damni & interesse illi, vel illis, quorum, vel cujus erunt dictæ possessiones, Nihilominus condemnetur totiens quotiens fuerit contrafactum.

De uno bono massario sibi eligendo per singula communia villarum, & aliter ipsa communia & quilibet de ipsis communibus pro dicto massario teneatur. Qui etiam intelligatur esse syndicus sui communis.
Cap. XLIV.

COMMUNIA villarum, & locorum singula teneantur, & debeant eligere unum bonum massarium qui bene attendat, & obediat, & non discipet pignora in suis manibus consignata; & si aliter fecerint, teneantur ipsa communia, & homines ipsorum communium ad debita pignorum. Et de prædictis possit in solidum realiter ipsa communia, & singuli de communitatibus conveniri, nec liberentur nisi debitorem ad carceres communis Veronæ conduxerint, vel pignora designata conduxerint in manibus massarii pignorum Veronæ. Quo facto ipsa communia, & homines liberentur, & ulterius molestari non possint. Et in omnibus casibus prædictis dicti homines, & communia regressum habeant realem, & personalem contra debitores, quorum prætextu fuerint molestati, etiam si regressus de facto non fuerit datus; & quilibet massarius pro suo nuncio teneatur. Qui etiam massarii sint, & intelligantur esse suarum communitatum syndici ad lites ad agendum, & defendendum.

De una securitate generali facienda per massarios villarum in principio regiminis domini Potestatis. Cap. XLV.

ITEM, quod omnes massarii, & communia villarum teneantur, & debeant in principio regiminis domini Potestatis, videlicet infra mensem, facere bonam, & Idoneam securitatem pro eorum villis, secundum qualitatem, & quantitatem villarum coram domino Potestate Veronæ, scribendam per Cancellarium communis de attendendo, & observando omnia præcepta domini Potestatis, & suorum Judicum, & officialium, & de emendando damna & robarias, quæ fierent in eorum villis, & pertinentiis; Et de non acceptando, nec permittendo in eis ad totum suum posse, aliquos rebelles Illustrissimi nostri dominii, nec bannitos communis Veronæ, nec barros: Immo potius de capiendo illos & omnes alios malefactores, & conducendo illos in fortiam domini Potestatis pro posse suo. Et quod dictæ securitates sint generales, & durent per unum annum. Et quod Judices, & notarii, & cæteri officiates communis Veronæ non possint, nec debeant accipere alias securitales a dictis communibus, seu dictis suis massariis pro ipsis villis. Et quod D. Potestas teneatur facere attendi, & observari omnia prædicta, & admonere in primo mense sui regiminis omnes suos Judices, & officiales, quod aliam securitatem a dictis communibus non accipiant. Et si quis judex, seu notarius, sive quispiam alius officialis contrafecerit, solvat pro una quaque centum sol.

Quod communia villarum nullam faciant adunantiam, viciniam, sive consilium, nec datiam imponant sine licentia sui Vicarii. Cap. XLVI.

ITEM, quod aliqua communia, & homines districtus Veronæ non audeant, nec præsumant aliquam facere adunantiam suorum hominum, neque vicinantiam, sive consilium, sine licentia sui Vicarii, ad hoc, ut ipse possit interesse, vel suum notarium mittere: & communia, quæ contrafecerint, cadant in pœnam libr. xxv. Et massarius, aut alius, qui vocavisset, aut vocari fecisset vicinantiam, sive consilium cadat in pœnam lib. x. pro quoque. Et quod ipsa communia similiter non possint aliquam datiam ponere sine licentia ipsius Vicarii. Aliter autem imponentes, vel exigentes cadant in pœnam x. libr. denariorum pro quoque, quarum pœnarum tertia sit accusatoris, & tertia ipsius Vicarii, Et alia tertia Cameræ Illustrissimi nostri dominii. Et ubi non sit accusator illa tertia veniat in commune Veronæ.

De juratis, & rasoneriis contratarum, & securitate ipsorum juratorum. Cap. XLVII.

IN principio cujuslibet anni dominus Poteſtas compellere debeat contratas, ſeu homines contratarum civitatis, & burgorum Veronæ facere in una quaque contrata unum, ſeu duos juratos ſecundum qualitatem, & quantitatem dictæ contratæ, qui pro dicto anno non habeant, nec faciant jurariam alterius alicujus contratæ: Sub pœna centum ſoldorum pro quoque jurato contrafaciente, exigenda per proviſores communis. Et ſimiliter duos raſonerios, quorum omnium electio fieri debeat in publica vicinia per eum modum, & formam, & ad illud ſalarium pecuniarum certum, & quantitatem determinatam, ſecundum, quod homines viciniæ fuerint in concordio, ſeu major pars viciniæ, aut hominum ipſius contratæ. Qui jurati, & raſonerii, ex quo facti fuerint debeant facere, & exercere negotia ſuæ contratæ, quæ pertinent, ſeu pertineant ad officium jurariæ, & rationariæ. Et durare debeant per unum annum. Sed quilibet jurati contratarum infra unum menſem, poſtquam electi fuerint, teneantur, & debeant facere unam bonam, & Idoneam ſecuritatem coram domino Poteſtate Veronæ de bene cuſtodiendis, ſalvandis, & non baratandis pignoribus, quæ in eorum manibus fuerint per viatores communis Veronæ deſignata, aut aliter ad eorum manus ex ſuo officio pervenerint; ſub pœna centum ſolidorum denariorum pro quoque, exigenda per proviſores communis. Et nihilominus dictam ſecuritatem præſtare teneantur.

De gaſtaldionibus miſteriorum. Cap. XLVIII.

UNICUIQUE miſterio liceat eligere, et accipere ſibi gaſtaldionem, quem voluerit, qui ſit de ſuo miſterio, & qui exerceat illud miſterium, & nullum alium poſſit eligere, nec debeat, qui non exerceat illud, pro quo electus fuerit. Ita tamen, quod ille, qui fuerit electus gaſtaldio, habere debeat triginta annos, vel ultra; Et ſteterit civis Veronæ per quinque annos. Et electores, qui contra prædicta, vel aliquod prædictorum fecerint, puniantur pro quolibet electore, & qualibet vice in x. libr. Quod ſi electus receperit gaſtaldiam, puniatur in cen. ſol. Et perdat ipſum officium. Et quod quilibet qui fuerit gaſtaldio alicujus miſterii, ſive artis ceſſare debeat a gaſtaldia ipſius miſterii, & artis, & qualibet alia gaſtaldia alterius miſterii, ſeu artis per biennium. Et quod quicunque fuerit gaſtaldio pro uno miſterio, non poſſit, nec debeat aliquo modo, vel caſu, vel ingenio eodem tempore eſſe gaſtaldio alicujus alterius miſterii. Et quod nullus de maſnata, vel natus ex non legitimo matrimonio poſſit eſſe gaſtaldio alicujus miſterii.

De

De misteriis, & conviviis in suis veteribus consuetudinibus manutenendis, & de monopolis non faciendis. Cap. XLIX.

ITEM, quod misteria, & convivia, & quod ad misteria pertinent sine fraude facta, in suis veteribus consuetudinibus, hinc retro habitis, debeant manuteneri, & conservari, facta, et confirmata cum præsentia Vicarii, vel Consulum domus mercatorum Veronæ. Et quod dominus Potestas Veronæ, ac dicti Vicarius, & consules domus mercatorum omnino, & semper debeant prohibere, ne aliquod misterium faciat, vel teneat postam, seu regulam, seu aliquod pactum, vel ordinamentum de non serviendo, vel de non dando alicui de suo ad minus certo pretio, vel aliquod aliud monopolium. Et illud misterium, quod inventum fuerit contrafecisse, vel tenuisse multari debeat in libris quinquaginta denariorum, & plus arbitrio domini Potestatis, seu dictorum Prætorum domus: & totum, quod contra hoc fecisset, sit irritum, & inane.

Qui voluerit se guadiare sub aliquo misterio, non cogatur solvere ultra sol. LX. Cap. L.

ITEM, pro augmento misteriorum; Statuimus, quod aliqua persona, quæ voluerit se guadiare sub aliquo misterio, seu arte, non possit exigi per gastaldionem sub quo se guadiabit ultra sexaginta sol. Veronen. parvorum pro dicta gaudatione. Et quod gastaldio, & massarius dictæ artis, qui contrafecerit puniatur pro quolibet & qualibet vice in duplum. Et ille, quem recipere noluerit, nihilominus possit dictum misterium exercere. Et de hoc quilibet sit accusator, & habeat medietatem.

HÆC SUNT STATUTA CONSILIORUM Civitatis Veronæ.

De auctoritate Consilii duodecim, & quinquaginta, cum domino Potestate. Cap. LI.

QUOD Communitas Veronæ solita antiquis temporibus regi per Consilium xv. ancianorum, & lxxx. ac non unquam quingentorum deputatorum, deinceps sub Illustriss. nostro dominio Venet. more nostri temporis solito regatur, & gubernetur per dominum Potestatem cum consilio xij. &. l. ad utilia communis deputatorum. Quod consilium omnimodam habeat cum domino Potestate in Repu. auctoritatem. Præter quam si domino Potestati videretur in rebus magnis arduis

duis vocandum esse universale consilium totius anni, quod est sex mudæ deputatorum cum dicto consilio. l. Auctoritas autem ipsorum. xij. sit cum domino Potestate: De observationibus Statutorum, & ordinum communis Veronæ; De executionibus provisionum, & partium consilii prædicti. xij. & l.; De defensionibus jurium, & jurisdictionum nostri communis, Ac de aliis Rempu. concernentibus. Præterquam de conferendis officis; De creandis civibus; De expendendis pecuniis communis, Et de caussis in quibus expensa veniat; De alienandis, vel obligandis, quoque aliquibus juribus, aut bonis communis, Et de condendis, seu reformandis legibus, aut, provisionibus, vel Statutis; Et describendis aliquibus omnino recommendatitiis litteris pro aliqua persona, vel universitate. Sed ea jurisdictio & arbitrium sit consilii etiam quinquaginta cum domino Potestate. Et tamen in prædictis exceptatis, xij. deputati officium habeant tractandi, & formandi cum presentia D. Potestatis, vel sui locumtenentis ea, quæ sibi utilia videbuntur, & omnia referendi ad judicium consilii etiam quinquaginta.

Quomodo consilium eligatur. *Cap. LII.*

ITEM, quod ad finem cujus libet anni in consilio. xij. &. l. per scrutinium, & suffragia sive ballotas eligi debeat ad ultimam mudam xij. deputatorum una additio aliorum. xij. videlicet sex de numero quinquaginta, & sex de extra, & ipsi vigintiquatuor, vel duæ partes ex eis coram D. Potestate, vel suo locumtenente congregati, & jurati de sincera, ac bona consiliariorum electione facienda, & de taciturnitate habenda omnium, quæ de quoquam ibi dicta, & facta fuerint. Facere debeant in nomine Dei consilium. xij. &. l. hoc modo videlicet: Ballotari debeant per librum estimi singuli patresfamilias, qui cuipiam de dicto consilio vigintiquatuor videantur idonei, sive in eorum defectu filii familias perfectæ ætatis. Et quicunque a duabus partibus fuerit approbatus in electione remaneat. Deligantur postea ex cumulo centum & vigintiduo consiliarii per totum annum hoc modo: Videlicet quia incipiendum erit a majori numero ballotarum, & postea descendendum ad sequentem minorem numerum, & sic deinceps per ordinem, donec completus numerus consiliariorum habeatur. Sed in eo numero ballotarum, in quo consilium veniet esse completum, Ii semper præponantur, qui eo anno de consilio non fuerunt. Et si ipsi, qui de consilio non fuerunt, non impleverint adhuc consilium, tunc de aliis ejusdem numeri ballotarum paribus D. Potestas eligere possit quos voluerit ad complendum: distribuantur autem hoc ordine, quid illi, qui fuissent de. xij. duputatis, debeant collocari in numero quinquaginta, ita ut ab officio duodenario vacent per unum annum. Et fieri debeant sex mudæ xij. deputatorum, præstantium virorum bene intelligentium de regimine civitatis, quarum quælibet habeat unum juristam de collegio; Qui ma-

maxime inter alios, quos provisores communis conducere vellent in caussis communis patrocinium suum præstare teneantur. Et ibi tunc sorciantur, quænam sit prima, quæ secunda, & sic de aliis, & quælibet per suum bimestre faciat officium, in cujus fine tres ex omnibus ipsius veteris sorciantur, vel eligantur per D. Potestatem, qui intrent, & serviant etiam in muda sequenti, & sic de aliis pro informatione novorum. Sed habeatur respectus, quod in qualibet muda non sit ultra quam unus de una familia, sive agnatione. Et similiter etiam in numero l. non sit ultra quam unus alius.

Reformatum per Ducales litteras datas xxx. December. M.CCCC.LV. Quod fiat per consilium totius annis a tribus partibus supra. Et additum quod parentales exeant de consilio in ballotando per partem captam, ix. Januarij. M.CCCC.LVI.

De juramento consiliorum. *Cap. LIII.*

CIVITAS illa justissime ordinata est, ubi quisque proprios nescit affectus. Propterea Statuimus, quod quinquaginta deputati, & similiter quælibet muda duodecim deputatorum prima vice, qua congregabuntur coram D. Potestate jurare debeant ad sancta Dei evangelia bene & fideliter consulere secundum Deum & bonam conscientiam suam honorem, & proficuum status Illustr. nostri dominii, & Reipu. Veronensis, Et secretum habere, ac tenere, quicquid per ipsum dominum Potestatem de silentio fuerit impositum.

De vocando & congregrando consilio. *Cap. LIV.*

ITEM, quod consilium xij. deputatorum vocari, & congregari debeat omni die, si fuerit expediens ad præsentiam D. Potestatis, vel sui locumtenentis pro tractandis de emergentibus Reip. negotiis. Consilium vero. xij. & l. vocari & congregari debeat regulariter omni die veneris, & quotiens opus videbitur cum licentia semper, & præsentia prædicta.

Additum die xx. Martii M. cccc. lij.

Quod nemo de xij deputatis se absentet a civitate. Cum in xij. ad utilia deputatis sit omne principium omnisque forma rerum tractandarum; vadit pars, quod de xij. deputatis, Quiliber per tempus bimestre suæ mudæ venire, & stare debeat firmiter in civitate. Et nullus ex dicto numero, in quo etiam tres de veteribus adjuncti intelligantur, præsumat de ipsa civitate recedere sine scientia provisorum communis, & licentia Magnifici domini Potestatis. Sub pœna unius ducati pro quoque, & quaque vice, exigenda per provisores: Ut per talem absentiam & difficultatem habendi, quando expedit legitimum numerum, facta nostri communis non transeant sicut sæpe accidit, in sinistrum. Sed & Magnifici Rectores nostri possint

eos

eos ad omnia sua mandata coram se habere. Capta de ballotis. xxviij. pro xvij. contra.

De pœna consiliariorum non venientium ad consilium. Cap. LV.

ITEM, quod quilibet de consilio monitus per viatorem ex parte domini Potestatis, vel provisorum communis Veronæ personaliter, vel ad domum, si tempore admonitionis erat in Civitate venire, & esse debeat ad consilium ad horam sibi deputatam; vel saltem ad sonum campanæ grossæ. Et inde non recedere sine licentia domini Potestatis, vel sui locumtenentis. Sub pœna in utroque prædictorum x. soldiorum pro quaque vice applicanda officio provisorum in communi.

Reformatum, & additum per consilium die. xvij. Septembris. M.cccc.liv.

Ad sonum campanæ marangonæ pulsandæ demum extenso sono ad cordam per unum quartum horæ, postquam pulsata fuerit campana minor bis ad bottos, & postea grossa etiam ad bottos.

Qualiter debeat arengari, & dari partita in consilio, & quot voces sufficiant ad capienda partita. Cap. LVI.

ITEM, quod nemo debeat concionari, seu arengare in consilio. xij. & l. nisi ad rengeriam. Et quod nullus ad rengeriam debeat arengare, vel consilium dare, nisi super his capitulis, quæ proposita fuerint in consilio per dominum Potestatem, vel suum locumtenentem, vel per provisores communis, aut alterum ex eis, vel per consilium. xij. deputorum, aut aliquem ex eis, cum licentia semper dicti domini Potestatis, vel sui locumtenentis, sub pœna. xx. solidorum, pro quolibet & qualibet vice. Et quod partitum debeat poni secundum dicta concionantium super propositis in ipso consilio; Et non super aliis non propositis. Et quod dominus Potestas, seu aliquis de prædictis dans partitum in dicto consilio xij. & quinquaginta, debeat ea partita dare voluendo, & revolvendo, replicando, & exprestando partitum, sicut prius fecerat imponendo. Et quilibet de ipso consilio possit libere super ipso partito suam dicere opinionem. Et quod illa partita valeant, teneant & observentur, ac executioni mittantur, quæ cum præsentia & auctoritate domini Potestatis, vel sui locumtenentis capta, & deliberata fuerint per majorem partem consilii tunc præsentis, dummodo in ipso consilio sint duæ partes de tribus partibus præsentes. Nisi partitum esset de creandis civibus; De expendendis pecuniis communis; Et de caussis in quibus expensa veniat; De alienandis, vel obligandis, quoquomodo aliquibus juribus, aut bonis communis; Et de condendis, seu reformandis, abrogandis, vel derogandis legibus, aut provisionibus, vel Statutis; Et similibus præjudicantibus, aut præjudicare volentibus communi Ve-

Veronæ. In quibus singulis partitis capiendis, & deliberandis concurrere oporteat duas partes de tribus partibus præsentium in dicto consilio: Intelligendo, quod in eo interesse debeant similiter duæ partes omnium de dicto consilio xij. & L.

De dandis secreto ballotis: Et quod quilibet ballottandus exeat tunc de loco consilii. Cap. LVII.

ITEM: Et unusquisque de secreto ponens ballottam pro aliqua re tractanda, & concludenda in consiliis communis Veronæ teneatur, & debeat ponere manum in ambobus bussolis, & mittere ballottam secretam. Sub pœna solidorum xx. denariorum, pro quoque & quaque vice, applicanda communi Veronæ officio Provisorum. Et ut omnes ampliorem licentiam habeant dicendi, & libere faciendi parere suum. Quod unusquisque, qui de cætero in consilio fuerit ballottandus si fuerit in consilio debeat exire de loco consilii pro tempore, quo ballottabitur, & postea ingredi.

Additum die nono Januarij. M.cccc.lvi. per consilium.

Quod quemadmodum Illustrissima D. nostra per suas litteras cum consilio rogatorum datas. xxx. Decembris decrevit; quod in electionibus consilii Vicariatuum, & Potestariarum, quando quisque ballottabitur, exeant de consilio non solum, qui sunt de familia ballottandi, sed etiam ascendentes, & descendentes per lineam maternam, & germani, consanguinei, soceri, generi, & sororii; Ita hoc ipsum servetur etiam in electione aliorum quorumcunque officiorum nostri communis: Adeo quod qui exire debuerit & non exiverit, cadat in pœna solidorum decem statim exigendam per Provisores; & ballottatio facta illi ballottato non prosit: Intelligendo de familia, idest de illa agnatione, sive de nominatione Casadæ.

Additum. xx. Februarii. M.cccc.lviij.

Ut etiam nepotes pro auunculis, & auunculi pro nepotibus exeant.

Quod nulla persona, quæ non sit civis Veronæ, & quæ non faciat publicas factiones possit esse de aliquo consilio vel officium habere, & qui intelligantur cives. Cap. LVIII.

ITEM Statuimus, quod aliqua persona non possit esse de aliquo consilio, nec habere aliquod officium publicum a communi Veronæ, sive eo uti in Civitate, vel in villis districtus Veronæ, nisi sit Civis Veronæ origine, vel fuerit ex privilegio per quinquennium, & faciat cum communi Veronæ publicas factiones, & sit de jurisdictione communis Veronæ, vel steterit, & habitaverit in Civitate Veronæ, ipse vel ejus Majores per decennium & de præsenti, faciendo, & subeundo one-

ra & factiones cum communi Veronæ per dictum tempus; quo casu etiam talis intelligatur esse Civis, nisi esset rusticus seu de villis Civitatis Veronæ. Et si eligeretur aut poneretur de aliquo consilio, aut ad aliquod officium exercendum, electio nihil valeat ipso jure, & elector communi Veronæ in centum solidis puniatur per Provisores communis exigendis.

Ne Clericus aliquod officium vel munus publicum habeat. *Cap.* LIX.

NE Clerici negotiis sæcularibus se immisceant, Statuimus quod aliquis clericus seu persona Ecclesiastica habere non possit aliquod officium in communi Veronæ, sive in aliqua villa; Si modo alius in villa Notarius fuerit, qui exercere possit officium notariæ: nec esse in villa loco Judicis vel pro Judice, seu aliquo alio officio; & specialiter non possit esse Advocatus, Judex ordinarius, delegatus, seu Consiliarius, Procurator, Curator, Sindicus, nisi esset pro se, vel Ecclesia sua, vel Collegio; Nec Arbiter seu Arbitrator in aliquibus caussis, seu quæstionibus civilibus, vel criminalibus, ordinariis vel extraordinariis, nec aliquo modo alterius nomine esse in causa, coram domino Potestate Veronæ, Judicibus, seu consulibus communis Veronæ, vel aliquibus aliis officiis, seu officialibus communis Veronæ; Nec esse in matricula & bussolis Judicum, sive Advocatorum communis Veronæ: & si qui sunt incontinenti tollantur, nec possint aliquod officium habere in communi Veronæ; & si quid per eos vel aliquem eorum contra aliquod prædictorum factum fuerit, non valeat, nec teneat ipso jure.

HÆC SUNT STATUTA CIVILITATUM.

De modo supplicandi & creandi Cives. *Cap.* LX.

QUICUNQUE voluerit civis Veronæ creari, porrigere teneatur in scriptis domino Potestati, & Consilio xij. & quinquaginta deputatorum supplicationem de dicta civilitate & de toto eo, quod proponere & petere intendit. Et quod tunc dicta supplicatio duobus de numero xij. deputatorum sortiendis, committatur ad informandum, & referendum una alia die in ipso consilio. Quibus duobus tunc deferri debeat juramentum de integra formatione referenda. Et cum ipsi informatores suam fecerint relationem, Tunc dicta supplicatio iterum legi debeat, & super ipsa poni partitum ad ballottas. Pro quo si fuerint duæ partes trium partium, dicta supplicatio sit & intelligatur admissa, præterquam si dictus supplicans fuerit rusticus Veronensis, & tunc oporteat habere tres partes quatuor partium dicti consilii, & si aliter fieret

fieret ulla civilitas ipso jure non valeat: intelligendo quod supplicatione civilitatis semel facta & commissa & relata ut supra, & reprobata, non possit nec debeat talis supplicans usque per quinquennium pro ipsa civilitate audiri. Et si aliter fieret ipso jure non valeat.

De honorantia civilitatis. *Cap. LXI.*

ITEM Statuimus, quod quælibet persona, quæ obtinuerit & creata fuerit civis Veronæ secundum formam supradicti Statuti, solvere teneatur communi Veronæ ad officium Provisorum, si fuerit forensis, quinquaginta libras denariorum, Et unum ducatum Cancellario communis pro privilegio; Et si fuerit de rusticis Veronensibus, Centum libras & duos ducatos Cancellarios communis, & hoc infra unum mensem proximum: Aliter autem dicta civilitate non gaudeat donec solverit. De quibus quidem honorantiis non possit fieri donum, gratia, vel remissio. Et si Cancellarius communis daret privilegium civilitatis alicui in forma, non soluta prius officio Provisorum honorantia prædicta, illam de suo proprio solvere teneatur, habendo regressum contra personam creatam civem.

De juramento & securitate civium creatorum. *Cap. LXII.*

ITEM, quod quælibet persona de novo creata civis Veronæ secundum formam, supradicti Statuti, incontinenti jurare teneatur in manibus domini Potestatis fidelitatem, honorem, & proficuum Illustrissimi nostri dominii Venetiarum, & communis Veronæ, & infra mensem se facere estimari in communi Veronæ per Provisores communis cum consilio xii. deputatorum. Et idonee satisdare pœnes Cancellarium communis de attendendo pro estimo suo factiones & onera cum communi Veronæ, sicut alii cives faciunt per decennium; & si ante prædicta Cancellarius communis daret privilegium civilitatis in forma alicui, teneatur de suo proprio solvere in communi, habendo regressum contra personam creatam civem.

Quanto tempore stare debeant cives ex privilegio creati ad habendum de officiis. *Cap. LXIII.*

ITEM, quod aliqua persona creata civis ex privilegio, non habeat nec habere possit habilitatem ad honores & officia, qui, & quæ in communi Veronæ conferuntur, nisi post quinquennium, & quilibet de prædictis, qui ante dictum tempus aliquod officium, seu beneficium communis acceptaret, condemnetur communi Veronæ in duplo omnis salarii & emolumenti, quod in dicto officio percepisset, exigenda per provisores communis.

D 2 Quod

Quod rustici creati cives teneantur habitare in Civitate cum sua massaria & familia *Cap. LXIV.*

ITEM, quod quælibet persona de districtu Veronæ creata Civis ex privilegio teneatur & debeat ipsa & singuli descendentes sui firmiter stare & habitare cum sua massaria & familia in Civitate Veronæ, sicut alii cives faciunt, & abstinere sese in totum ab operibus rusticanis. Sub pœna quinquaginta librarum pro quoque & quaque vice applicanda communi Veronæ, exigenda per provisores, Et privationis omnis civilitatis in æternum. In quas pœnas ipso jure, & ipso facto incurrisse intelligatur. Et tunc nihilominus dicta talis persona solvere, & attendere teneatur, deinceps durante dicto estimo, omnia singula onera & factiones civitatis cum Civitate, & ruris cum rure, unde illa fuerat assumpta & exempta. Possit tamen dicta talis persona pro suis recoltis ire ad standum in villa a festo S. Barnabæ da mense Junii usque ad festum Sancti Martini de mense Novembris, & non ultra, abstinendo semper sese a quibuscunque operibus rusticanis sub pœna prædicta.

Quod quilibet rusticus creatus Civis teneatur sibi acquirère domum in civitate usque ad unnm annum *Cap. LXV.*

ITEM, & quælibet persona de districtu Veronæ assumpta, & creata, Civis Veronæ teneatur & debeat usque ad unum annum proxime futurum, fabricasse sibi, vel fabricatam sibi acquisivisse in Civitate Veronæ, seu burgis unam domum de muro, solariis & cupis, in qua cum tota sua familia, & massaria stet & habitet continue secundum formam Statuti proxime suprascripti. Quod si non fecerit cadat in pœnam quinquaginta librarum denariorum pro omni anno, quo destiterit fabricasse, vel acquisivisse, ut supra, exigendam per provisores communis; & quod interea dicta civilitate non gaudeat.

De immunitate forensium ad Civitatem venientium, & de stipendiariis, *Cap. LXVI.*

ITEM, Statuimus, quod quilibet forensis bonæ opinionis, & famæ, amicus, & fidelis Illustrissimi nostri dominii & communis Veronæ secure venire possit ad standum & habitandum in Civitate Veronæ seu burgis, & habere debeat exemptionem sive immunitatem ab oneribus datiis & factionibus Civitatis Veronæ usque ad quinque annos a die, quo primum venerit connumerandos, si se infra mensem coram domino Potestate præsentaverit, & ejus præsentationis ac immunitatis litteras acceperit: Excepto eo, quod solvere teneatur pro terris, & possessionibus eidem

per

pertinentibus jure dominii, vel quasi, directi, vel utilis sicut alii cives faciunt; Et quod teneatur & compellatur subire, facere & solvere omnia onera civilia in contrata, in qua repertus fuerit habitare, sicut alii sui vicini faciunt. Exceptis stipendiariis Illustrissimi nostri dominii, qui habeant, & habere debeant immunitatem ab oneribus, & factionibus civitatis, præterquam pro bonis, quæ in ipsa Civitate, aut districtu haberent, præter equos & arma.

HÆC SUNT STATUTA OFFICIORUM COMMUNIS VERONÆ.

Quod omnia officia eligantur ad brevia in consilio majori communis Veronæ. *Cap. LXVII.*

BONUM quanto communius tanto divinius, & æquabilitate nihil in Repub. melius. Propterea Statuimus, quod omnia officia tam ordinaria, quam extraordinaria, & tam quæ dantur per scrutinium & ballottas in consiliis, quam non, poni & eligi debeant singulis sex mensibus ad brevia in consilio majori communis Veronæ. Et quod ad ipsa brevia quilibet civis ætatis ad minus xx. annorum sustinens onera & factiones cum communi Veronæ saltem suæ contratæ per decem annos proxime præteritos posse se facere scribi. Et quando semel habuerit breve nigrum alicujus officii taxati, ut infra, cessare debeat & vocari non possit ad ipsa brevia usque ad unum annum, videlicet per duas electiones sequentes, postquam habuerit dictum breve nigrum, & si vocaretur ejus electio non valeat; quæ quidem brevia & cronicæ stare debeant juxta solitum penes gastaldionem, & sacristiam venerabilis collegii notariorum. Quilibet vero, cui venerit breve nigrum de ipsis infrascriptis officiis, habere & percipere possit ac debeat ab illo, qui esset in dicto officio per aliquod consilium civitatis vel collegium notariorum deputatus, vel quem ipse cui venerit breve idoneum eligere & deputare maluerit in dicto officio, si non fuerit de illis, quæ per scrutininm & ballottas conferuntur, vel per collegium notariorum deputantur, infrascriptas taxationes prout unicuique eorum ascriptum est, quæ tamen decennio in decennium possint per consilium xij. & quinquaginta secundum temporum, & officiorum conditiones augeri & minui.

Sex notarii ad banchum domini Potestatis & ejus Vicarii lib. 1. sol. x. dena. pro quoque.

Sex notarii ad banchum Maleficiorum, sive eorum notariorum, qui exercent officium.

Duodecim notarii ad banchum Griffonis.

Duode-

Duodecim notarii ad banchum Reginæ Leonæ.
Unus notarius Statutorum.
Quatuor notarii ad banchum Pavonis,
Quatuor notarii ad banchum Draconis.
Quatuor notarii ad banchum Leopardi.
Quatuor notarii ad banchum Moltoni.
Unus notarius memorialis.
Duo notarii concionum.
Quatuor Milites consules, qui solvant in fine officii.
Quatuor notarii Dugalium.
Judex fortium & regularum.
Sex notarii datiorum, vel eorum qui exercent officium.
Judex Procuratorum.
Duo Milites procuratores.
Duo Suprastantes officii bullæ commissionum.
Unus notarius dicti officii.
Unus Massarius commissionum, sive condemnationum ex commissionibus.
Quilibet prædictorum solvere debeat viginti solidos.
Cancellarius communis.
Duo Judices dugalium.
Judex datiorum.
Horum quilibet debeat solvere quadraginta solidos.
Unus Massarius dugalium.
Duo notarii fortium.
Quatuor notarii estimatorum, vel eorum qui exercent officium.
Laicus estimatorum.
Duo consiliarii Judicis procuratorum.
Quilibet prædictorum solvat decem solidos.

Quod notarii palatii singulo anno mutentur, & ad tribunalia deputentur per officiales venerabilis collegii notariorum. Cap. LXVIII.

CONFIDENTES de bono & certiori judicio venerabilis collegii notariorum, sive suorum officialium; Statuimus & loco illorum, quibus brevia veniunt officiorum palatii communis, quod qui suo arbitrio facere solent electiones notariorum ad tribunalia, ut plurimum eorundem, qui nunquam vel raro mutabantur, amodo Gastaldio, Sacrista, & Examinatores dicti collegii, sint illi, qui vel eorum major pars, singulis annis facere debeant electiones & deputationes notariorum debentium ad tribunalia infrascripta servire, & facere officia in actis causarum conscribendis. Et hoc secundum exigentiam loci & ipsorum notariorum sufficientiam: Ita quod ipsi notarii postea omnino vacare debeant per unum annum ab ullo tribunali, ad quod servierint. Et nihilominus bis in anno

no solvere teneantur sortes ipsorum officiorum juxta taxationes ascriptas illis, quibus brevia ipsorum venerint, perinde ac si ab habentibus illa brevia electi fuissent. Et quod aliquis notarius non possit nec debeat stare nec officium facere ad aliquod tribunal, ad quod non fuerit per modum prædictum deputatus. Sub pœna librarum decem pro quolibet & qualibet vice, applicanda pro dimidia cameræ nostri Illustrissimi dominii, & pro alia dimidia officio provisorum in communi, & si quilibet de prædictis accusator fuerit, dividatur per tertium. Sed & dominus Vicarius & Judices domini Potestatis, & alii Judices & Judices consules communis Veronæ teneantur & debeant vinculo sacramenti non permittere stare coram se ad acta conficienda aliquem notarium, nisi electum & deputatum ordine suprascripto.

Deputationes autem faciendæ sunt infrascriptæ, videlicet.

Ad tribunal domini Potestatis, sive ejus Vicarii — Notarii sex.

Ad tribunal Griffonis — Notarii duodecim.

Ad tribunal Reginæ Leonæ non computato. Notario stabili, Statutario; qui duret ad beneplacitum dicti collegii. Notarii duodecim.

Ad tribunal domini Judicis Maleficiorum — Notarij sex.

Ad tribunalia Judicum Consulum, & Consulum Militum communis Veronæ & Judicis procuratorum. Notarii quatuor pro quoque eorum.

Ad tribunal Judicis fortium — Notarii duo.

In aliis vero locum habeat electio, quam habentes brevia fecerint de aliis idoneis servata mutatione prædicta, & debita vacatione; & si electus non esset idoneus, vel renunciaverit, vel non acceptaverit, quod alius loco sui eligatur per dominum Potestatem cum consilio xii. & l. deputatorum, cadente electore ab electione prædicta.

Additum die xxv. Novembris, M.CCCC.LXVIII.

Quoque tres assignentur specialiter & nominatim ad scribendum in casibus mere criminalibus, & alii tres in caussis de quasi maleficiis, & illi de quasi non se impediant ullo modo de mero, nec e contra. Sed tamen omnia lucra & emolumenta dicti utriusque membri sint inter ipsos sex communia, & æqualiter inter ipsos sex sicut ex uno corpore dividantur, & proinde sibi constituant massarium unum ex se ipsis super omni perceptione solutionum prædictarum.

De octo consulibus, & eorum officio & salario. *Cap. LXIX.*

UBI majus est periculum, ibi cautius est agendum. Propterea Statuimus quod in consilio xij. & l. deputatorum Veronæ singulis sex mensibus eligantur octo consules, Quorum quatuor sint Judices de collegio advocatorum, & quatuor alii sint laici boni & idonei. Et quod Judices consules possint cognoscere de qualibet quæstione civili; Laici autem consules possint cognoscere de quæstionibus civilibus non exceden-

tibus

tibus summam, seu valorem quinquaginta librarum. Et quod quilibet consulum prædictorum habere debeat pro suo salario medii anni lib. xx. denariorum Veronensium a Camera Illustrissimi nostri dominii. Et quod dicti consules teneantur continue venire ad palatium omni die in quo Jus redditur, & stare ad banchas suas secundum quod fuerint deputati a principio campanellæ, quæ pulsatur pro jure reddendo usque ad aliam campanellam, quæ pulsatur, pro curia separanda. Et insuper interesse debeant curiæ condemnationum & in ipsa curia & condemnationibus & absolutionibus vocem habere cum domino Potestate ejus Vicario & suis Judicibus constitutis; & quod dicti consules de precepto domini Potestatis seu Judicis maleficiorum teneatur ire ad villas, & loca districtus Veronæ, quando in aliqua villarum commissum fuerit aliquod maleficium mortis, ad inquirenda maleficia, & ad facienda ea quæ in prædictis fuerint opportuna. Et quod eis satisfiat pro itinere & labore suo de bonis malefactorum per communia hoc modo, videlicet quod usque ad decem milliaria & abinde infra habeant & habere debeant pro quoque unum ducatum auri, & abinde supra usque ad viginti milliaria unum ducatum auri cum dimidio, & abinde supra, quotquot sint milliaria tres ducatos auri omnibus ipsorum judicum consulum, & consulum militum, & cujuslibet eorum expensis. Judex vero maleficiorum, qui cum ipsis equitaverit habere debeat idem salarium & medietatem de pluri. Cæterum in casu mortis quæ casualiter accideret, quod aliquis suffocaretur in aquis vel de alto caderet vel aliter ex se violenta morte periret; accipere possint prædicti consules & judex maleficiorum dimidium ejus quod supradictum est. Nec ultra supradictas quantitates aliquid aliud accipi possit pro expensis, dono, seu aliter. Sub pœna librarum centum cuilibet contrafacienti & qualibet vice, & perpetuæ privationis officii, quod haberet, applicandarum pro dimidia Cameræ Illustrissimi nostri dominii, & pro alia dimidia officio provisorum in communi. Et si accusator adfuerit dividatur per tertium, & teneatur in credentia. Et prædicta de salario locum non habeant in urbe, nec suburbiis. Pro inquisitionibus vero homicidiorum spectantibus Magnifico domino Capitaneo Stipendiariorum præfecto loco consulum, quos ipse non habet, equitare debeat judex maleficiorum domini Potestatis, tanquam judex maleficiorum domini Capitanei cum cancellario ipsius domini Capitanei. Qui judex habeat idem salarium, quod supra; Cancellarius vero idem, quod notarius consulum habet. Et hoc de bonis malefactoris tantum; ita quod communia villarum de stipendiariis nullatenus teneantur, nec ultra per dictum Judicem & cancellarium & alium quemcunque accipi possit, quod supra limitatum est. Sub pœna prædicta applicanda ut supra. Et quod dicti consules in principio sui regiminis jurare teneantur coram domino Potestate attendere & observare præcepta domini Potestatis & reddere jus omnibus petentibus secundum leges & bonos mores, & Statuta communis Veronæ, & in con-

condemnationibus & absolutionibus justum judicium pro bona sua conscientia secuturos, sub pœna decem librarum denariorum pro quoque & quaque vice, applicanda ut supra.

Interpretatum fuit per consilium die xxvij. Augusti. M.cccc.lvi.

Quod doctores non collegiati non possint eligi milites consules, tanquam qui laici non sint.

Additum die xxvij. Augusti. M.cccc.lxiv. per consilium.

Quod consules curiæ faciant inter se bussolum de cavalcatis faciendis cum D. Judice maleficiorum; ita quod per sortem ordinariam unusquisque eorum ad quem, & prout sors venerit, equitet cum dicto D. Judice ad maleficia, sub pœna amissionis unius ducati de suo salario pro quaque vice, qui sibi retineatur in sua bulleta, nisi justam habuerit causam approbandam per dominum Potestatem, qui taliter excusatus ponatur in bussolum sortiendus per sequentes vices.

De sex tabellionibus ad banchum maleficiorum Cap. LXX.

ITEM Statuimus, quod sex notarii eligantur, quando dantur brevia in palatio, illo modo & forma, quibus alii eliguntur, & per collegium notariorum deputantur, qui exerceant officium notariæ coram domino Potestate, & coram Judice maleficiorum, & debeant ire cum consulibus vel sine consulibus jussu domini Potestatis vel sui judicis maleficiorum pro maleficiis inquirendis, tam in civitate, quam extra, qui habere debeant tantundem salarii pro itinere suo prout concessum est consulibus in proximo præcedenti Statuto comprehensis; & hoc locum habeat solummodo in villis: & quod eorum officium duret per annum & non ultra. Et quod aliquo modo stare non possint ad dictum officium, nisi cessaverint per unum alium annum. Et quod dicti notarii post exitum sui officii infra quinque dies debeant præsentasse & dedisse omnia sua acta, processus & quaternos Judici maleficiorum; sub pœna x. librarum denariorum; qui judex infra tertium diem post quinque dictos dies, distribuere debeat dictos processus inter notarios subsequentes ad sortem, sub pœna librarum decem denariorum. Item quod nullus notarius debeat sedere ad banchum maleficiorum, qui non habeat ibi officium, sub pœna libre x. denariorum. Item quod nullus notarius maleficiorum anno præcedenti possit esse consul laicus.

De notariis concionum, & eorum officio ac salario. Cap. LXXI.

ITEM Statuimus, quod notarii concionum communis Veronæ vocati antiquitus notarii cameræ communis Veronæ solummodo duo esse debeant, & eligantur in consilio majori, quando dantur brevia in palatio, &

deputentur per collegium notariorum, qui teneantur facere omnia instrumenta ad quæ vocati fuerint, pertinentia communi Veronæ sine aliquo pretio. Et non debeant aliquem scribere in treuga, seu extra treugam communis Veronæ sine mandato domini Potestatis seu ejus Vicarii, vel suorum Judicum, vel Judicum Consolum, vel Judicis procuratorum communis Veronæ; excepto, quod pro debitis & reclamis etiam de mandato Consulum & estimatorum communis Veronæ possint aliquos extrahere de treuga, & ipsos in treugam ponere, secundum quod receperint in mandatis. Et quod dicti notarii concionum teneantur per unum mensem ante exitum sui officii facere duos libros, in quibus scribantur exempti de treuga ab excedendo dictos libros: In uno quorum contineantur exempti de tregua pro maleficiis, & in alio exempti pro debitis & reclamis. Et tres alios libros, in uno quorum scribantur publicationes emancipationum. In secundo publicationes tenutarum, quæ fiunt pro ancianiis mulierum conjugatarum, videlicet pro exactione suarum dotium constante matrimonio. In tertio vero publicationes alienationum, quæ per Statutum solent publicari; & unum alium librum omnium cridatuum exemptionis de treuga, ac etiam unum librum treugarum sive bannorum. Qui libri semper maneant ad cameram ipsis notariis deputatam. Et in exitu eorum officii dictos libros suis successoribus debeant consignare; Ita quod continue debeant in camera permanere. Et teneantur singulos dies juridicos per ordinem notare in libro membrano, per quem librum dies juridici comprobentur, vel per cartam autenticam inde sumptam, sicut per librum, qui hodie fit & tenetur ad banchum juris domini Potestatis. Et illud idem intelligatur de generali locatione placitorum, ad hoc ut volentes possint habere copiam de omnibus prædictis; & quando extrahunt aliquem seu aliquos de treuga pro aliquo seu aliquibus debitis, debeant scribere in libro, pro quibus debitis, & quantitatem debiti, seu debitorum, & ad petitionem quorum ea facta fuerint, & quod prædicti notarii habere & percipere debeant a camera Veronæ duodecim libras denariorum Veronensium pro eorum salariis pro quoque. Et si fecerint instrumenta alicui personæ vel universitati percipere possint de condemnatione centum librarum, & abinde supra cujuscunque conditionis, triginta solidos Veronenses, & non ultra; & a centum libris infra usque ad l. libras, xv. solidos; Et a l. libris infra, quinque soldos, etiam si plures fuerint condemnati in eadem condemnatione. De absolutionibus autem possit accipere quinque soldos, etiam si plures de eodem negotio fuerint absoluti. Et prædicta locum habeant in absolutionibus & condemnationibus, quæ fiunt per dominum Potestatem de voluntate curiæ absque consilio sapientum. De condemnationibus autem & absolutionibus, quæ fiunt per ipsum dominum Potestatem de consilio sapientum extra curiam, possint percipere & habere medietatem ejus, quod habere debent consiliarii; & pro pretiis antedictis dicti notarii faciant, & dent petentibus dicta instrumenta condemnationum & absolutionum. Si autem abso-

absoluti dicta instrumenta absolutionum non peterent, tunc dicti notarii habere debeant duos solidos. Item accipere possint dicti notarii quatuor solidos pro extrahendo de treuga homines seu personas pro debitis & reclamis, etiam si plures essent exempti & obligati pro uno debito, & si fuerit autenticatum sex solidos. Item solidos sex pro quoque posito in treuga pro maleficio & debito. Et quod si plures essent, qui ponerentur in treuga pro uno maleficio & debito, sive pro uno debito dicti notarii non possint, nec debeant plus recipere: Exceptis positis in banno pro homicidio vel alio delicto, unde quis deberet damnari ad mortem, de quibus accipere possint viginti solidos & minus, inspecta qualitate personarum & conditione facti. Item tres solidos de treuga, & carta treugæ de illis, qui sunt extra treugam communis Veronæ usque ad summam l. librarum a quolibet petente, & abinde supra usque ad centum lib. quinque solidos; & a centum lib. supra cujuscunque quantitatis sit, & quacumque de causa x. solidos. Item tres solidos de carta dierum juridicorum autenticata pro quoque mense. Item v. solidos de carta publicationis tenutarum, venditionum, donationum, & aliarum alienationum, & quarumcunque aliarum publicationum: Salvo, quod si continerent in se plures petias terrarum, sive res, sit arbitrio judicantis. Et quod notarii talearum, nec aliqui alii possint, nec debeant de prædictis sententiis latis in concione facere instrumenta, pœna sexaginta solidorum pro quoque contrafaciente & quaque vice.

Quod notarii non vendant, nec permutent officia.
Cap. LXXII.

ITEM Statuimus, quod nullus notarius, nec alius officialis communis Veronæ ordinarius vel extraordinarius possit vendere neque permutare, neque aliter dare suum officium, sed per seipsum facere teneatur: Salvo Statuto præcedenti posito sub rubrica; Quod notarii singulo anno mutentur. Et si quis contrafecerit, puniatur in libris xxv. applicandis pro dimidia Cameræ Illustrissimi nostri dominii, & pro alia dimidia communi Veronæ officio provisorum. Et si accusator fuerit per tertium dividatur: Et insuper dictus talis tabellio cadat ab officio.

Quod electi ad officia teneatur ipsa personaliter exercere.
Cap. LXXIII.

ITEM Statuimus, quod quicunque deinceps electus fuerit in aliquod officium ordinarium vel extraordinarium communis Veronæ, illud personaliter debeat exercere, & non per interpositam personam ullo modo, vel ingenio; nec se ab illo absentare sine licentia domini Potestatis: Sub pœna amissionis salarii, si fuerit de habentibus salarium, & priva-

tionis ab officio, & decem librarum denariorum, & plus arbitrio domini Potestatis cum consilio xii. deputatorum, applicandarum pro dimidia cameræ Illustrissimi nostri dominii, & pro alia dimidia communi Veronæ officio provisorum, & si accusator fuerit per tertium dividatur: & quod nullus possit vel debeat stare ad aliquod officium exercendum, nisi electus fuerit ad illud secundum ordines; Sub pœna xxv. librarum pro quolibet contrafaciente. Et tantundem pro quolibet acceptante, volente, & substinente ipsum sic stare ad officium ad quod electus non fuerit, applicandam ut supra.

Quod officiales teneantur esse & stare ad sua officia omnibus diebus & horis debitis. Cap. LXXIV.

ITEM Statuimus, quod omnes & singuli officiales communis Veronæ, tam qui eliguntur ad brevia palatii, vel deputantur per collegium notariorum, quam qui eliguntur per consilia civitatis esse debeant omnibus diebus, & horis debitis ad sua officia, & ea solicitare & exercere cum diligentia quantum convenit: Sub pœna cuique non reperto ad suum officium decem solidorum pro quaque vice, sive appontatura, exigenda per provisores communis, qui per se vel per fidelem officialem suum de hoc esse debeant omnibus diebus, & horis soliciti inquisitores: Non derogando per hoc Statuto proxime præcedenti.

Quod nullus intret officium, sine juramento præstito & litteris domini Potestatis. Cap. LXXV.

ITEM Statuimus quod aliquis qui fuerit electus ad aliquod officium de his, quæ conferuntur in consilio xii. & l. deputatorum, aut xxiv. intrare illud non præsumat sine debito juramento prius præstito secundum ordines super dicto officio, coram domino Potestate in actis cancellarii communis, & sine litteris domini Potestatis de dicto officio ab ipso cancellario scriptis. Et si quis contrafecerit, non valeat quod fecisset, & cadat ob officio, aut solvat xxv. libras denariorum arbitrio domini Potestatis, & nihilominus dictum juramentum præstare, & litteras accipere teneatur; & quilibet sic acceptans, volens, aut substinens ipsum cadat in pœnam librarum x., quarum pœnarum dimidia sit cameræ Illustrissimi nostri dominii, & alia dimidia officio provisorum in communi.

De Cancellario communis eligendo. Cap. LXXVI.

MUNUS cancellariæ communis Veronæ propter summam tum personæ, tum rei ipsius importantiam & diuturnitatem, speciali nota dignum est: Et eo quidem magis, quo illud est cum cancellaria domini Potestatis uni-

unitum. Propterea Statuimus, quod cum bona semper & matura deliberatione fieri debeat electio de viro, qui sit de collegio notariorum Veronæ, & civis originarius Veronæ, ipse & pater ejus, bonus, prudens, & doctus, & in arte dicendi peritus, & in primis fidelis ad statum Illustrissimi nostri dominii, & ad commune Veronæ, & hoc in consilio xij. & l. ad utilia communis Veronæ deputatorum cum presentia domini Potestatis; in quo consilio sint ad minus tres partes de quatuor partibus per scrutinium & ballottas, & qui plures habuerit ballottas, dummodo habeat duas partes presentium in dicto concilio, ille sit cancellarius communis ad beneplacitum communis Veronæ duraturus, sicut est de præsenti Silvester de Landis ejusmodi cancellarius noster, & processores sui loco illorum duorum, qui ab antiquo vocabantur notarii intus domini Potestatis, seu dictatores; de cujus cancellarii electione confirmanda per Illustrissimum nostrum dominium detur eidem Illustrissimo dominio notitia per dominum Potestatem. Qui cancellarius eligere & tenere sibi debeat unum bonum & fidelem ac expertum coadjutorem notarium, & civem originarium Veronæ, & accipere cum cancellario domini Potestatis solutiones scripturarum secundum limitationem factam per Statutum communis Veronæ positum in secundo libro, & secundum bonos mores & laudabiles consuetudines cancellariæ, ubi Statutum non disponit.

De duobus provisoribus communis eligendis, qui etiam sint Sindici. Cap. LXXVII.

ITEM Statuimus, quod duo cives eligantur provisores communis Veronæ per scrutinium & ballottas in consilio xij. & l. deputatorum cives natione, maturæ ætatis, honorabiles & præstantes ac bene intelligentes de regimine civitatis, quorum officium duret sex menses tantum, & vacare debeant ab eodem tantum per menses decem & octo; & fieri debeat dicta electio singulis tribus mensibus de uno; Ita quod alter præveniat alterum in officio per tres menses. Qui provisores sint etiam sindici communis Veronæ ad lites, ad agendum & defendendum & substituendum in illis, & mutari debeant inter vices per trimestre: Ita quod unus attendat per tres menses specialiter ad capsam, & ad exigendum quascunque pecunias communis; alter vero eodem tempore ad convocanda consilia, & ad tractandas causas, & negotia communis, in quibus tamen uterque sibi invicem suffragentur: Et in principio jurare teneantur in manibus domini Potestatis, utilia facere pro communi Veronæ, & inutilia prætermittere, & ipsum commune indefensum non relinquere: Salvo eo quod semper uti valeant veritate; &

& salvo semper & antepofito honore Illuſtriſſ. noſtri dominii Venetiarum.

Additum in fine die xix. Julii. M. cccc. li. per conſilium.

Et non poſſint nec debeant ſe ab officio, ſeu a civitate abſentare, ſub pœna amittendi ſalarium unius menſis pro quaque vice; poſſit tamen altero eorum remanente ab officio, ſeu a civitate ſe abſentare, per quinque dies tantum in menſe, cum licentia ſemper D. Poteſtatis inſcriptis. Qui per plures dies licentiam dare non debeat ſine conſenſu conſilii xij. deputatorum, ſub pœna prædicta, proviſori alteri impetranti.

Additum etiam die. xviij Octob. M. cccc. lviij.

Quod duo de eadem caſada non poſſint ſimul eodem in officio eſſe.

De ſcribano proviſorum eligendo. Cap. LXXVIII.

ITEM Statuimus, quod in dicto conſilio xij. & quinquaginta per ſcrutinium & ballottas eligatur unus civis ætatis ad minus xx. annorum bonus, ſufficiens & fidelis pro ſcribano proviſorum communis, ſpecialiter ad memoriale ſive librum incontri dictorum proviſorum, & ad alia quæ ſcribenda occurrerent, maxime circa intratas & expenſas communis, & ſecundum mandata ipſorum proviſorum. Qui ſcribanus durare debeat in dicto officio ad beneplacitum communis; Et in principio jurare debeat in manibus domini Poteſtatis ſuum officium fideliter exercere:

Quod de pœnis applicatis communi Veronæ officio proviſorum, Proviſores ipſi habeant quartam partem ipſarum a ſeſe exactarum. Cap. LXXIX.

ITem Statuimus, quod proviſores communis Veronæ de omnibus & ſingulis pœnis applicatis per Statuta communi Veronæ quas ipſi proviſores executioni mandaverint, ſeu mitti fecerint, & exegerint in communi, habere debeant quartam partem ipſarum a ſeſe exactarum.

De Sacreſtia pro juribus communis conſervandis Cap. LXXX.

ITEM Statuimus, quod conſtitui debeat unus locus bene tutus, & aptus pœnes locum officii proviſorum pro ſacreſtia communis, in qua reponantur & ſerventur omnia inſtrumenta, privilegia & jura communis Veronæ bene ordinata, & ſuis locis bene diſpoſita per Cancellarium communis, & quod ſuper ipſa ſacreſtia eſſe debeant tres claves; quarum una

una ſtet pœnes ipſum cancellarium, alia pœnes juriſtam, qui de tempore in tempus reperietur caput conſilii xij. deputatorum, & alia pœnes proviſores communis.

Quod omnes ſcripturæ ad commune pertinentes, conſignari debeant officio proviſorum per omnes officiales communis eorum officio finito, infra menſem. Cap. LXXXI.

ITEM, quod omnes officiales communis Veronæ quocunque nomine cenſeantur, teneantur & debeant eorum officio finito, infra unum menſem dare & conſignare officio proviſorum communis in ſacriſtia reponendas omnes ſcripturas ad commune Veronæ pertinentes, per eos in dictis eorum officiis factas. Et qui contrafecerit pro quolibet & qualibet vice in lib. x. danar. per proviſores exigendis puniatur.

De privilegiis communis Veronæ manutenendis, & ſcribendis, & eorum originalibus in eamdem ſacreſtia deponendis. Cap. LXXXII.

PRIVILEGIA & conceſſiones data & conceſſa communi Veronæ a D. Federico olim Romanorum Imperatore, & ab aliis principibus Eccleſiaſticis, & ſecularibus inviolabiliter obſerventur, & diligenter perquirantur. Et ipſis adinventis auctoritate judicis in formam publicam exemplentur, quorum originaria in edem ſacram deponantur. Exempla vero eorumdem reponantur in ſacreſtia communis Veronæ regiſtrata etiam in cancellaria communis: eodemque modo fiat, & obſervetur etiam de privilegiis obtentis ab Illuſtriſſimo noſtro dominio Venetiarum.

De parangonis ponderum & menſurarum habendis, & tenendis in officio proviſorum. Cap. LXXXIII.

AD obviandum fraudibus Statuimus, quod proviſores communis Veronæ fieri faciant expenſis communis, & perpetuo habere ac tenere debeant in officio ſuo ſub clavi, parangona omnium & ſingularum menſurarum, tam capacitatis, ſicut ſunt a blado, vino, oleo, ſale, & ſimilibus, quam menſurationis ſicut ſunt paſſus perticæ, & ſimilia. Item omnium & ſingulorum ponderum, tam de ſtateris quam de balanciis, de quorum omnium & ſingulorum cuſtodia & conſervatione quilibet proviſor teneatur

De aſ-

De affictationibus possessionum communis provisores communis securitates accipiant, & librum de eis faciant. Cap. LXXXIIII.

ITEM Statuimus, quod provisores communis Veronæ teneantur accipere bonas & idoneas securitates ab omnibus personis quibus locaverunt aliquid de possessionibus pertinentibus communi Veronæ: Quæ securitates scribantur pœnes officium dictorum provisorum; Qui insuper teneantur fieri facere unum librum dictarum locationum, in quo scribantur nomina conductorum, & quid locatum fuerit, pro quanto pretio, & ad quantum tempus. Et hoc attendat banno centum solidorum pro quaque vice.

De possessionibus & juribus communis manifestandis. Cap. LXXXV.

ITEM Statuimus, quod quicunque indebite tenuerit de possessionibus vel juribus communis Veronæ, si eas & ea non manifestaverit in communi Veronæ puniatur arbitrio domini Potestatis, & totius curiæ, vel majoris partis: Et de hoc quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni.

De præmio dando manifestantibus loca, & jura communis occupata. Cap. LXXXVI.

ITEM Statuimus quod provisores communis Veronæ, & milites procuratores teneantur inquirere & inquiri facere contra quoscuque occupantes loca communis, & alios occultantes jura communis; & intuendo & recuperando loca & jura operam pro viribus dare, Et quilibet possit denuntiare, & luceretur duos solidos pro libra pretii, vel rei ex dicta denuntiatione recuperatæ & teneatur in credentia. Et siquis de possidentibus dicta loca sentiret se gravari, possit habere recursum ad dominium Potestatem pro suo jure tuendo.

De possessionibus in communi manifestatis non auferendis sine causæ cognitione. Cap. LXXXVII.

ITEM Statuimus, quod si possessio aliqua manifestata fuerit in communi tanquam communis Veronæ, sive quod debeat ipsi communi sub aliquo quocunque nomine, vel causa pertinere, non possit, nec debeat auferri ipsa possessio, nisi primo cognita fuerit ratio dictæ possessionis, ad quem spectet de jure, dummodo ille, qui teneret seu possideret, ostenderit se possideret, quæ quidem cognitio esse debeat summaria; & illi qui injuste manifestaverunt dictam possessionem in communi, condemnentur in

in x. libr. pro quoque & quaque vice, ipsis manifestatoribus prius citatis ad defendendum manifestationes per eos factas, si adesse voluerint, & prędicta caussa agatur cum ipsis manifestatoribus, & non cum provisoribus, aut sindicis communis Veronæ: Sed ipsi provisores vel sindici possint, si voluerint ipsi caussę adesse: Et quod ipsi manifestatores si convicti fuerit non juste manifestasse, condemnentur in omnibus expensis factis in judicio occasione dictę manifestationis illis, qui obtinuerint in lite.

Quod ratio fiat de dotibus, quæ debentur ex bonis communis Veronæ. Cap. LXXXVIII.

DOTIS actio semper est ubique præcipua. Propterea Statuimus, quod si aliqua persona in bonis eorum, qui sunt vel erunt extra Civitatem Veronę pro inimicis Illustrissimi nostri Dominij Venetiarum, & communis Veronę, vel contra eos habet aut habuerit aliquod jus occasione dotis, quæ debebatur ab ipsis; Et de hoc fuerit instrumentum publicum, vel alię legitimę probationes; Quod fiat ei ratio non obstante aliqua præscriptione temporis, nec Statuto aliquo loquente in contrarium.

De Vicario domus mercatorum eligendo, & aliis officialibus dictæ domus. Cap. LXXXIX.

VICARIATUS domus mercatorum inter omnia communis Veronę officia jurisdictionem habentia, sicut a majoribus nostris, Ita a nobis habetur, & perpetuo habendus est primus, & pręcipuus; Ita ut Vicarius ipse primum pęnes dominos Rectores locum debeat obtinere. Statuimus igitur, quod quibuslibet sex mensibus in consilio xij. & l. deputatorum eligatur Vicarius civis originarius Veronę honorabilis, prudens, bonę reputationis & famę. Item cum eo eligatur unus alius civis bonę conditionis, & famę, & bene doctus & praticus, maxime de arte lanę, & de omnibus pertinentibus ad illam; Et de factis aliarum artium, & misteriorum dictæ domui suppositorum, qui sit miles consul dictæ domus.

Item eligantur eodem tempore tres alii cives Idonei, & sufficientes consules dictæ domus.

Item Notarius stabilis unus.

Item unus Massarius.

Qui omnes, & singuli in manibus domini Potestatis jurare teneantur suum officium bene, & recte facere secundum Statuta, & ordinamenta dictæ Domus, & secundum honorem regiminis domini Potestatis, & communis Veronæ.

Declaratum die xviij. Octob. M.cccc.lviij.

Quod duo de eadem casada non possint simul eodem in officio esse, etiam cognati.

Ut sententiæ, & condemnationes latæ per Vicarium, & consules Domus Mercatorum executioni mandentur, & de appellationibus earum. Cap. XC.

ITEM, quod sententiæ, & condemnationes latæ per Vicarium, vel Consules Domus Mercatorum Veronæ executioni mitti debeant, & attendi super facto mercandariæ, & artium, sive misterlorum, etiam per dominum Potestatem ejusque Vicarium & Judices, & Judices consules communis Veronæ; ab iis tamen sententiis, quæ summam, vel valorem excederent lib. x. & a diffinitivis tantum quilibet gravatus possit appellare ad dominum Potestatem, & d. Camerarium Veronæ infra tertiam diem: Solvendo tamen, aut dando securitatem de satisfaciendo sententiæ. Qui dominus Potestas, & Camerarius dictas appellationum caussas teneantur, & debeant omnino in termino xxx. dierum diffinisse & expedivisse ipsas sententias, seu condemnationes, confirmando, vel infirmando, seu reformando: Et ipsa diffinitio sit res judicata, & executioni mittatur, nec contra eam illi, vel alii ultra ulterius audientia præbeatur. Et dicta appellationis instantia durare possit xxx. diebus continuis, a die appellationis interpositæ, & non ultra. Qui terminus xxx. dierum non possit per dominum Potestatem, vel Camerarium modo aliquo, etiam de partium voluntate prorogari, nisi semel tantum; dummodo ipsa prorogatio alios xxx. dies non excedat ullo modo: Sed ipsa sententia & condemnatio, lapso dicto termino, in rem transeat judicatam, & executioni mittatur, nulla exceptione prorsus obstante. Et quod pro executione sententiarum, & condemnationum dictæ domus a x. lib. supra dominus Potestas pro communi Veronæ præconizari, & vendi faciat bona eorum, qui in solutionibus cessaverint per æstimatores communis Veronę tantum, & observata forma Statutorum communis Veronę, etiam non per alios.

Reformatum die ultimo Maji. M. cccc. lij. & confirmatum per Ducales litteras datas die x. Junii. M. cccc. lij. Ut loco domini Camerarii intret Magnificus d. Capitaneus Veronæ.

De appellationibus non recipiendis a sententiis & condemnationibus latis per Vicarium & Consules Mercatorum a decem libris infra. Cap. XCI.

ITEM, quod dominus Potestas & dominus Camerarius Veronæ admittere non debeant appellationes a sententiis vel condemnationibus latis per Vicarium, vel Consules Mercatorum super facto mercandariæ, & artium

tium sive misteriorum, non excedentibus summam, seu valorem lib. x. Veronensium: Sed ipsas sententias & condemnationes de lib. x. & abinde infra, ipse d. Potestas attendi faciat & executioni mittere debeat, nulla exceptione obstante, omni occasione, & minori ætate cessante.

Quod Statuta Domus Mercatorum observentur, dummodo non sint contraria Statutis Civitatis. Cap. XCII.

POSTÆ, sive Statuta Dominus Mercatorum Veronæ omnia, & singula debeant observari, dummodo non sint contra Statuta Civitatis, seu communis Veronæ. Et si quæ postæ seu ordinamenta facta fuerint, seu fierent per domum mercatorum absque consilio. xij. & quinquaginta ad utilia communis Veronæ deputatorum, ipso jure non valeant.

De quibus instrumentis crediti, officiales domus mercatorum cognoscere non possint. Cap. XCIII.

ITEM, quod officiales domus mercatorum cognoscere non possint, nec debeant de aliquo instrumento alicujus crediti facti sub specie alicujus mercati, seu mercandariæ, nisi constet creditorem tempore facti instrumenti fuisse usevolum mercatorem ejus mercationis, de qua in dicto instrumento sit mentio: Et quicquid contrafactum fuerit, ipso jure sit irritum & inane.

De quibus caussis cognoscere possint Consules domus Mercatorum, & de quibus non, & inter quos. Cap. XCIV.

ITEM, quod Vicarius, & Consules Domus Mercatorum Veronæ cognoscere non possint, nec debeant de aliquibus causis, nisi mercationum, & de his, quæ spectant ad mercandariam; Et tantum inter mercatores usevolos, vel qui sint de aliquo misterio. Et quicquid contrafactum fuerit, ipso jure non valeat.

De Capitaneo carcerum eligendo, & ejus officio. Cap. XCV.

PIETATEM cum Magnificis Rectoribus nostris colentes in primis erga carceratos; Statuimus, quod per ipsos dominos Rectores eligatur, & deputetur Capitaneus carcerarum Veronæ unus vir bonus, timens Deum, pius & caritativus, qui sit in dicto officio ad beneplacitum ipsorum dominorum Rectorum, & cum illis custodibus qui, & quot eis videbuntur. Cujus officium sit in primis bona custodia dicti carceris, deinde omnis justus favor dictorum carceratorum, & maxime notificandi, & reducendi sæpe ad memoriam. d. Rectorum & Judicum de personis,

& caussis singulorum carceratorum. Et teneatur de bona custodia facienda per ipsum, & famulos custodes sibi deputatos. Præstare ipsis dominis Rectoribus idoneam securitatem, de illa quantitate pecuniarum, quę ipsis d.d. Rectoribus videbitur convenire. Qui etiam teneatur apud ipsos d.d. Rectores curare, quod per ipsos sit deputatus unus bonus Massarius, sive Caniparius eleemosynarum, quę fiunt ipsis carceratis, & introituum, & legatorum dictorum carcerum, & carceratorum.

ITEM similiter duo boni, & reputati cives dispensatores dictarum eleemosynarum, & introituum, tam pro victu, quam pro relaxatione pauperum carceratorum simul cum Capitaneo prędicto, qui etiam deputati dispensatores debeant sæpius carceres visitare, & Magnificis Rectoribus denunciare, si qua forte injustitia, aut violentia fieret alicui carcerato per ipsum Capitaneum, vel custodes suos, contra Statuta dictorum carcerum, & bonas consuetudines.

De duobus Capitaneis ad vetita citra, & ultra Athesim eligendis, & de eorum officio. Cap. XCVI.

ITEM statuimus, quod eligi debeant duo Capitanei vetiti per nostrum Illustrissimum dominum, sive per dominos Rectores in districtu Veronæ: Unus citra Athesim, alter ultra, cum illo numero equorum, & stipendio, prout videbitur Illustris. nostro dominio; Viri prudentes, fideles, boni & apti, quorum officium principaliter sit contra rebelles Illustris. dominij nostri, & bannitos communis Veronæ ad capiendum illos, & conducendum in fortiam communis Veronæ, & in contrabannis, quæ per Veronensem districtum conducerentur, seu fierent; Et contra portantes arma vetita, & facientes rixas & maleficia, & alia contra Statuta communis Veronæ, ad suum officium armorum, & vetitorum pertinentia, cujus etiam commissio consueta est infrascripta: Salva tamen omni alia commissione, sive capitulo, quod & quam videretur Illustris. nostro dominio darę, addere, vel mutare.

Primo, quod ipse Capitaneus habeat equos duodecim cum salario ducatorum duodecim, pro quaque lancia, a camera dominationis nostræ.

ITEM, quod dictus Capitaneus habeat auctoritatem, & libertatem persequendi, & capiendi, & capi faciendi quoscumque homicidas, fures, robatores stratarum, assassinos, malandrinos, malefactores, & quoscumque rebelles & suspectos Illustris. nostro dominio, & bannitos de vita; Et quoscumque receptatores scienter ipsorum, & omnes dantes eis, auxilium, consilium, & favorem, aut cibum, potum, vel hospitium, & quoscumque inflagranti crimine repertos, & etiam condemnatos ad carceres: illos captos ea die, vel sequenti consignet, & præsentet dominis Rectoribus Veronæ. Sub pœna privationis officij, & plus & minus arbitrio ipsorum dominorum Rectorum.

ITEM

ITEM capiendi, & capi faciendi quoscumque repertos arma vetita portare actualiter de die, & de nocte, ac ipsos captos conducant, & consignent dominis Rectoribus condemnandos suo arbitrio infra terminum suprascriptum. Sub pœna prædicta. Quarum condemnationum de armis vetitis dimidia sit dicti Capitanei, & alia cameræ dominationis nostræ. Exceptis infrascriptis: Videlicet primo forensibus, viandantibus, & alienigenis ab aliis partibus accedentibus ad territoria præfatæ dominationis, vel recedentibus, vel per ea transeuntibus, dummodo cum fuerint hospitati, arma deponant, quousque recedere voluerint.

ITEM nobilibus & civibus, & mercatoribus consuetis, cum omnibus famulis suis.

ITEM omnibus licentiam habentibus inscriptis a dominis Rectoribus, vel altero eorum.

ITEM quibuscumque provisionatis, & officialibus præfatæ dominationis, eorumque famulis secum ad vinum, panem & victum commorantibus.

ITEM quibuscumque datiariis, & eorum officialibus, quibus vigore pactorum concessum fuerit arma portare per dominum Potestatem in scriptis.

ITEM rusticis portantibus instrumenta ferrea apta ad agriculturam, & nemora.

ITEM, dictus Capitaneus, si cognoverit aliquem de his, qui possint arma portare, esse hominem rixosum & tumultuosum, habeat libertatem hujusmodi licentiam armorum interdicere, & id dominis Rectoribus significare.

ITEM, quod ipse Capitaneus nullam servet licentiam, extra prædictos casus, concessam arma portandi: Salvo si per dominum Potestatem talis licentia esset concessa caussa aliquos capiendi, quæ pro tunc debeat observari. Item, quod ipse Capitaneus si sciverit de aliquo rixoso & scandoloso homine consueto talia committere, per quæ turbetur pacificum vivere, talem debeat capere, & d. d. Rectoribus consignare infra terminum prędictum. Sub pœna prædicta.

ITEM, quod ipse Capitaneus per se, vel aliquem de familia sua non pręsumat aliquo modo ad petitionem alicujus personæ cujuscumque conditionis existat, citari facere, neque pignorare, nec aliquam commissionem, nec sequestrum, nec aliquem actum judiciarium facere, vel fieri facere, neque aliter se impedire, nisi ut supra in dicta commissione continetur. Sub pœna prædicta: & famuli qui contrafecerint standi quatuor menses in carceribus Veronæ. Cum licentia autem speciali dominorum Rectorum possint detinere omnes inobedientes, quos ipsi vel alter eorum scripserint per suas litteras suo sigillo de sua cancellaria bullatas, detineri debere, & non aliter.

Contra vero debitores camerę Verorę, qui scilicet sunt principales debitores, & non contra aliquos alios ullo modo, procedere possit, quando sibi

sibi per dominos Rectores fuerit scriptum per suas litteras bullatas, ut supra & non aliter. Et tunc debeat aut pignora accipere, aut personaliter ipsos debitores detinere, & præsentare aut illa, aut illos, infra terminum suprascriptum. Et nullam solutionem ab illis possit accipere, nisi prius, aut pignus acceperit, aut personam detinuerit. Quo casu sibi faciat solui condecenter ab ipsis, sub pœna prædicta.

ITEM quod tenere non debeat aliquem cancellarium, vel notarium, vel alium, qui faciat officium tabellionis, neque tenere banchum ad reddendum jus, vel faciendum aliqua acta. Et quod non debeat accipere per se, vel famulos suos aliquas securitates, vel defesias a massariis villarum, sub pœna prædicta.

ITEM quod ipse Capitaneus præter suam firmam habitationem, commorari non possit in aliquo loco districtus Veronæ per se, vel famulos suos, ultra tres dies continuos, sed debeat equitare, & sollicitare de loco ad locum persequendo malefactores.

ITEM quod ipse per se, & suos famulos debeat diligenter attendere ad contrabanna salis, bladorum, lanarum & omnium aliorum vetitorum, & quæcumque contra banna invenerit per se, vel famulos suos, illa debeat ea die, vel sequenti denunciare ut supra. Et quod non possit pro ipsis quicquam accipere, nisi illud, quod per condemnationem sibi venit, sub pœna prædicta.

De Capitaneo Lacus Gardæ eligendo. *Cap. XCVII.*

ITEM statuimus, quod in consilio duodecim & quinquaginta eligi debeat unus bonus, & fidelis civis natione Veronensis, maturæ ætatis, bonæ prudentiæ & aptitudinis confirmandus per Illustrissimum nostrum dominium, sive per dominos Rectores; Qui sit Capitaneus Lacus Gardæ, cum salario a camera Illustriss. nostri Dominij consueto. Cujus officium principaliter sit contra rebelles Illustrissimi nostri Dominij, & bannitos communis Veronæ, & in contrabannis, quæ sursum, deorsum & versum quaque conducuntur per universum ipsum Lacum; usque in ripas forenses exclusive. Cujus etiam commissio est infrascripta, videlicet; Salva tamen omni alia commissione, sive capitulo, quod & quam videretur Illustrissimo nostro Dominio dare addere vel mutare.

Primo quod dictus Capitaneus habeat de salario de Camera Illustrissimi nostri Dominij ducatos decem auri.

ITEM quod vigilanter & sollicite attendere debeat ad bonam custodiam dicti Lacus providendo, quod in ipso, nec per ipsum transeant aliqui tractantes, aut agentes aliquid contra statum & honorem prælibati Dominij, nec aliqui ipsius rebelles & inimici, aut banniti communis Veronæ. Quos omnes capere debeat, & in fortiam dominorum Rectorum conducere.

ITEM,

ITEM, quod teneatur habere & tenere ſpecialiter pro ſua perſona unum ganzerolum armatum in punto & ordine, in quo exequi poſſit omnia, quæ ad ſuum ſpectant officium, expenſis eorum, qui ad id tenentur, ſecundum modos conſuetos.

ITEM, quod procurare & facere debeat, quod unumquodque commune dicti Lacus habens ganzarram & alias naves, & obligatum ad tenendum & navigandum illas, debeat eaſdem in bono ordine & punto tenere cum remigantibus deputatis, ut quandocumque neceſſe foret ſint prompte ad obediendum & exequendum ea, quæ ſibi fuerint per dominos Rectores impoſita.

ITEM, quod debeat providere, quod nulla quantitas bladorum farinæ & leguminum condueatur per dictum Lacum ad alienas terras, & loca non ſubjectas noſtro Dominio; & omnia, quę reperierit conduci arreſtare debeat, & retinere, & dominis Rectoribus incontinenti denunciare, ut procedi poſsit ſecundum tenorem litterarum Ducalium datarum xj. Decembris. M. cccc. xvij.

ITEM, attendere debeat quod nulla quantitas ſalis conducatur per dictum Lacum ab alienis terris & locis ad terras & loca noſtri Dominij aliqua ratione.

ITEM quod nullæ mercantiæ cujuſcumque generis exiſtant, conducantur extra diſtrictum Veronæ abſque debitis bulletis & licentijs, ſpecialiter autem quod lanæ Veronenſes & pecudes non extrahantur; & omnia quæ invenerit contra tales ordines conduci, debeat arreſtare, & dominis Rectoribus denunciare.

ITEM quod ſimiliter debeat invigilare, quod omnis quantitas piſcium quæ capietur per homines communitatum dicti Lacus debeat conduci Veronam toto quadrageſimali tempore, excepta illa quantitate, quæ pro victu eorum tantum eſſet neceſſaria. Sub pœna illis unius ducati auri pro quoque penſo piſcium conductorum alio, quam Veronam: de quibus omnibus debeat dominis Rectoribus denunciare, ut condemnari poſsint ſecundum formam litterarum Ducalium datarum ſeptimo Aprilis. M. cccc. xj.

HÆC

HÆC SUNT STATUTA SUPER ELECTIONE OFFICIO & Sindicatu Vicatiorum, & officialium suorum.

De Vicariis eligendis districtus Veronæ, & quomodo in ipsa electione procedatur. Cap. XCVIII.

UT Vicariorum electio sicuti multum importat, ita facilior & melior habeatur, Statuimus, quod dicta electio fieri debeat modo & forma infrascriptis, videlicet: Primo quod in principio mensis Novembris omni anno in consilio xij. & quinquaginta deputatorum Veronæ per scrutinium & suffragia sive ballottas eligi debeat ad ultimam mudam xij. deputatorum, una additio aliorum xij. videlicet sex de numero quinquaginta & sex de extra ipsum numerum, & ipsi xxiiij. vel duę partes ex eis coram domino Potestate, vel suum locumtenente congregati, & jurati de sincera & bona Vicariorum electione facienda, & de taciturnitate habenda omnium, quę de quoquam ibi dicta, & facta fuerint, facere debeant in nomine Dei electionem Vicariorum hoc modo videlicet.

Reformatum per Ducales litteras cum Illustrissimo consilio Rogatorum datas xxx. Decembris, indictione quarta M. cccc. lv.

Quod loco prędictorum viginti quatuor adunentur illi quinquaginta, & lxxij. qui fuerint eo anno, quo finire debebunt, aut a tribus partibus supra, & per eos ad bussolos, & ballottas eligantur &c. Omnes etiam Vicariatus districtus Veronæ de cętero dentur per quinquaginta & lxxij. congregatos a tribus partibus eorum supra. Potestas vero Leniaci & Pischeriæ de cętero per lxxij. & l. congregatos a tribus partibus supra.

Ballottari debeant per librum estimi singuli patresfamilias, qui cuipiam de dicto consilio xxiv. videantur idonei, sive in eorum defectu filii familias perfectæ ætatis, cives quidem Veronæ, qui stent & habitent in ipsa Civitate, & subierint cum communi Veronæ factiones & onera per decem annos proxime præteritos, & subeant de præsenti, extimati tamen non minus x. sol. & quicumque a duabus partibus fuerit approbatus in electione remaneat, & factis de singulis nominibus singulis brevibus, omnes imbussolentur.

Extrahatur postea ex omni numero approbatorum, & imbussolatorum ad sortem per ordinem primi, secundi, tertii &c ille numerus, in quo verisimiliter acceptatio omnium Vicariatuum possit haberi; qua sorte diligenter & per ordinem scripta, admoneantur omnes & singuli personaliter, vel ad domum, quod infra tertiam diem venisse, & respondisse debeant cancellario communis si volunt de dictis Vicariatibus acceptare, qui si non responderint, habeantur, quod non velint: Et deinceps acceptare non possint.

Suscipiantur ergo postea de primis in sorte tot nomina acceptantium per

per ordinem venientia, quot fuerint Vicariatus conferendi, & ipsa nomina per brevia, ut supra sortiantur cum brevibus Vicariatuum extrahendo, & vocando ad singulum nomen unum Vicariatum. E quicumque postea acceptaverint illi sunt Vicarii, quilibet sortis suæ per illum annum, incipiendo primo Januarii; ad quam quidem sortem acceptandam terminum habeant trium dierum, admonitione præmissa personaliter, vel ad domum, quibus elapsis pro refutantibus habeantur, si expresse pœnes cancellarium communis non acceptaverint.

Et tunc suscipi debeat una alia muda tot aliorum nominum de prædictis primo acceptantibus in ordine succedentium, quot fuerint Vicariatus refutati, vel habiti pro refutatis; Et de ipsis alia similis sors fiat nominum & Vicariatuum, & in ipsis atque aliis ordinate succedentibus similiter. Et totiens observetur & fiat, donec impleta fuerit omnium ipsorum Vicariatuum acceptatio, ad quam si extracti prius de bussolo non sufficerent, tunc de aliis nominibus per modum antedictum extrahatur; & fiat semper, sicut superius dictum est.

Quicumque tamen primo dixerit velle de Vicariatibus acceptare, possit ante sortem de se faciendam cum Vicariatibus, præsentare dicto consilio suum filiumfamilias, vel nepotem ex filio perfectæ ætatis secum commorantem; & similiter fratrem insimul habitantem in communione bonorum, & extimi. Qui præsentati si fuerint similirer per duas partes dicti consilii approbati, possint & debeant loco patrum vel fratrum, vel aliorum cum Vicariatibus sortiri, & ad ipsos sint electi, quemadmodum si primo scrutinio, & sorte venissent. M. cccc. liiij. die viij. Novembr.

Declaratum est per consilium, quod ille, qui presentaverit filium, nepotem, aut fratrem, ut approbetur, si ipse presentatus non remanserit approbatus, non propterea cadat ab electione de se facta.

Siquis autem Vicariatum sue sortis acceptans, & postea pœnitens, in tantum distulerit refutare, quod sine ipso Vicariatu sors mudæ sequentis sit facta, non possit plus illo anno, neque anno sequenti de dictis Vicariatibus habere.

Ab hoc ordine excipiuntur ratione majoris importantie Potestaria, sive Vicariatus Leniaci, & Porti, & Potestaria Pischeriæ; quorum electio fieri debeat per consilium xij. & quinquaginta deputatorum de sex civibus pro quoque ipsorum officiorum, & præsentari domino Potestati, qui arbitrium habeat diligendi & deputandi unum ex eis, qui sibi melius placuerit in Vicarium & Potestatem.

Commissio generalis Vicariorum Veronensium districtus, in quibus comprehendatur etiam Potestas Pischeriæ, & alii Potestates Veronæ districtus. Cap. XCIX.

PRIMO, quod teneantur & debeant suum officium personaliter, & non per interpositam personam, sive delegatum exercere: Et qui contra-

G fece-

fecerit officio privetur, & alius de approbatis, & imbussolatis mittatur loco sui. Et hoc non habeat locum in casu infirmitatis, vel aliis legitimis caussis discutiendis & approbandis per dominum Potestatem cum consilio xij. deputatorum; possint tamen ab officio se absentare per quinque dies tantum in mense, cum licentia semper domini Potestatis inscriptis. Qui per plures dies licentiam dare non debeat sine consilio xij. deputatorum; relinquente semper dicto Vicario unum idoneum delegatum loco sui, & redeunte ad officium infra terminum licentiæ sibi datæ, & qui contrafecerit cadat in pœnam librarum decem pro quaque vice; Cujus medietas sit communis Veronę exigenda per Provisores communis, & alia medietas sit accusatoris, & teneatur in credentia.

ITEM, quod dicti Vicarii ducere & habere debeant unum notarium, & unum famulum.

ITEM quod habere, & tenere teneantur ad minus unum equum.

ITEM quod habere debeant ultra salarium suum, quod est communiter xx. lib. in mense, medietatem quorumcumque bannorum, seu manifestationum, quæ per ipsos Vicarios, & eorum famulos, seu saltuarios villarum & locorum Vicariatuum fieri continget; & alia medietas perveniat in illis communibus, super quorum pertinentiis dicta banna, & manifesta facta fuerint. Et quod dannum dantes, vel in bannum euntes condemnentur per ipsos Vicarios, secundum Statuta communis Veronæ.

ITEM quod ille qui fuerit in Vicarium electus dare debeat illi personæ, quæ sortem dicti Vicariatus habuerit libras decem, statim primo mense perservito.

Et officio Provisorum communis Veronæ decem libras incontinenti pro utraque sorte.

ITEM quod possint & valeant jus reddere unicuique personæ coram eis legitime comparenti, usque ad summam librarum decem parvorum, & non ultra, sine speciali commissione domini Potestatis, ac etiam de damno dato. Et similiter de factis publicis suarum communitatum, sicut est de sale, de datiis, & aliis impositionibus, & factionibus illarum communitatum, in omni summa. Sed quod de dominio, vel quasi, aut de possessione non possint se aliqualiter impedire, sine speciali commissione domini Potestatis.

ITEM, quod ipsi Vicarii teneantur & debeant solecitare, & facere, quod pontes & stratæ, dugalia & aggeres, qui, & quæ sunt super locis & campaneis suis aptentur, & manuteneantur; adeo quod transeuntes valeant commode, & libere transire, & ut campaneę aquis non sumergantur: Sed quod per hoc non diminuatur Judici dugalium arbitrium suum.

ITEM, quod dicti Vicarii, saltem semel omni mense, teneantur, & debeant communia sibi subjecta visitare, ac videre, & examinare quomodo se regunt; & si expensæ, quas faciunt, sunt justæ, vel non; & si exa-

ctiones

ctiones impositionum denariorum in caussis legitimis expendantur; Et de voluntate hominum an non. Et quod ipsi Vicarii teneantur habere pœnes se unum librum, in quo sint omnes rationes communium ei suppositorum, ut in dictis communibus aliqua fraus committi non possit.

ITEM, quod dicti Vicarii singulariter advertere debeant, quod aliqua communia sibi supposita non faciant aliquam adunantiam suorum hominum, neque vicinantiam, sive consilium sine licentia ipsius Vicarii, ad hoc ut ipse possit interesse, vel suum notarium mittere; & quod ipsa communia similiter non ponant aliquam datiam sine licentia ipsius Vicarii. Et communia quæ invenerint contrafacere in aliquo prædictorum debeant condemnare in lib. xxv. & massarium, aut alium, qui vocasset aut vocari fecisset vicinantiam sive consilium, aut proposuisset de datia imponenda, vel eam exigisset, condemnent in libris decem pro quoque. Quarum pœnarum tertia pars sit accusatoris, & tertia ipsius Vicarii, & alia tertia Cameræ Illustrifs. nostri Dominii, & ubi non sit accusator illa tertia pars veniat in commune Veronę.

ITEM, ut omnes fraudes circa expensas & intratas communitatum districtus Veronæ tollantur; quod omnia communia teneantur & debeant habere unum librum, in quo & super quo ordinate scribi faciat omnes intratas & expensas, quas faciunt. Qui quidem liber debeat in principio manu Vicarii sui paginari, hoc modo videlicet: Quod primo ponatur millesimus, secundo dicatur liber, sive quaternus intratarum, & expensarum talis communis bombacinus, cum permulis membranis tot cartarum signatarum tali signo, sive stampo. Qui quidem liber, ut non transeat in sinistrum, deponatur pœnes idoneam personam sui communis eligendam per Vicarium suum, & per homines ipsius communis. Et quod in quocumque introitu, & in quacumque expensa scribantur, & declarentur causæ, unde provenit pecunia, & cur expenditur. Et si aliquod commune ad terminum sibi per Vicarium suum datum, prædicta non fecerit, cadat in pœnam sexaginta solidorum applicandam pro dimidia ipsi Vicario, & pro alia dimidia communi Veronæ officio provisorum.

ITEM, quod aliquis deputatus pro Vicario in districtu Veronensi, non possit, nec debeat ipse, nec aliquis de sua familia per se, nec per interpositam personam conducere aliquod datium vel decimam, seu affictationem, nec in eis partem habere durante ejus officio, sub pœna privationis ab officio, & ulterius ad arbitrio domini Potestatis.

ITEM, quod aliquis de prædictis Vicariis durante ejus officio, non possit, nec debeat acceptare, seu exercere sindicatum alicujus communis suæ jurisdictioni suppositi; Sub pœna privationis ab officio, & ulterius ad arbitrium domini Potestatis, nec litem movere alicui personæ suæ jurisdictionis coram domino Potestate, vel aliquo alio magistratu, præterquam de fictibus dictis, & decimis, socedis, & debitis, & damnis datis in possessionibus suis tempore sui regiminis.

G 2 ITEM

ITEM, quod unusquisque Vicarius durante ejus officio ordinet, & faciat, quod quilibet paterfamilias suę jurisdictionis plantet super suo quatuor arbores fructiferas diversorum fructuum; Sub pœna xl. solidorum pro quaque arbore non plantata, cujus pœnæ medietas sit ipsius Vicarii, & alia medietas cameræ Illustrissimi nostri Dominii. Et de prædictis etiam milites Procuratores communis Veronæ possint inquirere, & ipsi, aut alii, qui essent accusatores habeant partem dicti Vicarii.

ITEM, quod prædicti Vicarii diligenter advertant & intendant, quod de terris & locis jurisdictionis suæ non abducantur, seu extrahantur aliquæ pecudes Veronenses, vel earum lana, vel aliqua blada alicujus maneriei, vel pisces de Lacu Gardæ caussa conducendi ad aliena loca, extra districtum Veronæ, neque per ipsum districtum versus confinia ad duo miliaria, prope ipsa confinia, neque per Lacum Gardæ. Et si tales conducentes alicubi reperirentur, ipsos cum rebus detineant, & subsequenter de tali detentione notitiam faciant domino Potestati; nisi tales conducentes pisces, blada, licentiam haberent de Cancellaria domini Potestatis scriptam, & sigillatam.

ITEM, quod ipsi Vicarii diligenter inquirere debeant de retibus duarum alarum, & formulis, & aliis fraudibus ac laqueis a columbis, & quoscumque invenerint habentes de illis, vel capientes de columbis, debeant sibi ipsa retia & artes auferre, & dominum Potestatem de omnibus advisare.

ITEM, quod ipsi Vicarii toto eorum posse teneantur obviare, ne per viatores & baroerios communis Veronæ, aut alios quoscumque officiales venientes ad pignerandum, fiant in pignerationibus & commissionibus exequendis aliquæ extorsiones, seu baratariæ aliquibus communibus, & hominibus sui Vicariatus; & si sentient aliquid ex prędictis, debeant illud incontinenti domino Potestati & Provisoribus communis notificare; & si dicti viatores & baroerii & alii officiales venirent ad dictas pignerationes & executiones contra ordines, utputa cum commissionibus non bulla, tis vel pluribus numero, aut cum taxis contra Statuta, debeant sibi executiones inhibere, & impedire: Et insuper omnes commissiones, quas habuerint sibi auferre, & eas domini Potestati transmittere, dando etiam de prædictis notitiam Provisoribus communis.

ITEM, quod ipsi Vicarii pro exequendo officio possint petere brachium omnium viatorum & baroeriorum & Capitanei armorum, qui se in terris sui Vicariatus reperirent. Et ipsi officiales coadjuvare debeant dictorum Vicariorum officium, & eorum mandata executioni mandare in iis, quę ad ipsorum Vicariorum officium pertineant, & quæ statum, & honorem Illustrissimi nostri Dominii, & communis Veronæ concernant.

ITEM, quod ipsi Vicarii exigere non possint, nec debeant salarium suum ultimi mensis, nisi tnm demum facto sindicatu dicti sui officii, & secun-

cundum, quod sindicatores mittendi de ipso salario disposuerint &, mandaverint; Sub pœna dupli ipsi Vicario contrafacienti.

ITEM, quod dicti Vicarii finito eorum officio consignare teneantur successoribus omnes processus pendentes, & inchoatos in eorum officio.

ITEM, similiter consignent librum Statutorum, quem si communia sui Vicariatus non haberent, debeat quilibet Vicarius statim in principio sui officii facere fieri unum in cartis membranis, & cum parmulis ligni, expensis communitatum sui Vicariatus, videlicet, quintum librum voluminis Statutorum communis Veronæ, incipiendo a pagina Statutorum communium fortibus, & regulis civitatis & districtus, cum his etiam ordinibus præsentis commissionis, quem successori debeat consignare, ut supra.

ITEM, quod notarii, & famuli sui accipere non possint, neque debeant pro sua mercede ultra infrascriptas denariorum quantitates, sub pœna restitutionis quadrupli, & ultra arbitrio sindicatorum.

NOTARII.

Pro commissione præcepti.	sol. i denar. vi
Pro relatione.	sol. o denar. vi
Pro ambasciata.	sol. i denar. o
Pro commissione sequestri.	sol. ii denar. o
Pro relatione.	sol. i denar. o
Pro commissione pignerationis speciali contra unum debitorem tantum, sive contra plures ad unum debitum copulatos, cum relatione.	sol. ii denar. o
Pro commissione contra plures & diversos, cum relatione pro quoque nomine, sive debito.	sol. i denar. o
Pro manifesto.	sol. i denar. vi
Pro defensione.	sol. ii denar. o
Pro qualibet licentia concedenda per Vicarium.	sol. i denar. o
Pro qualibet littera.	sol. iij denar. o
Pro copia cujuslibet litterę.	sol. i denar. vi

De solutionibus autem aliarum scripturarum observentur Statuta superinde disponentia.

FAMULI.

Primo in villa residentiæ.

De præcepto.	sol. o denar. ix
De pigneratione.	sol. i denar. o
De sequestro.	sol. ii denar. o

ITEM

ITEM EXTRA VILLAM.

De præcepto ſpecialiter miſſo contra unum debitorem ſive plures ad unum debitum copulatos, pro quoque milliari. ſol. i denar. o

De præceptis autem miſſis contra plures & diverſos, accipiant ſolutionem non ad computum viæ, ſed ad computum nominum, videlicet pro quoque nomine. ſol. i denar. o

De pigneratione, vel ſequeſtro ſpeciali contra unum debitorem tantum, ſive plures ad unum debitum copulatos, pro quoque milliari. ſol. i denar. vi

De pignerationibus autem contra plures & diverſos accipiant ſolutionem non ad computum viæ, ſed ad computum nominum, videlicet pro quoque nomine, ſive debito. ſol. i denar. vi

De ſequeſtris miſſis contra plures & diverſos, ut ſupra pro quoque nomine, ſive debito accipiat. ſol. ii denar. o

Reformatum die xvij. Decemb. M. cccc. li. per conſilium.

Quod dictæ ſolutiones reducantur, & fiant, ac taxatæ ſint notariis Vicariorum, ſecundum, quod ſunt & fiunt notariis palatii communis Veronæ; & famulis Vicariorum, ſecundum, quod ſunt, & fiunt viatoribus communis Veronæ. Ita quod eadem Statuta ſervientia civitati circa ſolutiones ſcripturarum, & viæ, & omnis mercedis notariorum, & viatorum, ſerviant etiam notariis, & famulis in diſtrictu. Firma tamen remanente ultima parte infraſcripti capituli incipientis: *Sed de commiſſionibus*.

NOTARII ET. FAMULI.

Sed de commiſſionibus præceptorum, pignerationum, & ſequeſtrorum pro factis publicis, ſicut eſt pro ſalario Vicarii, pro ſale, pro datia, & aliis impoſitionibus, & factionibus villæ accipere poſſit, ac debeat, tam Notarius, quam famulus dimidiam tantum ejus, quod ſupra limitatum eſt.

Ne quis Vicarius villarum ultra ſummam libr. decem cognoſcere poſſit, Leniaco & Piſcheria exceptis. Cap. C.

UT decus & dignitas juriſdictionis, & regiminis civitatis Veronæ ad cujus examen omne genus cauſſarum civitatis, & diſtrictus ejuſdem tam civilium, quam criminalium, noſcitur pertinere, plenius conſerventur; Quorumdam officialium villarum abuſione ſublata, cum ſibi ipſarum cauſſarum cognitionem indebite uſurpabant; Statuimus quod nul-

nullus Poteſtas, Vicarius, Rector, ſeu alius officialis alicujus villæ, Caſtelli, vel loci diſtrictus Veronæ, qualitercumque ibidem electus, & deputatus fuerit poſſit de aliqua cauſsa civili cognoſcere inter aliquas perſonas collegium, vel univerſitatem, ſummam librarum decem excedente, nec de aliqua quæſtione, ſeu cauſsa alicujus poſſeſſionis, nec huic Statuto per partes poſſit renunciari. De criminalibus quoque cauſſis, ſeu maleficiis cujuſcumque condictionis, aut generis, ſive quantitatis ſint, nullo modo ſe intromittat nec per modum accuſationis, nec per modum inquiſitionis, ſive ſit delictum, ſive quaſi delictum. Et ſi contra prædicta fecerit, vel aliquod prædictorum puniatur arbitrio domini Poteſtatis, & curiæ. Et quod factum fuerit ipſo jure ſit irritum, & inaniæ. Et hoc non obſtante aliqua lege, vel Statuto in contrarium loquente. Salvo quod per hoc Statutum non derogetur Statutis communis Veronæ ſuper regulis communium villarum, & ſortium civitatis, & diſtrictus Veronæ: Et ſalvo quod Poteſtas, ſive Vicarius Leniaci, & Porti, & Poteſtas Piſcheriæ cognoſcere poſſint de cauſſis civilibus. Item quaſi de maleficiis, uſque ad ſummam tantum librarum centum. Et quod appellationes a ſententiis prædictorum Poteſtatum, & Vicariorum ad Magnificum dominum Poteſtatem Veronæ devolvantur.

Qui a decem libris ſupra faceret rationem in villis, ſuſpectus dici poſſit.
Cap. CI.

ITEM quod reus poſſit recuſare, & dicere ſuſpectum Vicarium, vel Rectorem, & omnes, qui facerent rationem in Villis, ſeu Caſtellis a decem libris ſupra. Et illa ratio poſtea fieri debeat in Civitate Veronę, exceptis Leniaco cum Porto, & Piſcheria, uſque ad centum libras, ut ſupra in proximo Statuto continetur.

Quod ſententiæ latæ ſuper illis cauſſis valeant & teneant. *Cap. CII.*

ITEM, quod ſententiæ latæ ſuper illis cauſſis de quibus cognoſcere poſſunt prædicti Vicarii diebus feſtivis, præterquam in diebus dominicis, & aliis ſolemnibus a jure communi introductis, teneant, ſicut tenerent aliis diebus non feriatis: Salvo beneficio appellationis. Et ſalvo eo quod poſſint uti in cauſſa appellationis novis teſtibus, ſuper quibus in principali cauſsa teſtes non fuerint producti; & quilibet poſſit appellare a ſententiis latis contra aliquem, ſolummodo a lx. ſolidis ſuperius in villa.

De

De sindicandis Vicariis, Judicibus Dugalium, & officialibus suis.
Cap. CIII.

VICARIOS & officiales nostros sindicatus ipse bonos non solum pręmiorum exoitatione, verumetiam metu pœnarum efficere potest. Cupientes igitur, ut ab ipsis districtuales nostri, cum omni justitia & moderatione tractentur; Statuimus quod in consilio xij. & l. deputatorum Veronæ, eligantur omni anno de mense Decembris quatuor cives sindicatores; Quorum duo sint de Collegio advocatorum, viri utique pręstantis intelligentiæ, conscientiæ, aptitudinis & integritatis, qui nisi justam caussam habuerint approbandam per dominum Potestatem cum consilio duodecim depuatorum, refutare non possint; Sed exire teneantur prima die mensis Januarii: Sub pœna quinquaginta librarum denariorum applicanda communi Veronæ pro quoque. De qua non possit fieri donum gratia vel remissio neque suspensio: Sub pœna cuique ponenti partem in contrarium aliarum libr. l. Et quæ pœne exigantur per provisores communis Veronæ infra unum mensem, sub eadem pœna.

Reformatum die x. Octob. M.cccc.lxvi.

Quod ubi dicit quatuor cives dicat sex cives, quorum duo sint de numero Advocatorum & quatuor laici.

Qui Sindici jurare debeant in manibus domini Potestatis bene & fideliter exercere officium sindicatus, secundum ordines, sine acceptatione personarum, odioque & qualibet humana gratia cessante, nec non referre exequi, & expedire, secundum ordines.

Et sortiri debeant, ut duo, videlicet, unus de collegio Advocatorum cum socio suo vadant ultra Athesim, & alii duo citra.

Reformatum ut supra, ut duo, dicat ut tres, videlicet unus de collegio Advocatorum cum duobus sociis suis. Declarando tamen, quod in psis duabus copulis non sint, qui sese excludant de consilin, juxta ordinem additum, die ix. Januarii. M. cccc. lxvi. ad Statum. clvij. primi libr.

Notarium sibi ipsi eligat utraque muda collegiatum & sufficientem, qui habere debeat pro suo salario & mercede, ut infra. Et insuper participet de omnibus pœnis & mulctis, & provenientibus dictis sindicatoribus pro dimidia ejus, quod quilibet eorum sindicorum erit habiturus.

Cum exierint ad sindicatum, ad quem exire debeant in principio mensis Januarii; reverti non possint ad civitatem, nec aliter a sindicatu desistere aliquis eorum, ante finem datum suo sindicatui: sub pœna librarum viginti quinque pro quoque eorum, applicanda & eligenda, ut supra.

Sindicare debeant omnes Vicarios territorii Veronensis & Potestatem Pischeriæ, ac Leniaci & Porti, tam qui mittuntur per commune Veronæ, quam per particulares cives, collegia & universitates Ecclesiasticas & se-

& feculares, qui Poteftariæ Veronę fuppofiti funt, prout inferius ipfi omnes alii Vicariatus privatorum findicandi fpecificantur. Et fimiliter Judices dugalium.

Et omnes notarios, famulos, & officiales eorum. Non tollendo propterea per dictam fpecificationem, quin alii Vicariatus, fi qui funt, vel in futurum appareren findicandi, Ecclefiaftici vel feculares, poffint, ac femper debeant findicari.

Quilibet autem Vicarius fecundum tempus admonitionis, five citationis fibi factæ, ex parte dictorum findicatorum, reperire fe debeat perfonaliter ad locum fui Vicariatus, & inde non recedere, fine dictorum findicatorum licentia; fub pœna l. librarum denariorum, applicanda pro tertia parte cameræ Illuftriffimi noftri Domini, & pro alia tertia communi Veronę, exigenda per provifores, & pro alia tertia ipfis findicatoribus; & tamen contra eos abfentes, pro fua contumacia procedi poffit & debeat per dictos findicatores, de & fuper omnibus & fingulis querelis & accufis contra eos factis, tanquam contra vere contumaces & confeffos, excepto Judice dugalium contra quem ipfi findicatores querelas, & accufas recipiant in diftrictu per loca, & eos poftmodum in civitate expediant.

Juxta equitatum fuum mittere debeant publicas cridas, quod fi qui funt, qui velint conqueri de fuo Vicario, vel Judice dugalium, aut de notariis, famulis, & aliis officialibus fuis debeant tali die, loco coram ipfis comparere. Scientes omnes, quod findici ipfi habent arbitrium, & auctoritatem a domino Poteftare, & communi Veronę faciendi reftitui omnia male ablata cum expenfis, damnis, & intereffe cujufcunque quantitatis exiftant.

Libertatem habeant dicti findicatores inquirendi, cognofcendi, procedendi, mulctandi, condemnandi, & abfolvendi, & executioni mandandi in omni fumma, fpecialirer autem reftitui faciendi incontinenti, maxime fuper falario ultimi menfis, quod ipfe Vicarius non debeat tangere, nifi ad mandatum findicatorum; fub pœna dupli; omnem partem & commodum, quæ & quod ad aliquem Vicarium de aliquibus injuftis bannis, & manifeftis, vel Judicem dugalium de injuftis inventionibus, aut condemnationibus, vel aliter malo modo perveniffet, vel quod aliquis notarius de fcripturis, & aliis, aut viator, vel famulus de via fua, & de aliis indebite extorfiffet. Et in primis reftituendi communitatibus omne falarium, quod ipfi Vicarii habuiffent pro omni tempore, quo non fletiffent perfonaliter in loco ad fuum officium exercendum; non intelligendo de diebus, de quibus a domino Poteftate licentiam fe abfentandi habuiffent. Quam quidem falarii reftitutionem, fi ipfa communia non vellenr, tunc ipfi findicatores dictam quantitatem applicare debeant pro rertia parte fibiipfis, & pro tertia communi Veronæ, & pro alia tertia cameræ prædictæ, & infuper mulctandi, & condemnandi omnes fuo bono arbitrio

H de

de omnibus commissis & omissis, præter & contra ordines, & Statuta communis Veronæ, vel aliter malo modo, & contra bonos mores, & contra dignitatem, vel honestatem; specialiter autem de male ablatis mulctare debeant ipsi sindicatores dictos Vicarios ultra restitutionem, in quarto pluris; Quarum quidem mulctarum, & pœnarum tertia pars veniat cameræ Illustrissimi nostri Dominii, & una tertia communi Veronæ, & alia tertia sindicatoribus ipsis: Excepto quarto prędicto, quod sit dictorum sindicatorum.

Et ab aliquo hujusmodi sindicatu nemo possit appellare, quærelare, supplicare, nec alio remedio juvari, usque ad summam librarum decem tantum pro quaque caussa. Abinde vero supra, habere possit recursum ad dominum Potestatem, & consilium xij. per viam supplicationis, vel querelæ tantum.

Additur de eo, s. vel ab eo, quod dicti sindici tres simul, & concorditer fecerint, aliter autem reclamantes audiantur; præterquam, si unus ex eis excluderet illum Vicarium, vel officialem de consilio, aut excludetur ab eo secundum partem prædictam, & alii duo simul, & concorditer fecissent, qui duo in dicto casu sufficiant, ac ab ipso a decem libr. infra reclamari non possit; abinde vero supra, sive fuerit a duobus, sive tribus, quilibet possit habere recursum ad dominum Potestatem, & consilium xij. per viam supplicationis, vel querelę tantum.

Finito vero sindicatu suo, quem finisse debeant in termino unius mensis, referre debeant in consilio xij. & l. deputatorum Veronæ bona, & mala portamenta uniuscujusque nominatim, usque ad unum alium proxime subsequentem mensem, ad hoc, ut pro futuro cognoscantur; & exhibuisse libros totius completi sindicatus in manibus, & officio Provisorum communis, sub pœna perjurii, & librarum centum denariorum pro quoque eorum, applicanda pro tertia parte cameræ Illustrissimi nostri Dominii, & pro aliis duabus partibus communi Veronæ.

Reformatum in consilio xij. & l. die octavo Aprilis M.cccc.lxviij.

Primo quod relationes sindicatorum fieri amodo debeant in consilio totius anni incipiendo ab ista, quæ de proximo est facienda, non solum de malis portamentis prędictorum in officiis, sed etiam de nominibus, & operibus omnium aliorum, qui præsumpsissent ipsos sindicatores repellere, aut eos aliter non obedire.

ITEM, quod dicti sindicatores utriusque mudæ, nunc & in futurum, factis dictis eorum relationibus, teneantur, & debeant præsentare pœnes cancellarium communis etiam duas ipsas paratas paginas nominum omnium hujusmodi Potestatum, Vicariorum, & Judicum dugalium, qui sub eorum officio fuerint, de quibus ipsi omnes tres cujuscumque mudę, vel duo, ex eis bene concordes extiterint; unam videlicet sub rubrica, qui se bene gesserunt, alteram vero sub rubrica, qui se male gesserunt; & sub illis insuper describere debeant nomina prædictorum, aliter, qui

eos

eos non recepissent, vel aliter impedivissent, ut supra. Et hoc sub vinculo sacramenti, & sub pœna libr. l. denar. pro quoque eorum contrafacientium, applicandarum pro dimidia cameræ Illustrissimi nostri Domini, & pro altera dimidia communi Veronæ.

ITEM, quod in dicto consilio, quando congregatur pro eligendis Potestatibus & Vicariis, & iterum quando congregatur pro eligendo consilio novo, Provisores communis teneantur & debeant vinculo sacramenti, & sub pœna libr. l. denar. pro quoque eorum, applicanda ut supra; omni anno, usque per sex annos proxime sequentes, facere publicari unamquamque præsentationem hujusmodi paginarum, & repeti dictas paginas, ita quod unaquaque earum veniat esse per sex annos continuos totiens publicata, ut supra: Et aliter sine tali prima publicatione scrutinium, & ballottatio, quæ esset facta non valeat. Qua quidem parte sic lecta, & arengata, pro, & contra, posita fuit pars, & capta de ballottis xxxix. pro, xiiij. contra.

Habere debeant dicti sindicatores cum notariis a communi Veronæ, tum demum finito sindicatu, & facta relatione, & exhibitis libris completi sindicatus, ut supra in proximo capitulo continetur, & non ante; primo xx. solidos in die pro qualibet persona cum equo inveniendo, & conducendo suis expensis, videlicet dicti sindicatores cum duobus equis, & singulo famulo, & notarii cum singulo equo. Item habere debeant ipsi sindicatores l. libr. pro quoque, & notarii xxv. pro quoque, facta circa, & sindicatu per omnes & singulos Vicariatus communis, & alios, qui non sunt communis infrascriptos.

Caprini	Prædellæ
Lubiariæ	Ronchanovæ, & vocentur in Nogariam
Ferariæ	Sorgadæ
Præabochi	Pontis posseri
Rivaltæ	Azani cum Castello
Belluni	Sancto Martino, & vocentur Vigasium
	Asparedi, & vocentur Ceretam.
Cavaioni, & vocentur in Bardolinum	
Cisani	Villæ Bartholomeæ
Sandrati, & vocentur Lazisium	Domorum Campaneæ
Castrinovi	Vallis pullicellæ
Cavalchasellæ, & vocentur Pischeriam.	Paronę, & vocentur cum illis de valle Pullicellæ
Custociæ	Sezani, & vocentur in vallem Paltenam
	Ronchadæ.
Curia nogarolarum, & vocentur in villam Francam Sancti Bonifacii	
Visegnæ	Bivilaquę, & vocentur Minerbium.
Colognolę	Maraticæ

Blondarum, & vocentur Suavium. Terracii
Salezolæ Formigedi.
Gadii

Additum per consilium die xxiiij. Octob. M. cccc. lviij.

De temporibus vacationum ab officiis. Cap. CIIII.

UT pluribus pateant portæ officiorum; Statuimus, quod quicunque habuerit aliquod officium in civitate Veronæ, de illis officiis intus, quæ dantur per consilium xij. & l. cum domino Potestate per unum annum, cessare debeant ab omni alio officio intus, per annos tres proxime subsequentes; ab illis autem officiis, quæ dantur ut supra per menses sex, cessare debeant per menses decem & octo; ab omnibus aliis officiis intus, ut supra, & qui habuerint de Potestariis & Vicariatibus communis Veronæ extra in districtu, cessare debeant ab ipsis Potestariis & Vicariatibus per quinque annos, & ab omnibus aliis officiis intus, per unum annum; Qui autem habuerint de officiis intus, sive per annum, sive per sex menses, cessare debeant a Potestariis & Vicariatibus prædictis per unum annum. Ab hoc ordine excipiuntur: Primo officium Provisorum Communis Veronæ propter ejus majorem importantiam, de quo sic ordinatur; quod quicunque dictum officium Provisoris habuerit per menses sex, cessare debeat ipso eodem officio per menses decem, & octo. Nihilominus interim in spatio illorum mensium decem octo, ipsi provisores possint quodlibet aliud officium habere, secundum ordines suprascriptos: Et contra, quicunque habuerint aliquod aliud ex aliis officiis, possint finito officio, statim dictum officium Provisoriæ habere. Item officium Judicis procuratorum, quod vacare debeat ab illo officio tantum per menses decemocto. Et officium consiliariorum suorum, ad quod nulla sit ex aliis officiis prohibitio; Sit autem ab ipso vacatio per menses sex. Item officium consulum curiæ domini Potestatis, ad quod similiter nulla sit ex aliis officiis prohibitio; Sit autem ab ipso vacatio per menses sex. Item officia Garzariæ, quæ vacationem habeant ab illis tantum per menses sex, Et ad ea ex aliis omnibus officiis, tam intus, quam extra finitis, possit intrari. Item officium notariorum registri, ad quod nulla sit ex aliis officiis prohibitio; Sit autem ab ipso vacatio per unum annum.

Reformatum die xi. Februarii M. CCCC. LXIII.

Quod in omni electione officiorum, cum aliquis habuerit aliquod officium de illis, quæ dantur per consilium xij. & l. deputatorum, exceptis consulibus, Prioris ad Tombam, & Rationatoribus communis, ille, vel alius de dicta familia, sive estimo non possit eodem tempore de aliis officiis habere intus, vel extra, quæ per consilium eliguntur; intelligendo etiam de officiis, quæ a seipso tantum vacant. Et, quod quicunque fuerit ipse, vel de sua familia ejusdem estimi Vicariorum sindica-

dicator ab eodem officio cessare debeat per duas sequentes sindicatorum mudas. Et qui ad dictum sindicatum fuerit legitime electus, non possit similiter infra duos menses a die suæ lectionis continuandos ad aliud officium eligi; postea vero secundum ad dictum officium exiverit, nulla sit ad aliud officium prohibitio: Quod tamen si acceptaverit ipso jure, & ipso facto, sindicatus vacare intelligatur.

De pœna acceptantis officium, ante impletum tempus suæ vacationis. Cap. CV.

ITEM, quod quicunque electus fuerit ad aliquot officium in communi, & illud acceptaverit ante impletum tempus suæ vacationis ab alio, contra ordines, perdat salarium suum totum, & præeminentias, quod & quæ veniant in communi; & insuper vacet per tempus limitatum super dicto officio, ac si debite obtinuisset illud, & tantundem ultra.

Additum die xx. Novembris. M.CCCC.LII. per consilium.

Debitor communis non intret officium.

Quod aliquis designatus ad aliquod officium communis Veronæ, de iis, quæ per consilia civitatis conferuntur, non possit nec debeat modo aliquo intrare ad dicti officij exercitium existens debitor communis Veronæ, in aliquo de suis datiis, impositionibus, factionibus, administrationibus, & aliter quomodocunque, immo teneatur omne ejus debitum ante dictum tempus introitus persolvisse. Et si intraverit non soluto prius omni debito suo, cadat in pœnam dupli ipsius debiti, cujus tertium sit cameræ Illustris. nostri Dominii, tertium communis Veronæ, & tertium Denunciantis. Et si propter debitum non solutum, quis desisteret suo tempore debito intrare officium suum, cadat ab electione, & designatione dicti officii, & nihilominus solvat debitum.

Proposita per Nobilem. V. Tebaldum de la Capella Provisorem communis, & capta de bal. xlij. pro, iiij. contra.

De Ambasciatoribus, qui mittuntur pro communi Veronæ, quod mandatum non excedant, nec suam, aut aliorum causam tractent. Cap. CVI.

ITEM Statuimus, quod aliquis Ambasciator communis Veronæ excedere non debeat fines mandati, & commissionis suæ, & qui contrafecerit cadat in pœnam ipso jure, & ipso facto, quod amittat omnem taxationem salarii & expensarum receptam, & recipiendam pro dicta andata, & ambasciata, retro exigendam incontinenti, seu recipiendam per provisores communis; & quod sit privatus de consilio, & officiis, & ambasciariis, per quinque annos. In quam eandem pœnam incurrat, qui pro se, aut pro alio aliquid supplicaret, vel impetraret, vel ageret, vel

vel defenderet in aliquo judicio, loci dictæ suæ legationis, sine licentia consilii. xij. & l. deputatorum. Et quod quicquid dictus ambasciator fecerit, præter & contra mandatum & commissionem suam, ipso jure non valeat.

De non conveniendis officialibus. Cap. CVII.

DE his, quæ communi nomine, vel per officium communis Veronæ facta fuerint per aliquem Consulem, Procuratorem, Massarium, vel executorem, sive sub eo, dominus Potestas non admittat agentem, nec inquietari permittat quemquam, nisi principaliter suo nomine se obligaverit.

Qualiter satisfieri debeat iis, qui se pro aliis obligaverunt, occasione officiorum. Cap. CVIII.

SI aliqui extiterint fideiussores, vel securitatem fecerint pro aliis, occasione officiorum vini, salis, procurationum, & aliorum datiorum, & officiorum communis Veronæ, vel pro iis, qui missi fuerint ad confinia, sive recumbiati, vel qui exire debeant, vel non debeant de districtu Veronæ pro mercandaria exercenda, vel alia caussa; Si exinde damnum substinuerint, vel aliquid de suis bonis solverint, vel amiserint, quod eis plenarie, & summarie jus reddatur, auditis rationibus, & allegationibus illorum, qui se pro aliis obligaverunt, & eorum, pro quibus factæ fuerint securitates.

De pecuniis & bonis communis Veronæ non retinendis pretextu crediti, vel alia ratione. Cap. CIX.

AD reprimendam sacram auri famen, quæ adeo mortalia pectora cogit, ut neque ipsi publico juri parcatur: Statuimus, quod quilibet Provisor, sive Sindicus, Exactor, Massarius, intelligendo etiam de Massario Cameræ pignerum Veronæ, Notarius sive scribanus communis Veronæ, & qualibet alia persona salariata, & non salariata a communi Veronæ, quæ administraverit, vel ad ejus manus sub nomine cujuscunque officii, vel aliter quocunque modo de pecuniis, pigneribus, bonis, seu rebus communis Veronæ pervenerit. Intelligendo etiam de pigneribus Cameræ pignerum; teneatur, & debeat finita administratione sua, vel officio, infra unum mensem, libros suarum rationum cum datis & receptis, libere præsentare, & consignare Provisoribus communis Veronæ: Quod si non fecerit, cadat ipso facto, & ipso jure, transacto dicto mense, in pęnam xxv. librarum: Et nihilominus consignare teneatur. Item in dicto mense, simul cum dictis libris, totum, quod pęnes se extaret de dictis

ctis pecuniis, pigneribus, bonis seu rebus communis, vel de communi eisdem Provisoribus denunciare, & integraliter solvere, ac consignare: Quod si non fecerit, cadat ipso facto, & ipso jure, transacto dicto mense, in pęnam dupli ejus, quod apparebit esse pęnes eum, calculatis rationibus suis. In qua pęna pro condemnato habeatur, applicanda dicto communi; & hoc non obstante aliquo suo credito, cujus vigore prætenderet aliquam fieri compensationem, aut aliqua alia ratione; & ulterius sit privatus a quocunque officio, beneficio & dignitate communis Veronæ per triennium. Quod quidem triennium duplicetur, si forte aliquod officium, vel dignitatem communis acceptatet, & totiens quotiens contrafecerit: amittat etiam quicquid de salario, & lucro percepisset, & veniat totum in commune; & nihilominus quodcunque ad eum pervenit de habere, & bonis communis reddere compellatur. At si dicta talis persona jam esset mortua, tunc omnis pecuniaria pęna prædicta, in quam defunctus incidisset, transeat ad hęredes suos, & hęredes ipsi teneantur infra duos menses, a die denunciationis sibi factę, pecunias, & bona sic retentas, & retenta dictis Provisoribus in totum solvere, & consignare, sub alia pœna dupli; non obstante prętenso credito, & compensatione, vel aliqua alia ratione.

De rationatoribus communis, & de eorum officio, ac salario. *Cap. CX.*

ITEM, quod omni anno, & quando, & quotiens videbitur expedire, eligantur in Consilio duodecim & l. deputatorum, duo vel plures rationatores communis, ad videndum, & examinandum, calculandum, & solidandum omnes & singulas rationes de personis & caussis, quę comprehenduntur in Statuto proxime prędecenti, in termino eis per Consilium xij. deputatorum assignando; Qui eligendi non sint de his debitoribus, sive administratoribus, qui in dicto Statuto comprehenduntur. Et ipsi rationatores libertatem habeant pro veritate habenda, vocandi ad se quascunque personas de civitate, & districtu Veronæ, & eas ad sacramentum astringendi, & aliter investigandi & inquirendi, prout sibi melius videbitur, pro conclusione rationum sibi commissarum; & earum conclusionem in primo Consilio xij. & l. clare & aperte referre. Et quod ultra omne salarium sibi taxatum, habere debeant a communi Veronæ quartam partem pœnę devenientis in commune occasione malę retentę pecunię, vel pignorum, seu bonorum, aut rerum communis, aut de communi, secundum formam suprascripti Statuti.

De

De uno Magistro in Grammatica, & Rethorica eligendo. Cap. CXI.

IN Grammatica eligatur unus bonus, & doctus Magister, qui legat, & doceat studia humanitatis in Verona, cum salario a communi Veronæ.

De uno Doctore in jure civili eligendo. Cap. CXII.

ITEM, quod unus Doctor legum, qui sit idoneus & sufficiens eligatur, & constituatur per Dominium nostrum prælibatum, qui stare debeat in civitate Veronæ, & tenere scholas, & docere scholares, & legere continue libros ordinarios scholaribus volentibus audire leges, & non debeat ascendere palatium caussa placitandi pro se, nec pro alio; de cujus salario ei provideatur per Dominium nostrum prælibatum, si ita sibi videbitur.

De uno Doctore in jure Canonico eligendo. Cap. CXIII.

ITEM, quod dominus Potestas Veronæ cum voluntate, & consilio Reverendissimi d. Episcopi Veronensis, & vener. clericorum, quos idem d. Episcopus secum habere voluerit, tractare, ordinare, & disponere debeat de habendo & eligendo uno bono Doctore in jure canonico, qui legere debeat decretales in civitate Veronæ ad utilitatem audire volentium, pro salario competenti, secundum quod melius fieri poterit. Quod salarium solvi debeat per Clerum Veronæ. Cujus salarii medietas solvatur eidem doctori infra tres menses, ex quo legere inceperit; alia vero medietas infra alios tres menses.

De uno Doctore artium & medicinæ eligendo. Cap. CXIV.

ITEM, quod unus bonus & sufficiens Medicus doctor artium, & medicinæ eligatur per Dominium nostrum prælibatum, si ita sibi videbitur, cum salario competenti; Qui legere debeat artes, & physicam si habuerit auditores; & etiam medicare homines & personas civitatis Veronæ.

De uno Magistro Arithmeticæ, sive Abachi eligendo. Cap. CXV.

ITEM, quod unus bonus Magister agorismi, & Abachi eligatur per Consilium xij. & l. deputatorum Veronæ, cum salario percipiendo a Domo Mercatorum Veronæ, qui debeat omnes addiscere volentes Abachum.

De

De disputationibus faciendis. Cap. CXVI.

ITEM, quod quilibet professor cujuslibet artis liberalis, pro communi Veronæ salariatus, teneatur, & debeat singulis mensibus hyemis facere unam disputationem, & ipsam determinare.

De immunitate scholarium, Magistrorum, & Medicorum, & Advocatorum. Cap. CXVII.

ITEM, quod Scholares studentes juri civili, aut canonico, aut artibus, aut physicæ non compellantur ire ad custodias murorum Civitatis, aut alicujus Castelli, vel loci, nec ad exercitus, nec ad aliquas andatas. Idem intelligatur de magistris liberalium artium, medicis, & advocatis, qui scripti erunt in matricula ipsorum.

De immunitate concessa Doctoribus legum, & decretalium, Medicis, Magistris liberalium artium, & de eorum matriculis ordinandis. Cap. CXVIII.

ITEM, quod omnes Doctores legum, & decretalium civitatis, & districtus Veronæ, Medici, & Magistri liberalium artium, in eorum matriculis scripti, habere debeant immunitatem ab omnibus oneribus personalibus communis Veronæ: Realia vero & mixta secundum eorum estima, prout alii cives omnino solvere & subire teneantur. Et quod dominus Potestas cum Consilio xij. deputatorum infra duos menses ab introitu regiminis sui, eligere debeat personas fideles, & peritas, quæ & quot sibi videbuntur, qui debeant in matricula ponere, & poni facere omnes Medicos, qui digni sint esse in matricula medicorum. Qui Medici in dicta matricula positi, habere debeant supradictam immunitatem. Et quod si aliqui Medici reperirentur in ipsa matricula scripti, qui digni non essent propter defectum scientiæ, vel imperitiam artis suæ, quod de ipsa matricula pœnitus cancellentur, & removeantur, & pro remotis & cancellatis ipso jure, præsentis Statuti auctoritate habeantur. Idem intelligatur, & fiat de Magistris ac Doctoribus liberalium artium. Et quod Medici in dicta matricula scripti mittere teneantur Medicos idoneos & sufficientes ad exercitus, & cavalcatas suis expensis, qui medicare debeant omnes infirmos, & vulneratos in dictis exercitibus, & cavalcatis sine aliquo pretio, vel aliquo alio ab eis recipiendo. Et quod quilibet Medicus teneatur, & debeat tempore pestis stare, & habitare firmiter in civitate Veronæ. Et qui contrafecerit, non gaudeat aliqua immunitate reali, vel personali, quomodocunque specialiter, vel generaliter sibi concessa; sed teneatur & compellatur subire, & solvere quæcunque onera, & factiones communis Veronæ de cętero, pro quanto duraverit estimum illud tunc

currens, usque ad novi estimi refectionem. Et quod Advocati, sive Judices positi, & de cætero ponendi in matricula judicum sint a personalibus muneribus excusati. Et quod teneantur advocare pro pauperibus & miserabilibus personis civitatis, & burgorum, & districtus Veronæ, quandocunque ab eis fuerint requisiti sine aliquo salario.

Quod medicare nemo præsumat, nisi prius approbatus, matriculatus, juratus. Cap. CXIX.

UBI agitur de vita, accuratius est providendum; Propterea Statuimus, quod nullus Medicus, vel qui pro Medico se gerat terrerius, vel forensis audeat, vel præsumat medicare, nec artem medicinæ exercere physicæ, vel chirurgiæ in civitate Veronæ, vel burgis, seu in aliqua parte districtus Veronæ, nec consulere aliquibus in dicta arte, & officio medicandi, nisi prius fuerit approbatus per peritos dictarum artium physicæ, seu chirurgiæ, & alios discretos, & litteratos viros sacramento astrictos, eligendos per dominum Potestatem cum Consilio xij. ad utilia communis Veronæ deputatorum; Et nisi prius juraverit bene, & fideliter dictam artem medendi, exercere; Et scriptus etiam reperiatur in matricula aliorum medicorum Veronæ. Et si qua persona inventa fuerit contrafacere realiter, & personaliter puniatur ad arbitrium domini Potestatis & totius curiæ, vel majoris patris; inspecta qualitate personarum & delicti.

Quod Medicus ab initio commemorare teneatur infirmo de statu animæ, & rerum suarum. Cap. CXX.

UBI agitur de anima, etiam magis est succurrendum; Propterea statuimus, quod quilibet Medicus prima die, vel sequenti cum accesserit ad infirmum, eidem per sacramentum dicere teneatur, quod de statu animæ suæ & rerum suarum disponat, & ordinet. Et quod dominus Potestas infra xv. dies ab introitu sui regiminis compellat ipsos medicos, & quemlibet ipsorum jurare attendere, & observare prædicta.

De matricula & statutis Advocatorum, & quod etiam districtuales ex eis intelligantur cives. Cap. CXXI.

JURISCONSULTI habitantes in civitate Veronæ possint, & debeant sibi inter se facere matriculam, sive Collegium; & Statuta per ipsos facta ad ipsam matriculam, sive Collegium pertinentia, primitus approbata per dominum Potestatem & consilium xij. & l. Veronæ inviolabiliter observentur. Et ut scholares caussam & desiderium capiant addiscendi; quod omnes jurisperiti oriundi districtus Veronæ scripti in matricula civitatis Veronæ tanquam cives, & pro civibus civitatis Veronæ habeantur; & si fraus

fraus adderit, ipso jure perdant immunitatem. Et per hoc non intelligatur, quod ascendentes, & collaterales ipsius, qui facerent cum villis, deberent esse cives.

Quod nullus juris Professor ponatur in Collegio Advocatorum, nisi audiverit leges per quinquennium, & approbatus fuerit in Collegio. Cap. CXXII.

ITEM, quod nullus possit de cætero poni in Collegio Advocatorum Veronæ, nisi audiverit leges per quinquennium, & examinatus fuerit, & approbatus per ipsum Collegium. Et si aliquis est in dicta matricula, qui non audivisset per quinquennium, ab ipso Collegio removeatur omnino.

De matricula, & Statutis Notariorum approbatis, observandis. Cap. CXXIII.

NOTARII habitantes in civitate Veronæ possint, & debeant sibi inter se matriculam facere, sive Collegium. Et quod Statuta per ipsos facta & facienda ad artem notariæ pertinentia, perinde valeant, & teneant, & ab ipsis perinde debeant observari, ac si in Statutis communis Veronæ essent specialiter descripta; dummodo Statutis communis Veronę contraria non existant, & sint per dominum Potestatem, & Consilium xij. & l. deputatorum Veronę, sive per Illustrissimum nostrum Dominium approbata.

Ut tabelliones sub eorum Gastaldionibus se guadent. Cap. CXXIV.

ITEM Statuimus, quod dominus Potestas requisitus facere teneatur quoslibet tabelliones civitatis & districtus Veronæ volentes exercere officium notariæ, guadiare se sub illis, qui fuerint gastaldiones communitatis artis notariæ; & ut Statutis, & ordinamentis eorundem pareant: dum tamen non sint facta contra honorem, & utilitatem communis Veronæ, & ejus Statuta, vel contra leges, & jura.

Quod nullus possit exercere officium notariæ, nisi fuerit sub gastaldionibus guadiatus. Cap. CXXV.

ITEM, quod nulla persona exercere possit officium notariæ, neque exerceri, sive mitti in loco notarii ab aliquo officiali communis Veronæ, nisi fuerit persona, quæ sit notarius, & guadiata sub gastaldione, vel gastaldionibus artis notariæ. Alioquin si contigerit, quod ille, qui prius non erit guadiatus, ut superius continetur, eligeretur in aliquo officio sive lucro, quod notarius ab ipso privetur, & perdat lucrum, & alius loco ejus debeat poni, & ordinari.

 Quod

Quod nullus exerceat artem notarii, nisi matriculatus, nec ponat in locationibus pacta, quod conductor cadat a jure suo. Cap. CXXVI.

ITEM, quod nullus Notarius audeat, vel præsummat facere, vel exercere artem, vel officium notariæ in civitate Veronæ, vel ejus districtu, nec aliquod instrumentum, vel contractum, nisi fuerit scriptus in matricula Notariorum civitatis Veronæ, & de jurisdictione communis Veronæ. Et qui contrafecerit condemnetur in xxv. libr. denar. pro quoque, & quaque vice. Et de prędictis quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni, & teneatur in credentia. Item, quod nullus Notarius descriptus in matricula, & collegio Notariorum audeat, vel præsumat ponere, vel scribere modo aliquo, vel ingenio in aliquo contractu alicujus locationis, infrascripta verba vel alia idem importantia, videlicet: „ Quod quando vendit conductor jus suum, „ vel refutat, quod teneatur, & debeat dare, & solvere, seu dari, & solvi „ facere aliquod locatori, vel ejus successori pro venditione, seu refutatio- „ ne: item conductor, si non solverit sua ficta infra aliquod tempus, quod „ cadat a jure locationis; item si conductor non petierit investituram infra „ terminum in sua locatione contentum, quod cadat a jure locationis; item „ si dicti conductores decederent absque filiis masculis legitimis, quod tunc „ & eo casu jus suum, quod habebat dictus conductor in dicta re locata de- „ veniat, & devenire debeat in dictum locatorem, vel suos hæredes, vel „ successores, vel loco sui. „ Nec etiam scribere in instrumento sub involucro verborum, quod locator investiat conductorem cum pactis con- „ tentis in antiquis locationibus: Sed teneatur & debeat pacta conventa inter partes seriatim scribere, ad hoc ut possit videri, utrum verba importent aliquid, quod haberet idem dicere prout supra continetur, necne. Et quod nullus Prætor, nec alius Officialis communis Veronæ præsens & futurus audeat, vel præsumat, nec jurisdictionem, sive auctoritatem aliquam habeat sententiare, nec pronunciare aliqualiter contra præsentis Statuti intentionem, pœna & banno l. librarum denariorum Veronensium pro quoque, & quaque vice, applicanda pro dimidia cameræ Illustrissimi nostri Dominii, & pro alia dimidia parti læsæ. Et nihilominus ipse prætor, vel officialis teneatur condemnato ad emendationem interesse damni, & expensarum per ipsum condemnatum occasione prædicta, & eadem pœna puniatur consultor, qui consulet contra prædicta: Et quod dictum aut sententiatum fuerit non valeat: Et Notarius, qui contrafecerit pro quolibet & qualibet vice puniatur in centum libr. denar. & quilibet sit accusator, & habeat tertiam partem banni, & teneatur in credentia, & alia tertia sit cameræ Illustrifs. nostri Dominii, & alia tertia communis Veronæ. Et si Notarius secunda vice in prædictis contrafecerit, puniatur in centum libr. denariorum, & privetur perpetuo ab arte, & officio notariæ; & si post privationem aliquod instrumentum fecerit, jure non valeat.

Quod

Quod Notarii palatii habitent in civitate. *Cap. CXXVII.*

ITEM, quod omnes Tabelliones exercere volentes artem tabellionatus in Palatio communis Veronæ coram domino Poteſtate, Judicibus, & Conſulibus communis Veronæ, morari debeant in Civitate Veronæ, vel ſuburbiis, cum maſſaritia & familia; & aliter non admittantur, neo ſubſtineantur in dicto officio.

Ne Tabellio occupet locum alicujus ſui officialis. *Cap. CXXVIII.*

ITEM, quod nullus Tabellio appropriet ſibi locum aliquem ad banchum alicujus ſui Judicis vel officialis, ſed omnia loca cujuſcunque banchi, ſive tribunalis in principio cujuſlibet deputationis & mudæ, ſecundum formam Statuti poſiti ſub rubrica, *quod notarii palatii ſingulo anno mutentur*; fortiri debeant inter omnes ibi deputatos; & quilibet eorum teneatur ſtare in dicto ordine & loco ſuæ ſortis. Et qui contrafecerit omni vice x. ſolidos communi Veronæ componere teneatur.

Notarii non faciant ex ſe commiſſiones. *Cap. CXXIX.*

ITEM, quod nullus notarius officium exercens in Palatio communis Veronæ præſummat ex ſe facere aliquam commiſſionem pignerationis, vel ſequeſtri contra aliquam perſonam, niſi de commiſſione ſui Judicis, & ad inſtantiam creditoris, ſeu legitimi ejus nuncii, aut procuratoris aſſerti, quam cum relationibus in actis ſuis, tanquam acta publica ſcribere teneatur. Et qui contrafecerit puniatur in centum ſolidis denariorum pro quoque & quaque vice, & quilibet poſſit eſſe accuſator, & habeat medietatem pœnæ, & teneatur in credentia. Exceptis commiſſionibus quas Judex ex ſuo officio commiſerit, quas Notarius facere poſſit, ſecundum quod Judex ipſe mandaverit, & quas in actis ſcribere teneatur cum relationibus ſuis, ſub pœna prædicta, ſaltem cum tali forma verborum, quod appareat quid ſit factum.

Quod nullus Notarius pretium ſententiæ petat, niſi in publicam formam redactæ. *Cap. CXXX.*

ITEM, quod nullus Notarius, qui ſcripſerit ſententiam latam per dominum Poteſtatem vel Judices communis Veronæ, ſeu alios officiales communis Veronæ, debeat petere pretium ſententiæ ab eo, qui ſententiam voluerit, niſi prius ipſa fuerit in publicam formam redacta.

Ne

Ne Tabellio aliquid extorqueat pro imbreviatura invenienda a quinquennio citra. Cap. CXXXI.

ITEM, quod nullus Tabellio possit aliquid extorquere pro cercatura imbreviaturæ alicujus instrumenti, quod ipse fecerit infra quinquennium.

Quod nullus Notarius stipuletur aliquem contractum ad mealem, videlicet sine scriptura prius facta. Cap. CXXXII.

ITEM, quod aliquis Notarius quantumcunque memoriosus, & fidelis non præsumat ullo modo, etiam partibus volentibus, stipulari & rogare aliquem contractum cujuscumque conditionis existat, sumptum ad mentem, nisi prius ante aliquam stipulationem & rogationem, ipse Notarius scripturam fecerit in suo Prothocollo ordinario consequentem, & continuatam in præsentia contrahentium, de omnibus & singulis partibur, saltem substantialibus, contractus, & negotij, & secundum quod Contrahentes erunt in concordio. Et quod antequam contractus ipse stipuletur, & rogetur per Tabellionem, teneatur & debeat ipse Tabellio legere, saltem semel, contrahentibus ad eorum claram intelligentiam, sicut præcise ab eo scriptum fuerit. Et tunc postea volentibus partibus possit & debeat ipsam scripturam coram testibus legere, & publicare, & ipsum contractum stipulari & rogare, & non aliter. Et quod, ex quo contrahentes diverterint ad extraneos actus, non possit dicto contractui aliquid addi, vel minui. Et prædicta observentur, pœna & banno centum solidorum pro quolibet, & qualibet vice.

Ut Tabelliones in instrumentis non ponant litteram portantem numerum, & ponant imbreviaturas continuatas, & nomina, & pronomina, & contratas. Cap. CXXXIII.

ITEM, quod nullus tabellio ponere debeat in aliquo instrumento alicujus contractus aliquam litteram, quæ levet, seu importet numerum alicujus quantitatis, seu speciei, vel annorum Domini, sed per seriem litterarum scribat; & qui contrafecerit, puniatur pro quolibet & qualibet vice in viginti solidis. Et quilibet Tabellio Veronæ, & ejus districtus teneatur ponere imbreviaturas continuas de quolibet contractu, quem fecerit in quaterno; & etiam commissiones, & relationes, & omnia alia acta publica, pœna xx. solidorum pro quaque vice. Et quod Notarius teneatur ponere in omnibus contractibus, & scripturis publicis, quos & quas faciet proprium nomen & pronomen ipsius, & nomen patris ejus, & contratam ubi moratur; pœna xx. solidorum pro quolibet, & qualibet vice.

Quo-

Quomodo Notarii scribere & ordinare debeant acta, & instrumenta, & infra quantum tempus scripsisse debeant. *Cap.* CXXXIIII.

ITEM, quod quilibet notarii ponere teneantur in cartulis, & restibus, & manifestationibus faciendis nomen, & supranomen suum, & etiam nomen diei, & præsentiam, & millesimum, & capitulum super quo testes producuntur, & continuatas, ac consequentes imbreviaturas facere in quaternos de singulis contractibus, de quibus fuerint ipsi rogati: Et scribere imbreviaturas, & confessiones infra triduum, postquam fuerint a partibus datæ. Et idem intelligatur de omnibus aliis instrumentis, quod in quaterno scribere debeant, infra octo dies continuos. Et qui contrafecerit in lx. solidis puniatur. Et quod teneatur facere instrumenta secundum imbreviaturas infra alios xv. dies, si fuerint de centum libr. & abinde infra, quæ officio Registri non præsentantur, pœna centum solidorum, & plus & minus arbitrio domini Potestatis, & curiæ; & ille, ad quem pertinet instrumentum satisfacere teneatur ipsi Tabellioni ad dictum terminum. Quod si non fecerit, pigneretur suis expensis sine aliqua citatione, quolibet tempore feriato, & non feriato, placitis, locatis, & non locatis. Si vero fuerint de excedentibus summam librarum centum, tunc infra xl. dies a die rogationis in civitate, & quinquaginta in districtu teneantur ipsi Notarij dicta instrumenta in publicam formam relevasse, & parti petenti dedisse, prius habita suæ mercedis solutione; præter instrumenta inventariorum perfectorum de quibus terminum habeant ad relevandum lx. dierum. Et quod omnes Notarii, qui fuerint electi ad aliquod officium ordinarium, vel extraordinarium teneantur inrubricare suos libros, & caussam ipsorum, & suorum officiorum, pœna & banno decem librarum, pro quolibet, & plus, & minus arbitrio domini Potestatis & totius curiæ, vel majoris partis.

De Notario mulctando, qui instrumentum dare retardat. *Cap.* CXXXV.

ITEM, quod si quis Notarius post factam sibi solutionem de instrumento, quod confecerit, non dederit illud, postquam requisitus fuerit, infra terminum relevationis sibi in præcedenti Statuto assignatum, vel paratus dare non fuerit justo impedimento remoto, dominus Potestas auferat ei pro banno xx. solidos; salvo Statuto de instrumentis registrandis posito in pagina Statutornm registri, sub rubrica „ infra quan- „ tum tempus Notarii rogati debent relevasse, & exhibuisse parti instru- „ mentum in forma". Et si Notarius ante sibi factam solutionem instrumentum fecerit, vel paratus fuerit dare ei, cujus debet esse instrumentum, auferantur pro banno xx. sol., si infra xv. dies non solverit.

HÆC

HÆC SUNT STATUTA REGISTRI INSTRUMENTORUM.

De loco, & clavibus Registri. *Cap. CXXXVI.*

CUM integritati, tum conservationi jurium cujuscunque consulentes, & salubres provisiones, per constitutionem officii Registri imitantes, quas pridem auctore Prætore domino Egidio Mauroceno, in anno domini M. cccc. viij. edidimus, ac deinde sub domino Andrea Donato milite, in anno domini M. cccc. xl. Magistra experientia; Reformamus, statuimus, & ordinamus, quod ipsum Officium habeatur, & manuteneatur perpetuum, & factum in curtivo palatij communis Veronæ in loco consueto, claves cujus commendatæ sunt fidei venerab. Suprastantis dicti Officii.

De Suprastante eligendo officii Registri. *Cap. CXXXVII.*

SUPRASTANS autem dicti Officii eligatur per scrutinium, & plures ballottas in Consilio xij. & l. ad utilia communis Veronæ deputatorum; qui sit notarius de Collegio Notariorum Veronæ, intelligens quidem & praticus, bonæ opinionis & famæ; qui singulis diebus & horis opportunis attendere debeat ad dictum Officium, illudque personaliter, & non per substitutum exercere.

De quattuor Notariis Registri. *Cap. CXXXVIII.*

NOTARII vero quatuor deputentur; qui primo eligantur per Collegium Notariorum in numero xij. Notariorum, qui sint sufficientes, & bonæ conditionis & famæ, & pulchri scriptores. Et ipsi duodecim sic electi præsententur præfato Consilio xij. & l. deputatorum, in quo singulorum nomina ponantur ad ballottas. Et ita de pluribur ballottis ipsi quatuor deligantur, procedendo etiam de electo in electum, secundum majorem numerum ballottarum, si quispiam refutaret.

De tempore electionis Suprastantis, & Notariorum. *Cap. CXXXIX.*

ANTE kalendas Novembris fieri debeat electio tam Suprastantis, quam Notariorum, ad hoc, ut intrare possint Officium in kalendis Januarii: ita quod interea in ipsis duobus mensibus possit ipse Suprastans relevare omnia instrumenta sua, de quibus pridem rogatus fuisset; & ea possint registrari ante suum officii ingressum. Quoniam ordo præsens hoc declarat, quod sub ipso Suprastante non possint aliqua instru-

ſtrumenta ſua regiſtrari. Intelligendo inſtrumenta ſua, etiam illa, de quibus ipſe cum aliquo ſocio ejus rogatus fuiſset, licet eſſent per dictum ſocium ſcripta.

Sed nec ipſe poſſit durante Officio conficere, rogare, vel ſtipulari per ſe, vel in ſolidum cum aliquo inſtrumentum regiſtrandum, nec ſimiliter eſſe Cauſidicus, Procurator, Sindicus, Actor, vel Advocatus alicujus agendo, vel defendendo cauſſas in judicio ordinario, nec aliquod aliud officium exercere. Et ſi contrafecerit perjurium incurrat.

Notarii quoque non poſſint pro alio procurare in judicio ordinario, nec aliquod aliud officium exercere, ſub dicta pœna perjurii.

De juramento Supraſtantis, & Notariorum. Cap. CXL.

IURARE autem debeant tam Supraſtans, quam Notarii ante ingreſſum officii in manibus domini Poteſtatis pure & fideliter, ac cum bona diligentia ſuum officium exercere, & præſentes ordines obſervare & exequi.

Quantum durare, & quantum vacare debeant Supraſtans & Notarii. Cap. CXLI.

DURARE debeat officium tam Supraſtantis, quam Notariorum per unum annum. Vacare autem debeat Supraſtans a dicto officio, & aliis ſecundum ordinem & regulam aliorum officiorum intus vacantium.

Abrogatum die ultimo Februarii M. cccc. lxvi. per Conſilium. Ut ipſe Supraſtans vacet ab illo ſuo officio tantum per unum annum. Notarii vero vacare debeant a dicto officio tantum per unum annum; declarato quod quilibet poſſit intrare Notarius Regiſtri ſecundum ordines dicti officii, non obſtante quod alius de eadem familia eſſet in alio officio communis. Et ſimiliter dicti Notarii non habeant impedire, quin alius de eadem familia poſſit ad alia officia communis eodem tempore admitti.

Infra quantum tempus Notarii rogati debent relevaſse, & exhibuiſse parti inſtrumentum in forma, & infra quantum tempus poſtea pars debet illud ad Regiſtrum præſentaſse. Cap. CXLII.

ITEM, ſtatuimus & ordinamus, quod unuſquiſque Notarius civitatis & diſtrictus Veronæ, qui rogatus fuerit aliquod inſtrumentum conficere de genere infraſcriptorum teneatur & debeat in termino xl. dierum in civitate, & l. in diſtrictu illud in publicam formam relevaſſe; præter inſtrumenta inventariorum, & perfectorum, & diviſionum de quibus Notarius habeat terminum ad relevandum lx. dierum; & illud dediſse parti petenti, prius habita ſolutione mercedis ſuæ. Sub pœna x. librarum denariorum,

riorum, & totius damni, & interesse parti lesæ; ad hoc ut pars possit illud officio registri præsentare.

Reformatum per consilium die xxix. Maij. M. cccc. lix.

Quod notarius habeat terminum de quocunque instrumento trium mensium in civitate, & quatuor in districtu.

Ad quod præsentandum, ipsa pars terminum habeat aliorum decem dierum. Et si ipsum instrumentum non fuerit infra dictum terminum officio registri præsentatum, non possit amplius præsentari, nec registrari, nisi justa de causa, utputa infirmitatis, vel mortis tabellionis, vel alia intercesserit, censenda arbitrio domini Potestatis cum causæ cognitione; vel nisi partes coram domino Potestate consentirent ipsum instrumentum registrari debere.

Quod fides non adhibeatur instrumento non registrato. *Cap.* CXLIII.

UT ulli instrumento non registrato secundum ordines, fides non adhibeatur in judicio, nec extra judicium: verumtamen contractus sive continentia dicti instrumenti probari possit per testes, vel aliter. Et Dominus Potestas debeat ipsum contractum, sive continentiam sic probatam facere per partes observari.

Qui modus in præsentatione, & registratione instrumenti servari debeat. *Cap.* CXLIV.

IN præsentatione autem & registratione cujuscunque instrumenti ordo iste servetur, videlicet: Quod omnia instrumenta debeant Suprastanti dicti officii præsentari, qui primo videre debeat, si illud est confectum manu Notarii autentici matriculati in Collegio Notariorum Veronæ, & si est in termino præsentationis; & tunc, & non aliter illud acceptare. Sub pœna perjurii, & privationis ab officio. Et statim debeat subtus nomen ipsius Notarii, manu propria subscribere actum dictæ præsentationis cum die suo, in hac forma videlicet:

PRÆSENTATUM FUIT HOC INSTRUMENTUM MIHI TALI SUPRASTANTI REGISTRI VERONÆ DIE TALI, TALIS MENSIS, ET ANNI. Et hoc ipsum in consonantia notare debeat ipse Suprastans super suo speciali libro præsentationum, sub pœna centum solidorum pro quoque instrumento, applicanda pro tertia parte accusatori, & pro aliis duabus partibus communi Veronæ, exigenda per Provisores. Et tunc pro posse suo debeat exigere, ac facere exbursari a producente in manibus massarii dicti officii tantum quantum verisimiliter sit solutio registrationis dicti instrumenti, vel circa, & deinde consignare, & distribuere ad registrandum; servando semper inter suos Notarios in distribuendo æqualitatem. Et aliquis Notariorum non possit, nec debeat registrari aliquod instrumentum, non prius visum, & subscri-

ſcriptum manu dicti Supraſtantis, & per ipſum diſtributum, & conſignatum ad regiſtrandum: Sub pœna x. librarum pro quoque & quaque vice, applicanda pro tertia parte dicto Supraſtanti, & pro duabus aliis partibus communi Veronæ, exigenda per Proviſores communis.

Quod in cartis membranis ſit omne regiſtrum, & quomodo Notarii dicti officii incontrare & ſubſcribere debeant.
Cap. CXLV.

IN cartis vero non papireis, ſed in novis membranis ſit omne regiſtrum inſtrumentorum, & tabularum repertorialium; & Notarii debeant omnia inſtrumenta ſibi per Supraſtantem diſtributa, & conſignata ſollicite regiſtrare, cum ſuis in fine tranſcriptionis nominibus atque ſignis, & poſtea auſcultare, ſive incontrare, & manu propria ſcribere in inſtrumento producto ſubtus ſubſcriptiones tabellationis, & Supraſtantis in hac forma, videlicet.

REGISTRATUM EST HOC INSTRUMENTUM PER ME TALEM NOTARIUM SCRIBAM OFFICII REGISTRI COMMUNIS VERONÆ, ET CUMTALI NOTARIO AUSCULATUM.

Et completo uno quaterno, debeant illum ſtatim dicto Supraſtanti reſignare, ſub pœna xx. ſolidorum pro quoque quaterno applicanda pro dimidia Supraſtanti, & pro alia dimidia communi Veronæ, qui etiam Supraſtans concedere poſſit ſuis Notariis, ſi, & quando ſibi videbitur de die in diem, quod poſſint domi laborare, & regiſtrare de inſtrumentis pro uno quaterno tantum.

Quantum accipi poſſit pro regiſtro, & quomodo illud inter Supraſtantem & Notarium dividatur. *Cap. CXLVI.*

MERCES vero pro omni labore & expenſa Supraſtantis & Notariorum ſint ſex ſolidi denariorum pro quaque facie ſcripturæ, juxta modulum conſuetum quaternorum. Quorum denariorum quarta pars ſit ipſius Supraſtantis, deductis prius expenſis cartarum, & aliæ tres partes ipſorum quatuor Notariorum, pro rata operis uniuſcujuſque. Et proinde quilibet ipſorum Notariorum eſse debeat maſsarius per tres menſes. Qui ſollicite etiam tempore præſentationis inſtrumenti exigat, & teneat computum ordinatum introitus, & expenſarum dicti officii, & illud oſtendat dicto Supraſtanti ad omne mandatum ſuum. Et ſingula hebdomada reddat rationem, & reliqua præſtet.

De libris in fine officii paginandis. *Cap. CXLVII.*

FINITO autem officio suo, teneatur dictus Suptastans fecisse compaginari in loco dicti officii, & non alibi, expensis communibus Suprostantis, & Notariorum omnes quaternos sui temporis in unum volumen, cum tabula ordinata membrana scripta manu Superstantis vel unius ex Notariis suis infra tres menses, post exitum officii sui: Ad hoc, ut interea per succedentes in officio possit compleri registrum omnium instrumentorum dicti anni finiti; & omnes illi quaterni possint in unum corpus integri anni componi. Sub pœna xxv. libr. denariorum applicanda pro tertia parte accusatori, & pro aliis duabus partibus communi Veronæ, exigenda per Provisores.

Quæ instrumenta debeant registrari. *Cap. CXLVIII.*

GENERA autem instrumentorum registrandorum sunt infrascripta, videlicet, Testamentorum, Codicillorum, Donationum mortis caussa, & quarumcunque ultimatum voluntatum post tamen mortem ordinantium; Venditionum, & omnium alienationum rerum immobilium, & promissionum de vendendo.

Permutationum & cambiorum.

Locationum ad imperpetuum cujuscunque quantitatis.

Debiti & Crediti.

Depositi, sive in quantitate, sive in specie.

Mutui & commodati.

Dotium & augmentationum, & donationum propter nuptias.

Donationum inter vivos.

Compromissorum quorumcunque super quibus sequatur sententia.

Sententiarum latarum super aliquo compromisso tam voluntario, quam necessario.

Societatum socidorum, ac communicationum bonorum.

Transactionum.

Solutionum, liberationum, remissionum jurium, ac cessionum.

Apprehensionum hæreditatum.

Actoriarum ad negocia.

Inventariorum perfectorum tam tutelatiorum, quam hæreditariorum.

Divisionum bonorum mobilium, & immobilium.

De quibus quidem instrumentis inventariorum perfectorum, & divisionum relevandis, Notarius rogatus habeat, & habere debeat terminum lx. dierum, sic Procurationum & curarum ad vendendum, alienandum, vel aliquid de supradictis actibus faciendum, & generaliter omnium procurationum & curarum, præterquam ad lites tantum. Et hæc omnia intelli-

intelligantur de instrumentis tantum ascendentibus, & valentibus ultra centum libras denariorum, & de Livellis cujuscunque quantitatis; & quæ non sint de personis, rebus, & bonis Ecclesiasticis.

Quomodo ultimæ voluntates debeant præsentari, & registrari.
Cap. CXLIX.

IN Testamentis autem, Codicillis, Donationibus caussa mortis, & aliis ultimis voluntatibus servari debeat iste modus, videlicet: Præsentari enim debeant officio Registri in papiro cum signo, & nomine per unum ex notariis rogatis, vel per ipsum Testatorem, sive alias ordinatorem in termino quinque dierum a die publicationis in Civitate, & decem dierum in districtu; sub pœna tabellioni, qui fuisset in mora dictæ præsentationis, standi in carceribus communis Veronæ per unum annum, & mille librarum denariorum applicandarum communi Veronæ, exigenda per Provisores communis. Quas si non solverit infra dictum annum, tunc pœna carceris duplicetur. Et proinde teneatur Suprastans registri vinculo sacramenti, & in pœna ducentarum libr. denariorum, applicanda pro tertia parte accusatori, qui teneatur in credentia, & pro aliis duabus partibus communi Veronæ, exigenda per Provisores communis; illud incontinenti denunciare Provisoribus, sive Sindico communis Veronæ, qui etiam teneatur vinculo sacramenti denunciare illud domino Potestati, & diligenter instare, quod dicta pœna executioni mandetur.

Recipi autem debeant ipsa Testamenta, Codicilli, Donationes, caussa mortis, & aliæ Ultimæ voluntates per Suprastantem dicti officii. Qui statim teneatur illud Testamentum, vel aliam Ultimam voluntatem claudere, & proprio anulo sigillare, & a tergo superinscribere in præsentia producentis, cujus sit illud, vel illa, & quæ certa die, sive in termino fuerit, sive non, &, per quem fuerit præsentatum. Et hunc ipsum actum præsentationis in consonantia scribere super uno speciali quaterno suo hujusmodi præsentationum. Et deinde ipsum Testamentum, & Ultimam voluntatem sic clausam, sigillatam, & superinscriptam cum ipso quaterno præsentationum reponere & salvare sub clavi, in speciali capsa in dicto officio deputata. Sub pœna in quolibet prædictorum xxv. libr. denariorum, applicanda pro tertia parte accusatori, & pro aliis duabus partibus communi Veronæ, exigenda per Provisores communis. Et pro prædictis percipere possit & debeat ipse Suprastans tres solidos denariorum pro quoque in usum proprium.

Restituere tamen possit & debeat ipse Suprastans unicuique testatori, vel alias ordinatori petenti Testamentum suum, vel aliam Ultimam voluntatem suam coram idoneis testibus non minus tribus, qui non sint de Notariis dicti officii; & scribere super antedicto libro præsentationum ad paginam dicti extrahentis hujusmodi restitutionem. Cui etiam dictus extra-

extrahens si scit scribere, & dicti omnes testes sese subscribere manu propria teneantur, & debeant in hac forma, videlicet: EGO TALIS FUI PRÆSENS SUPRASCRIPTÆ RESTITUTIONI TESTAMENTI, VEL ULTIMÆ VOLUNTATIS. Et tunc ipsum Testamentum & alia ultima voluntas sic restituta, deinceps ipso jure non valeat, ac pro revocata habeatur. Et per hoc etiam percipere possit, & debeat ipse Suprastans tres solidos denariorum pro quoque, in usum proprium.

Quod libri dicti officii extra dictum locum non portentur, & secreti teneantur. Cap. CL.

ITEM, stricto ordine mandamus, quod neque Suprastans, neque Notarii possint, nec debeant aliquem de libris & scripturis dicti officii ostendere, vel propallare alicui personæ, nisi quæ de hoc habeat interesse. De quo quidem interesse Suprastans ipse possit, & debeat examinare, & cognoscere etiam per juramenti delationem: Sub pœna cuique contrafacienti vigintiquinque librarum denariorum, applicanda pro tertia accusatori, qui etiam teneatur in credentia, & pro aliis duabus partibus communi Veronæ. Sed nec possint, aut debeant aliquo modo, vel casu extrahere, vel extra portare de loco dicti officii aliquem librum, vel scripturam dicti officii; nec de ipsis aliquam copiam cuiquam exhibere, sub pœna perjurii & privationis officii, & centum librarum denariorum, applicanda ut supra: nisi mandatum venerit a domino Potestate cum caussæ cognitione, videlicet, citatis iis, quorum interest; & facta fide, quod petentis intersit, ac quod imbreviatura Notarii rogati non possit haberi; & tunc libris dicti officii, ac instrumentis extractis ab eis sub tali mandato domini Potestatis plena fides adhibeatur: Et ex illis fiat vera fides & probatio, ac si originaria forent instrumenta. Declarantes præsenti ordine, quod ad libros dicti officii non possit, nec debeat haberi recursus, nisi de scripturis Notarii rogati non possit haberi copia, puta quia perditæ forent, vel alio casu peremptæ, vel nisi tractaretur de approbatione, vel reprobatione alicujus instrumenti producti; quo casu, & in quocunque alio, de quo justum fore videretur domino Potestati cum caussæ cognitione, haberi possit, & debeat recursus ad dictum officium, tanquam ad sacrum archivum.

HÆC

HÆC SUNT STATUTA DE VIATORIBUS.

De quinquaginta viatoribus eligendis, & eorum securitate.
Cap. CLI.

COHORTEM Communis dominus Potestas facere debeat in principio regiminis sui; Et cridari ad capitellum in palatio communis, quod quilibet volens esse viator communis Veronæ compareat ad certum terminum coram Provisoribus communis Veronæ. Et quod ipsi Provisores illos ex ipsis, qui tunc & postea sibi videbuntur idonei, & sufficientes, ætatis tamen a xx. annis superius, & l. annis infra, & habitantes in Civitate Veronæ & burgis; debeant scribi facere usque ad numerum quinquaginta, per alterum ex notariis concionum, quem eligere voluerint. Qui taliter scripti sint viatores communis per illum annum, sive tempus regiminis domini Potestatis; Si modo, tunc cum facient se scribi, singulam securitatem fecerint similiter scribendam xxv. libr. communis Veronæ pro quoque eorum, de exercendo eorum officia andaoriæ, bene & legaliter, & pignera non baratando, quæ ad suas manus pervenerint, & de attendendo præcepta domini Potestatis, & suorum judicum, & Statuta communis Veronæ super viatoribus loquentia. Et antea se in officio andaoriæ non intromittant, nec sine ipsa securitate scribantur. Nec per dictos notarios concionum scribatur aliquis pro viatore, nisi electus & præsentatus per Provisores communis, vel nisi de mandato domini Potestatis: Sub pœna centum solidorum scribenti, & totidem scripto, exigenda per Provisores ipsos. Et quod ipsi Provisores teneantur & debeant infra unum mensem ab introitu domini Potestatis, præsentare coram eo omnes & singulos dictos viatores scriptos; ut ipse dominus Potestas cum dicto notario concionum possit, si voluerit, de eis facere monstram, & ordinare ac præcipere eis id, quod sibi videbitur pro regimine suo, & bono subditorum.

Quod viatores portent insulam, & habitent in Civitate, & veniant ad conciones. Cap. CLII.

ITEM Statuimus, quod quilibet viator communis Veronæ stare debeat continue cum massaritia, & familia in Civitate, seu burgis Veronæ, & portare continue debeat unam insulam, cum uno insignio Sancti Marci ab uno latere, & uno insignio, communis Veronæ; quod est crux zalla in campo azuro ab alio latere; sicut portant viatores Ve-

Venetiarum cum duobus insignibus Sancti Marci. Ut quod dicti viatores venire teneantur ad omnes conciones, quæ fient pro communi Veronæ, & ibi stare usque ad finem; & ire cum malefactoribus puniendis usque ad locum pœnæ; exceptis viatoribus, tunc ad custodiam deputatis. Ut siquis contra prædicta fecerit, seu aliquod prædictorum puniatur in solidis xl. pro quaque vice, exigendis per suprastantem fabricæ palatii.

Quod nullus viator pigneret in villa originis, vel habitationis suæ, nec prope illam. Cap. CLIII.

ITEM, quod nullus viator communis Veronæ de cętero vadat ad pignerandum aliquo modo, vel ingenio, aliqua de caussa ad aliquam villam, vel terram districtus Veronæ, in qua steterit, vel sit oriundus. Nec ad aliquam aliam villam, quæ sit prope illam per quinque milliaria. Ut qui contrafecerit puniatur in centum solidis pro quolibet & qualibet vice, & restituat solutionem habitam pro dicta pigneratione. Ut de hoc quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni.

Quod viatores exequi debeant commissiones personaliter, & non per alium, & quomodo. Cap. CLIV.

ITEM Statuimus, quod viatores teneantur, & debeant commissiones pignerationum, sequestrorum, tenutarum, & præceptorum, & omnes ambasciatas, quæ sibi imponentur facere personaliter, & non per alium. Sub pœna centum solidorum pro quoque, & quaque vice viatori tam danti, quam recipienti dictas commissiones.

Additum die xx. Febr. M.cccc.lviij. per Consilium.

Ut insuper standi ad catenam arbitrio domini Potestatis. Ut hoc in præsentia Jurati contratę, vel Massarii villę, aut ejus nuncii, vel duarum personarum de Civitate, vel districtu Veronę, declarandarum nominatim per ipsum viatorem, quæ personę non sint in numero viatorum, aut barceriorum domini Potestatis, neque fœminę; nisi forte illa fœmina esset nuncia massarii, vel jurati. Ut si aliter fuerint facta prędicta, ipso jute non valeant: & viator condemnetur in lx. solidis.

De numero commissionum, quas portare possunt viatores ad exequendum in districtu. Cap. CLV.

ITEM, quod aliqui Viatores communis Veronę accipere, & portare non possint, nec debeant aliquo modo directo, vel indirecto ad exequendum in districtu Veronę ultra numerum centum pignerationum, & sequestrorum, & pręceptorum; sub pœna x. librarum denariorum; & ultra hoc, standi ad catenam quantum domino Potestati videbitur.

Quod

Quod relationes Viatores facere teneantur. Cap. CLVI.

ITEM Statuimus, quod Viatores teneantur reddere unam ex infrascriptis quinque relationibus, videlicet, quod acceperint pignus, aut illud designaverint Jurato contratæ, aut Massario villæ vel ejus nuncio. Vel quod aliquis ex prædictis steterit de pignere; quod tamen fieri non possit ultra quam semel, videlicet, quod ille qui steterit de pignere non possit facere per se alium stare de pignere, nec Viatores tales faciant relationes, ne procedatur in infinitum, aut confusionem faciat. Vel quod pigneratus, aut alius de ejus familia vetuerit pignus; quod etiam intelligatur vetitum, licet verbo vetitum non fuerit, quotienscunque per illos de domo ostium apertum non fuerit, postquam viator pluries pulsaverit præsente Jurato, vel Massario, aut ejus Nuncio, & retulerit, quod aliquis erat in domo. Vel quod de bonis mobilibus personæ, quæ debuerit pignerari non reperitur. Vel quod persona prædicta ibidem non habitat. Et si aliam fecerit relationem non admittatur; immo compellatur ad faciendum executionem sibi commissam, & referre uno ex modis suprascriptis, de quibus nihil percipiat, nisi retulerit ut supra dictum est; & ulterius condemnetur in centum solidis denariorum, & insuper ad standum ad catenam quantum domino Potestati videbitur.

Infra quantum tempus Viatores facere debeant relationes. CLVII.

ITEM, quod Viatores teneantur relationes quarumcunque commissionum, & omnes ambasciatas sibi impositas reddere suprastantibus commissionum, & successive Notariis, a quibus commissiones fuerint acceptæ, illa die, vel sequenti, qua die sibi datæ fuerint ad exequendum, quæ scribi debeant manu suprastantis commissionum aut sui notarij: Et hoc si fuerint in Civitate, & in suburbiis. Et si fuerint in villis distantibus a Verona per decem milliaria, vel abinde infra, teneantur reddere infra quartam diem; si vero distaverint a Civitate per xv. milliaria infra sex dies, & si distaverint a xv. milliaribus supra, infra decem dies. Et quilibet Viator, qui infra dictos dies continuos non retulerit ut supra, puniatur in libr. quinque denariorum & privationis ab officio andaoriæ per unum mensem, de qua privatione apponatur breve de littera grossa super officio dictorum suprastantium in publico; & si in dicto mense repertus fuerit facere officium, sit privatus dicto officio per unum annum; & nihilominus relatio valeat quandocunque facta fuerit, quamvis non iverit, nec retulerit infra dictum tempus.

De solutionibus faciendis Viatoribus. Cap. CLVIII.

ITEM Statuimus, quod Viatores communis Veronæ habere, & percipere possint a quolibet pignerato pro mercede laboris, & officii sui infrascriptas denariorum quantitates, & non ultra; videlicet, de qualibet pigneratione, quam Viator solus fecerit intra muros civitatis duos solidos: In suburbiis autem, & extra muros tres solidos. Et si in faciendo aliquam pignerationem per vim secum habuerit Baroerium unum vel plures, ipse Viator cum Baroeriis habere possit a quolibet pignerato triplum ejus, quod supra dictum est, singula singulis referendo. De sequestris autem, quæ fiunt intra muros Civitatis habere possit Viator ab impetrante solidos x. in totum. De præceptis vero, quæ fierent ad instantiam singularum personarum habere possit quilibet Viator de quolibet præcepto intra muros Civitatis unum solidum; & in Suburbiis duos soldos; & super Palatio sex denarios: non tollendo per hoc, quin personę possint vocari in jus, secundum consuetudinem in præsenti volumine scriptam. De pignerationibus autem, quæ fierent in villis Viatores cum Baroeriis habere, & percipere possint a pigneratis tres solidos tantum pro quolibet debitore, intelligendo unum debitorem tantum, etiam si essent plura nomina ad unum debitum copulata. De præceptis autem, & sequestris idem salarium percipiant ab impetrantibus, & citari facientibus, singula singulis referendo. Quando vero Viator mitteretur ab aliquo ad postam, videlicet ad faciendum aliquam specialem pignerationem, sequestrum, præceptum, vel tenutam ad villas, seu loca districtus Veronæ, tunc Viator ipse cum Baroeriis accipere possit a creditore duos solidos pro quoque milliario, sive de longinquo, sive de propinquo sint & quantumcunque steterit, sive modicum, sive satis, & non ultra, etiam si plures fuerint caussæ, seu personæ, quæ deberent sic pignerari, seu sequestrari, citari, vel præcipi. Et qui sic missus ad postam contrafecerit, condemnetur pro quolibet, & qualibet pigneratione, sequestro, tenuta, citatione, vel præcepto in centum solidis. Et ultra hoc ad standum ad catenam quantum domino Potestati videbitur, & privetur etiam ab officio, si domino Potestati videbitur. Et nihilominus restituat solutionem habitam ultra dictam quantitatem duorum solidorum pro quolibet milliario: Et pro salariis prædictis, tam ad postam, quam non, tam Viatores, quam Baroerii ire teneantur ad faciendum executiones commissas ad petitionem cujuslibet petentis; pœna, & banno lx. solidorum pro quolibet contrafaciente, & qualibet vice. Et, quod de prædictis quilibet sit Accusator, & habeat medietatem banni, cujus sacramento, & uni testi bonæ opinionis credatur, & stetur.

Reformatum per partem Illustrissimi Consilii Rogatorum datum iij. Febru. Indictione sexta. M.cccc.lvij. Et per declarationem super ea. Datum xxix. Martii ejusdem mill.

Quod

Quod Viatores, & Officiales accipere non possint de mercede suæ viæ quicquam a debitoribus, sed a creditore tantum pro prima, videlicet & secunda commissione in Civitate duos marchetos pro quaque, & extra Civitatem grossetum unum; pro tertia vero de eo, quod pigneraverint, sive in totum, si acceperint pignus sufficiens, sive pro rata de eo, quod pigneraverint. Et hoc etiam a Creditoribus, vel Massario pignerum, expensis tamen postea Debitorum, videlicet, quod solutionem habeant pro ipsa tertia secundum taxam Statutorum, quæ augeri non possit, &c.

Quod de salariis Viatorum, & Baroeriorum nulla fieri possit commissio contra Debitores, & infra quantum tempus debent facere sibi solvi a Creditoribus. Cap. CLIX.

ITEM, quod pro salariis, & expensis Viatorum, & Baroeriorum nulla fieri possit commissio, tam intus quam extra ad ipsorum instantiam contra aliquos Debitores, ad quos iverint; de salario autem quod eis a creditore mittente debueretur, teneantur & debeant ipsi Viatores facere sibi solvi & satisfieri infra unum mensem postquam executionem fecerint sibi commissam, alioquin elapso mense, nulla eis postea fiat ratio de prædictis.

Quod Viatores pro salario sibi taxato accipere possint pignera debitoribus, & ea conducant in manibus Creditorum. Cap. CLX.

ITEM, quod Viatores Communis missi ad pignerandum accipere possint pignera Debitoribus pro suo salario per Statutum limitato, & ea conducere in manibus Creditorum teneantur & debeant; quo casu dicti Creditores habito pignere teneantur, & debeant solvere statim ipsis Viatoribus pro suo salario. Et si ipsi Viatores non conduxerint, & non consignaverint ipsa pignera de salario in manibus Creditorum ut supra, condemnentur pro quoque & quaque vice in lx. solidis.

Quod Viatores pignera designent, & Jurati, ac Massarii ea recipere teneantur, & similiter sequestrari. Cap. CLXI.

ITEM, Statuimus quod Viatores communis Veronæ possint & debeant designare pignera Jurati contratarum, vel Massariis villarum, pœna, & banno l. solidorum. Et quod prædicti Jurati, vel Massarii teneantur & debeant manuprendere dicta pignera, quæ tunc dicti Viatores eis voluerint designare, & eorum fidei committere. Et si aliquod sequestrum fieri contigerit, tunc ipsi Jurati vel Massarii illud similiter in se recipere, & custodire, & salvare teneantur & debeant expensis facientis

L 2 fieri

fieri sequestrum, eisdem solvendis infra triduum post præceptum eisdem factum per Judicem, pœna & banno ad arbitrium ipsius Judicis. Ad quod quidem sequestrum faciendum & recipiendum, quilibet de illa communitate requisitus præstare teneatur Viatori, & Massario auxilium & vires, sub pœna centum solidorum.

Quibus Officialibus Jurati, & Massarii intendere debeant in facto præceptorum, & pignerationum a Civitate venientium. Cap. CLXII.

ITEM Statuimus, quod nullus Juratus contratarum civitatis Veronæ, nec Massarius alicujus villæ audeat, vel præsumat ducere, seu duci facere aliquem Officialem caussa pignerandi, seu percipiendi ad domum alicujus personæ, nisi infrascriptos officiales, videlicet. Primo Officiales Cameræ Illustr. nostri Dominii, Officiales Palatii communis Veronæ, Domus mercatorum communis Veronæ, Episcopalis curiæ Veronæ; dummodo Officiales Episcopalis curiæ non faciant nec vadant contra formam juris, aut contra decreta prælibati nostri Dominii; Et Officiales Viatorum suarum villarum. Et qui contrafecerit puniatur pro quoque & quaque vice in xxv. libris denariorum. Et de prædictis quilibet sit Accusator, & habeat medietatem banni, & teneatur in credentia.

Quod ostia clausa pignerandorum in villis possint per Viatores aperiri præsente Massario. Cap. CLXIII.

ITEM, quod si quis Viator communis Veronæ iverit ad pignerandum ad villam aliquam, seu locum districtus Veronæ, & invenerit ostia Domus illius, quem iverit ad pignerandum esse clausa, si non aperirentur sibi, possit, & debeat illa ostiam per vim aperire præsente Massario illius villæ seu loci, vel ejus Nuncio, licet in commissione non contineatur de aperiendo ostia; ad quæ facienda ipse Massarius, vel ejus Nuncius, & quilibet requisiti præstent ipsi Viatori vim, auxilium, & favorem.

Si Juratus, vel Massarius fraudem Viatori fecerit. Cap. CLXIV.

SI quis Juratus Contratæ Veronę, vel Massarius villę, aut ejus Nuncius fraudem commiserit, puta in dicendo debitorem non habitare, vel inducendo Viatorem ad loca ubi non sunt bona debitoris, vel aliter fraudando, tunc ille talis ad solvendum totum debitum creditori teneatur, habendo regressum contra ipsum debitorem.

HÆC

HÆC SUNT STATUTA SUPER COMMISSIONIBUS PALATII BULLANDIS, ET EARUM RELATIONIBUS.

De duobus Suprastantibus Commissionum eligendis. *Cap. CLXV.*

STATUIMUS primo, quod in Consilio xij. & l. Deputatorum Veronæ eligantur omni anno per scrutinium & ballottas duo præstantes viri bonæ sufficientiæ & integritatis, qui non sint Notarii de exercentibus artem notariæ, Suprastantes commissionum Palatii communis Veronæ, qui a dicto & ab aliis officiis vacent secundum regulam aliorum. Et eorum officii locus statuatur super dicto Palatio, ad quod omni die bis debeant quantum expedierit, residere, adeo quod semper horis opportunis saltem unus eorum intersit, & jurare debeant in principio sui officii in manibus domini Potestatis diligenter & fideliter suum officium exercere.

Additum die xx. Februarii M. cccc. lviij. per Consilium.

Nec possint quemquam subrogare, nisi cum licentia Magnifici domini Potestatis per aliquot paucos dies, sub pena privationis ab officio & libr. xxv. in quam penam pecuniariam cadat etiam Subrogatus, & ipsarum pecunialium penarum dimidia sit Accusatoris.

De uno Notario dicti officii eligendo. *Cap. CLXVI.*

ITEM, quod dicto tempore per Collegium Notariorum Veronæ eligantur quatuor sufficientes Notarii matriculati, quorum nomina præsententur in Consilio xij. & l. Deputatorum Veronæ, & in illo ballottentur. Et qui ex eis plures ballottas habuerit excedendo dimidiam Consilii, sit Notarius dictorum Suprastantium per illum annum, jurando coram domino Potestate diligenter & fideliter suum facere officium. Ad quod quidem intrare debeat per unum mensem post, vt ejus Præcessor per illum mensem remaneat ad informationem novorum Suprastantium, & successive servari debeat, vacando ab hoc, & ab aliis secundum regulam aliorum.

De bullandis commissionibus. *Cap. CLXVII.*

ITEM, quod omnes, & singulæ Commissiones pignerationum & sequestrorum dicti Palatii, & similiter commissiones præceptorum de sequestris conducendis, intelligendo de commissionibus privatorum, non autem Judicis dugalium, vel Sortium, vel Procuratorum & similium; antequam portentur ad exequendum, & similiter earum relationes antequam reddantur, præsentari debeant dictis civibus, qui illas debeant bene videre & exa-

& examinare, & de ipsis omnibus commissionibus, & andatis facere teneri per suum Notarium computum ordinatum, faciendo specialiter notari nomen Notarii a quo exiverint, & numerum nominum, & tempus & nomen Viatoris, & diem, in qua eas dederit ad exequendum; & insuper eas subscribere & bullare, dummodo non transierit dies sextus a die commissionis earum. Non excedendo aliquo modo numerum centum, secundum Statutum positum sub rubrica *de numero commissionum, quas portare possint Viatores ad exequendum in districtu*. Et similiter postea earum relationes debeant diligenter, & singulatim bene examinare, si ipsæ commissiones debito modo & tempore fuerint executæ, & tunc eas subscribere, & facere reddi, notato prius in suo libro die redditus Viatoris, & prius similiter notata per massarium commissionum infrascriptum supra uno alio Libro de per se relatione de singulis pigneribus, vel sequestris designatis, aut in se vocatis, aut vetitis; Ut ratio omnis inobedientiæ haberi possit, & pœna infallibiliter exigi. Et si quis Viator, Batoerius, vel alius Officialis in aliquo contrafecerit, cadat in pœnam lib. x. quarum tertia sit Judicis committentis, alia tertia dictorum Suprastantium, & alia tertia fabricæ Palatii officio dicti Massarii applicanda: Et insuper standi ad catenam arbitrio domini Potestatis; & insuper etiam sit privatus omni officio Civitatis, & districtus per triennium. Et proinde non sit aliquis Notarius, neque Creditor, qui audeat, vel præsumat exhibere alicui Viatori, vel Baroerio, nec alii Officiali; nec aliquis Viator, Baroerius, nec alius Officialis recipere aliquam commissionem pignerationis, vel sequestri, nisi de manibus propriis dictorum Suprastantium, qui soli habeant & debeant exhibere, & distribuere andatas Viatoribus, quibus, & quomodo sibi videbitur: præferendo tamen quicunque viator sibi a creditore præsentaretur. Sub pœna tam danti, quam recipienti solidorum sexaginta dividenda ut supra. Tollentes expresse abusionem inductam sub prætextu datiæ cleri Veronen, & mandantes, quod exactor cleri non possit mittere contra laicos aliquas commissiones, nisi de Palatio, & ab officiis palatii & secundum regulam aliorum.

Additum die xvi. Augusti, M. cccc. liiij. per Consilium.

Et si qua pignera ante relationem præsentarentur tam dictus Massarius condemnationum, quam Massarius pignerum habere debeant singulam vachetam extravagantem, in qua dictam consignationem scribant sine ulla expensa consignantis, & expectare relationem: & tunc eam cum dicta consignatione facta transferre in ordinarium Librum.

Additum die xx. Febru. M. cccc. lviij. per Consilium.

Et si Suprastantes aliquas relationes acceptaverint de manu alterius Viatoris quam pridem designato, aut factas minus debito modo & tempore, cadat acceptans in pœnam privationis ab officio & libr. xxv. denar. quarum dimidia sit dicti Accusatoris: declarando, quod Notarius eorum non possit, nec debeat aliquam relationem acceptare sine præsentia, & scientia Suprastantis.

De

De salario dictorum Suprastantium, & Notarii. *Cap. CLXVIII.*

ITEM, quod dicti Suprastantes, & Notarii habere debeant pro omni salario, & mercede sua ultra participationem ipsorum Suprastantium de pœnis ut supra, pro quoque nomine, sive debito quatuor denarios, videlicet, duos a Viatore expensis ipsius Viatoris, & duos a Creditore expensis Debitoribus inter sese æqualiter dividendos.

Reformatum die xx. Febru. M. cccc. lviii. per Consilium.

Tres denarios, videlicet duos a viatore expensis Viatoris, & unum a Creditore expensis Debitoris inter sese æqualiter dividendos.

Additum, ut supra. Et si Viator dictos duos denarios solvere recusaverit, vel eos in totum, aut in parte a Creditore acceptaverit, privetur ab officio, & cadat etiam in pœnam lx. solido. Intelligendo de commissionibus privatorum, non autem Jucidis Dugalium, vel Sortium, vel Procuratorum & similium, quas etiam sub emolumento prædicto privatorum teneantur bullare pro nihilo, & nihilominus, de eis etiam & earum relationibus, sicut de aliis tenere computum ordinatum, sub pœna privationis ab officio, & libr. xxv. denar. pro quoque & quaque vice, quamvis dimidia sit accusatoris.

De pœnis commissionum applicandis ad fabricam palatii, & de Massario super illis constituendo. *Cap. CLXIX.*

ITEM, quod omnes & singulæ pœnæ pecuniariæ impositæ per quæcunque Statuta Notariis, & Viatoribus, & baroeriis in facto commissionum Palatii communis Veronæ, & similiter omnes condemnationes de pignere vetito, & de pignere, sive etiam sequestro non conducto applicari debeant ad fabricam dicti Palatii, & exigi per Massarium hoc modo deputandum, videlicet; quod omni anno tempore, quo eliguntur Suprastantes commissionum eligi debeat in eodem Consilio etiam unus Massarius similis conditionis, qui jurare debeat in manibus domini-Potestatis suum officium bene & recte facere. Cujus officium sit penes banchum dictorum Suprastantium ad videndum cum illis omnes & singulas relationes de pigneribus & sequestris designatis, aut in se vocatis, & ad notandum illas diligenter in autentico libro, & tenendum de omnibus inobedientiis, & condemnationibus secundum dicta Statuta computum ordinatum, & ipsas condemnationes diligenter & fideliter debeat exigere. Ita tamen, quod taliter Condemnatus, & postea pro dicta condemnatione pigneratus, vel aliter molestatus non possit plus de pignere, vel sequestro vetito occasione dictæ condemnationis supercondemnari; sed contra ipsum realiter, & personaliter nullo juris ordine servato per ipsum Massarium procedatur; & maxime pro pœna, & con-

condemnatione Masfarii, quilibet etiam de communitate possit realiter conveniri. Qui quidem Massarius commissionum percipere possit ac debeat unum quintum totius ejus, quod exegerit de prædictis pro omni salario, & mercede officii sui, & sub illo aptare debeat Debitores solventes sine aliqua eorum expensa, etiam illos, quos Dominus Potestas de justitia vel gratia in totum, vel in parte dimitteret.

HÆC SUNT STATUTA CAMERÆ PIGNERUM COMMUNIS VERONÆ.

Pridem reformata tempore regiminis D. Pauli Bernardo Potestatis Veronæ in Anno Domini M. cccc. xlviij.

Cum antea habuissent initium sub Domino Paulo Trono in Anno Domini M. cccc. xxix.

De loco Cameræ Pignerum. *Cap. CLXX.*

PRIMO Statuimus, quod locus dicti Officii sit, & manuteneatur in curtivo Palatii communis Veronæ subtus Officium Provisorum Communis penes Canipam salis, ubi est de præsenti, cui addatur sala, quæ est supra officium Provisorum pro repositione maxime latorum, & aliorum similium pignerum.

De electione Massarii, & ejus vacatione. *Cap. CLXXI.*

ITEM, quod Masfarius dicti Officii eligatur ad minus annorum triginta in Consilio xij. & l. deputatorum ad plures ballottas, de duobus in duobus annis; cujus vacatio nihilominus reguletur ad instar officiorum vnius anni, & dicta electio fieri debeat per duos Menses ante.

De juramento Massarii & securitate præstanda. *Cap. CLXXII.*

ITEM, quod dictus Masfarius antequam ineat Officium, jurare teneatur & debeat in manibus D. Potestatis de bene, & fideliter suum officium exercendo, & secundum ordines dicti Officii; & præterea præstare Provisoribus Communis penes cancellarium communis idoneos fidejussores de ducatis quingentis auri, de reddendo rationem bonam de omnibus pigneribus, quæ ad ejus manus pervenerint, sive de pecuniis, quas ex ipsis pigneribus venditis fuerit consecutus.

De

De libro habendo per Massarium in quo pignera describantur.
Cap. CLXXIII.

ITEM, quod dictus Massarius habere debeat unum Librum, in quo distincte & clare describat numerum & qualitatem pignerum, nomina Debitoris & creditoris cum quantitate debiti, & Viatoris sive Nuncii præsentantis, & Notarii ex cujus commissione fuit acceptum, cum tempore in commissione contento. Quibus sic scriptis vnicuique pigneri sive mudæ pignerum apponat breve conforme dictæ scripturæ, & reponat in officio.

De modo tenendo per Massarium in venditione pignerum.
Cap. CLXXIV.

ITEM, quod elapsis octo diebus a die præsentationis pignerum acceptorum in Civitate, & quindecim super pigneribus acceptis in Districtu, si pignus non fuerit de dicto Officio exactum per debitorem, debeat ipse Massarius facere dictum pignus sive pignera ęstimari per ęstimatores idoneos cum sacramento, ac deinde infra unum mensem debeat pignera secundum ordines infrascriptos vendidisse, videlicet: Quia debet ipse Massarius publicum tenere Incantum ter in septimana, videlicet die Martis, Jovis, & Sabbati semper de mane usque ad horam nonæ, quando major est frequentia personarum, vel si in aliquo dictorum dierum festum aliquod solemne occurrerit, tunc in vigilia ipsius festivitatis; & debet ipse Massarius sic ter exponere unumquodque pignus ad incantum, & experiri si qui sunt, qui velint ponere, & quantum velint ponere super illo, ac postea illud incantare & vendere, & plus offerenti ultra ęstimationem deliberare. Infra autem ęstimationem nullo modo possit, nisi cum deliberatione & præsentia unius Provisoris communis Veronę, qui quotienscunque fuerit a dicto Massario requisitus ire teneatur. Verum quia pignera male salvabilia alium respectum important, relaxatur super conscientia & discretione Massarii, quod elapsis octo diebus a die præsentationis pigneris, ipse possit illa facere ęstimari, & vendere in prima, secunda, & tertia die incantus, secundum quod sibi videbitur pro Debitore.

De Custode Incantatore, & ejus salario. Cap. CLXXV.

PRÆTEREA, quia ipse Massarius opus habet fido Custode etiam incantatore, eidem Custodi incantatori, quem sibi eligere voluerit, taxatur unum marchetum pro quoque pignere, sive muda pignerum ab Emptore, ultra quem accipere non debeat. Sub pœna quadrupli, tam ipsi accipienti, quam Massario consentienti.

M Addi-

Additum per Consilium die iij. Martii. M. cccc. lxvi.

Æstimatores vero pignorum eliganrur in Consilio omni tempore electionis dicti Massarii duo, unus s. Aurifex pro rebus de arte sua, & unus Pezzarolus pro reliquis, qui jurare debeant in manibus Provisorum communis de justa cujusque pignerum æstimatione facienda secundum bonam conscientiam suam, & habere Librum specialem ad incontrum, in quo particulariter describant æstimationes suas.

De salario Massarii. *Cap. CLXXVI.*

ITEM, quod omnes hujusmodi venditiones ipse Massarius notare debeat super libro ad paginam suam, & habere pro salario suo sex denarios pro quaque libra æstimationis pigneris, de quibus dare debeat ęstimatoribus duos denarios pro quaque libra æstimationis pigneris æstimati x. libris, & abinde infra; pro æstimatis vero abinde supra, unum denarium pro quaque libra.

De pignere quoque, quod non venderetur, sed restitueretur habeat ipse Massarius unum denarium pro libra æstimationis vel quantitatis pro qua fuisset acceptum, si nondum esset æstimatum. Et æstimatores, si fuerit æstimatum habeant unum alium; nam permittitur quod Creditor possit facere pignus reæstimare Debitori, vel differre illius venditionem, quam dilationem Massarius ipse observare, & substinere teneatur ad omnem creditoris voluntatem, saltem usque ad duos Menses. Et si dictus Massarius ultra acceperit, reddat quadruplum.

Quod Massarius & sui Officiales nihil emant de dicto Officio. *Cap. CLXXVII.*

ITEM, quod dictus Massarius, vel æstimatores, vel alius dicto Officio inserviens per se, vel alium nullo modo audeant, vel præsumant emere de dictis pigneribus, sub pęna librarum centum denariorum, pro quoque & quaque vice, & cassentur de dicto Officio. Et quilibet sit Accusator & habeat medietatem banni, & teneatur in credentia, & alia medietas veniat in Communi.

Quomodo Massarius debet Creditoribus satisdare, & reliqua consignare. *Cap. CLXXVIII.*

ITEM, quod deductis expensis prædictis Massarius teneatur de pretio pigneris pro quanto est satisfacere Creditori, & quod, si quod superfuerit, restituere debitori; & si Dominus pigneris, vel ejus hæredes non reperirentur, de quo teneatur ipse Massarius diligentem facere inquisitionem, in dicto saltem termino duorum mensium per publicam cri-

cridam & per omnem alium modum de restituendo dictum restum, cui debetur; tunc illud totum consignare debeat in duos Menses ab exitu sui officii ejus succesori, qui in fine sui officii post duos Menses teneatur, & debeat in totum consignare Rectoribus sanctæ Pietatis Veronæ, sub pęna dupli. Cum, hoc quod quandocunque Creditor venerit, dicta Domus teneatur ipsi Creditori volenti suum debitum restituere.

De consignatione facienda finito officio per Massarium tam pignerum, quam librorum. Cap. CLXXIX.

ITEM, quod dictus Massarius infra vnum Mensem post exitum sui officii teneatur & debeat consignare primo ejus Succesori omnia & singula pignera dicti officii cum nominibus & caussis suis. Item Provisoribus communis Veronæ vnum librum rationum sui officii, in quo descriptum sit quantum & quibus dare restat. Super quo quidem libro possint, & debeant ipsi Provisores una cum Rationatoribus Communis facere, & calcula e rationes ipsius Massarii exeuntis.

PAsqualis Maliperio Dei gratia Dux Venetiarum &c. nobilibus & sapientibus viris Nicolao Marcello de suo Mandato Potestati, Nicolao Superantio Capitaneo Veronæ & Successoribus suis fidelibus dilectis salutem, & dilectionis affectum. Signamus vobis, quod in nostro Consilio Rogatorum xxviij. Januarii proxime præteriti capta fuit pars infrascripta, videlicet: Quoniam nostrum officium est, ut omnibus justitia ministretur, quæ fieri non æstimatur, nisi, quod juste decretum est, juste etiam exequatur; Et propter corruptelas in terris, & locis nostris introductas contra mentem & scientiam nostram, quibus & creditoribus non satisfit, & continuis expensis afflictiones adducuntur afflictis debitoribus, & satellites aluntur calamitatibus & sanguine pauperum; vadit pars, quod Milites, Comestabiles, Viatores, Baroerji, & omnes alii, qui ad exigendum fuerint deputati, quovismodo accipere seu habere non possint a debitoribus nisi pignus vel debiti solutionem. Expensas vero itineris nullo modo accipere possint, nisi de eo, quod pignaverint sive in totum, si acceperint pignus sufficiens, sive pro rata de eo, quod pignaverint; & has expensas habeant a creditoribus, vel Massariis vendentibus pignera: quæ tamen expensæ ponantur ad rationem debiti, sub pœna privationis officii, & standi per unum diem in berlina irremisibiliter. Non possint quoque præfati Executores ire in pensionem, sub eadem pœna. Item non possint accipere ultra taxam limitatam per Statuta sua, seu per ordines civitatis, sub eadem pœna. Quam taxam nullus Prætor, vel Judex possit augere, sub pœna ducatorum centum, & privationis officii.

Præterea nullus Prætor, vel Judex possit committere plures quam tres commissiones, nec Notarius notare, sub pœna cuilibet contrafacienti ducatorum centum & privationis officii. Quæ commissiones fiant juxta

modos & ordines per Statuta sua declaratos, vel qui per Consilia sua determinabuntur cum præsentia, & consensu Rectorum. Et tertia commissio firma, & valida perduret usque ad totius caussæ expeditionem, sive debiti exactionem. Quare cum præfato Consilio mandamus, quod hanc Partem & deliberationem nostram observetis & faciatis inviolabiliter observari: Faciendo eam in locis solitis vestri regiminis publice proclamari; ac etiam significando eam Rectoribus, sive Officialibus, & Vicariis illius Territorii nostri, ut omnibus nota sit. Et denique volumus, quod Partem ipsam in illa Cancellaria nostra, & aliis locis ubi opus erit ad futurorum memoriam registrari faciatis.

Data in nostro Ducali Palatio, die tertio Febr. indictione septima. M. cccc. lvij.

Publicata ad Capitellum per Castellanum Tubatorem legente me Silvestro Cancellario die Jovis xvi. Februarii, & similiter die sabbati decima octava. Item missa per Districtum.

PAsqualis Mariperio dei gratia Dux Venetiarum &c. nobilibus & sapientibus juris Catulo Marino de suo Mandato Potestati, & Nicolao Superantio Capitaneo Veronæ & Successoribus suis fidelibus dilectis salutem, & dilectionis affectum. Intelleximus quantum fidelis civis noster Joannes Donatus de Odonibus nobis exposuit parte illius nostræ fidelissimæ Communitatis, circa declarationem per nos fiendam de parte in Consilio nostro Rogatorum diebus Superioribus capta, pro impensis parcendis pauperibus subditis debitoribus; & quamvis ipsa Pars per se clara sit & alia non egeat interpretatione, tamen declaramus esse contentos, ut prima & secunda vice, quibus Viator ibit pro pignerando debitorem, habeat in Civitate marchetos duos pro qualibet vice, & extra civitatem grossetum unum, & denarios exburset creditor ante tractum, & ponat ad computum debitoris, sicut est justum. Declaramus præterea, ut si quis, ut ajunt, mittere voluerit ad pignerandum quemquam ad postam, id facere valeat cum solutione per Statuta declarata solvenda per creditorem, ut supra; partem autem Consilii Rogatorum, cui in nihilo derogatum esse volumus propter hujusmodi declarationes, quæ ad ejus robur factæ sunt, ad unguem observate, & observari facite.

Data in nostro Ducali Palatio die xviij. Martii, indictione sexta. M. cccc. lviij. Publicata ad Capitellum xxviij. Martii.

Finis Libri primi Statutorum.

STA-

STATUTORUM
MAGNIFICÆ CIVITATIS
VERONÆ.

LIBER SECUNDUS.

HÆC SUNT STATUTA LOCATIONUM, PLACITORUM, AC JUDICUM CAUSSARUM CIVILIUM.

Quod omnibus diebus juridicis jus reddatur, exceptis feriis solemnibus & repentinis, & diebus veneris & sabbati. Cap. I.

STATUIMUS & ordinamus, quod dominus Poteſtas Veronæ teneatur, & facere debeat, quod jus reddatur per ipſum dominum Poteſtatem, & ejus Vicarium, & Judices ad jura reddenda in Civitate Veronæ deputatos, & conſules, & alios officiales communis Veronæ; primum ſecundum Statuta, & conſuetudines Civitatis Veronæ; & eis deficientibus ſecundum jura Romana & gloſſas ordinarias Accurſii approbatas per ipſum Accurſium. Et inquantum ſibi adinvicem contradicerent, tunc judicetur ſecundum illam gloſſam, quam approbat Dinus. Et hoc quibuslibet diebus, exceptis diebus feſtivis ſolemnibus infraſcriptis introductis in honorem Dei, quibus etiam de partium voluntate renunciari non poſſit. Et exceptis diebus Veneris, & Sabbati, & horis quibus fieret curia, ſeu condemnationes publicantur, ſeu Conſilium xij. & l. fieret. Et exceptis aliis feriis meſſium, & vindemiarum, & temporibus etiam, quibus commune Veronæ eſſet impeditum occaſione exercituum, ſeu aliorum juſtorum impedimentorum, ſeu quibuslibet aliis temporibus, quibus videretur Illuſtriſſimo noſtro Dominio Venetiarum, ſeu domino Poteſtati, quod ceſsaretur a jure reddendo aliqua juſta vel neceſsaria cauſsa interveniente, quibus dominus Poteſtas, Vicarius, & alii Judices, & Conſules communis Veronæ ſedere non debeant pro jure reddendo. Excepto Judice maleficiorum & Datiorum, & procuratorum communis Veronæ, & Judicibus dugalium & Sortium, qui poſſint ſedere quandocunque voluerint pro eorum officio exercendo.

Dies

Dies autem festivitatum solemnium feriarum singulorum mensium sunt hi, videlicet. Cap. II.

De mense Januarii.

Circumcisio Domini.	Die primo.
Sacratissimus dies Dominicus per totum annum.	
Dies Epiphaniæ Christi.	die 6.
Sanctus Antonius de Viena.	die 17.
Sanctus Sebastianus.	die 20.
Sancta Agnes.	die 21.
Conversio Sancti Pauli.	die 25.

De mense Februarii.

Purificatio Sanctæ Marię Virginis.	die 2.
Sanctus Blasius.	die 3.
Sancta Agata.	die 5.
Sancta Apollonia.	die 9.
Sanctus Matthias Apostolus.	die 24.

De mense Martii.

Sanctus Gregorius.	die 12.
Sanctus Joseph.	
Annunciatio Sanctæ Mariæ Virginis.	die 25.
Sacri quoque dies Paschæ Resurrectionis Domini, qui septenali numero pręcedunt, & sequuntur.	

De mense Aprilis.

Depositio Sancti Zenonis Episcopi & confessoris, & defensoris Civitatis Veronæ.	die 12.
Sanctus Georgius.	die 24.
Sanctus Marcus Evangelista.	die 25.
Sanctus Petrus martyr ordinis Prædicatorum oriundus Veronę.	die 29.

De mense Maii.

Festivitas Apostolorum Philippi & Jacobi.	die 1.
Inventio Sanctæ Crucis Dominicæ.	die 3.
Singulis tribus diebus Litaniarum usque ad tertias propter Rogationes.	

Ascen-

Ascensio Domini nostri Jesu Christi.	
Pentecostes cum duobus diebus sequentibus.	
Translatio Sancti Zenonis Episcopi Veronæ.	die 21.

De mense Junii.

Sanctus Barnabas Apostolus.	die 11.
Festum Sacratissimi Domini nostri Jesu Christi Corporis.	
Nativitas Sancti Joannis Baptistæ.	die 24.
Festivitas omnium Apostolorum Petri & Pauli.	die 29.

De mense Iulii.

Sancta Felicitas, & septem Fratres filii ejus.	die 10.
Sancta Margarita.	die 13.
Sanctus Quiricus & Yolita.	die 15.
Sancta Maria Magdalena.	die 22.
Festivitas Sanctorum Jacobi, & Christophori.	die 25.

De mense Augusti.

Vincula Sancti Petri.	die 1.
Sancta Maria a Nive.	die 5.
Sanctorum Firmi & Rustici.	die 9.
Sanctus Laurentius Martyr.	die 10.
Assumptio Sanctæ Mariæ Virginis.	die 15.
Sanctus Rochus.	die 16.
Sanctus Bartholomæus Apostolus.	die 24.
Sanctus Augustinus.	die 28.
Decolatio Sancti Joannis Baptistæ:	die 31.

De mense Septembris.

Nativitas Sanctæ Mariæ Virginis.	die 8.
Sanctus Nicola de Tolentino.	die 10.
Exaltatio Sanctæ Crucis.	die 14.
Sanctus Matthæus Apostolus & Evangelista.	die 21.
Dedicatio Ecclesiæ Sancti Michaelis Archangeli.	die 29.
Sanctus Hieronymus.	die 30.

De mense Octobris.

Sancta Justina ob Victoriam contra Classem Ottomanam.	die 7.

San-

Sanctus Lucas Evangelista.	die 18.
Undecim millia Virginum.	die 21.
Sanctorum Simonis, & Judæ.	die 28.

De mense Novembris.

Festivitas omnium Sanctorum, & sequens dies pro commemoratione omnium defunctorum, videlicet ante tertias inclusive.	die 1. die 2.
Sanctus Martinus Episcopus & Confessor.	die 11.
Sancta Catharina Virgo.	die 25.
Sanctus Andreas Apostolus.	die 30.

De mense Decembris.

Sanctus Nicolaus Episcopus.	die 6.
Sanctus Ambrosius.	die 7.
Sanctus Zeno Episcopus Veronæ. Seu conceptio Beatæ Mariæ.	die 8.
Sancta Lucia Virgo.	die 13.
Sanctus Thomas Apostolus.	die 21.
Vigilia Nativitatis Domini.	die 24.
Natale Domini.	die 25.
Sanctus Stephanus.	die 26.
Sanctus Joannes Evangelista.	die 27.
Sancti Innocentes.	die 28.
Sanctus Thomasius Martyr cum die sequenti.	29.& 30.
Sanctus Silvester Papa.	die 31.

Et ne differatur latronum, seu furum, & aliarum sceleratarum personarum punitio, vel vindicta; Statuimus, quod etiam diebus solemnibus suprascriptis, possit contra latrones & fures, aliasque sceleratas personas procedi, & fieri sententia. Et hoc summi Numinis speretur venia, pro eo, quod multorum salus, & incolumitas personarum, atque utilitas procuratur.

De Locatione Placitorum in genere, & qualiter locari possint. Cap. III.

ITEM Statuimus, quod placita possint, & debeant locari per do. Potestatem cum voluntate omnium Judicum, & Consulum communis Veronæ, vel majoris partis. Et quotienscunque omnia placita generaliter locantur, intelligantur esse locata omnia placita appellationum, nullitatum, & quæstionum a x. libr. supra cujuscunque generis sint: Exceptis criminalibus, quæ agitantur coram Judice Maleficiorum; & non de quasi, quæ locari possint. Et exceptis quæstionibus de mercede non exceden-

cedente summam xxxij. libr. & quæstionibus Carceratorum, ac de drictis, & fictis, & de decimis, armis, & equis, & alimentis, & de factionibus & oneribus & caussis Rusticorum ad villas revocandorum, & cautionibus damni infecti, & enunciatione novi operis, & caussis, quibus actio esset tempore peritura infra dictum tempus dictarum feriarum, seu locationis placitorum. Qui casus exceptuati nullatenus in generali locatione Placitorum includantur, nec includi possint. Et quod prædicto tempore possint etiam fieri interdicta, & sequestrationes in casibus concessis a jure, & Statutis communis Veronæ, super quibus possit tamen usque ad descriptionem rerum, & satisfactionem & cassationem procedi. Possint etiam instrumenta judiciali auctoritate exemplari, & relevari, & Tutores, & Actores dari, & removeri tempore prædicto.

De locatione Placitorum in specie. Cap. IV.

PLACITA etiam cujuslibet singularis personæ euntis, seu stantis in servitio communis Veronæ, dominus Potestas ad voluntatem suam solus quidem locari possit, & locari facere. Et etiam placita illarum personarum, quarum fuerit Advocatus, Syndicus & Procurator, Curator, tutor, seu Actor, vel cum satisdatione defensor ille, qui ivetit seu steterit in servitio communis Veronæ, dummodo prædicti ante suum recessum litem fuerint contestati, seu domini litis effecti. Et hoc ad requisitionem illarum personarum, quarum fuerit Advocatus, Syndicus, Procurator, Curator, Tutor seu Actor, vel cum satisdatione Defensor, de qua requisitione appareat authentica scriptura. Et tunc solum intelligatur esse locata a tempore dictæ requisitionis in antea usque ad reditum dictarum personarum. Et si aliqua persona habuerit in caussa seu lite plures Advocatos, Syndicos, Procuratores, Curatores, Tutores, seu Actores, tunc propter absentiam unius eorum placita ipsius personæ locari non possint. Et si contrafieret ipso jure non valeat, & in caussa seu lite nihilominus procedi possit. Et a die litis contestatæ, vel habitæ pro contestata partes infra v. dies teneantur, & debeant cum sacramento declarare Advocatos suos, etiam si super hoc non fuerint requisitæ, alias non possit allegari locati oplacitorum.

Quod Officiales venire teneantur ad placita, & stare ad banchas ad sonum campanæ Officialium. Cap. V.

ITEM Statuimus & ordinamus, quod Judices communis Veronæ, & Judices consules, & Consules laici, & extimatores, & Judex procuratorum communis Veronæ, & sex notarii domini Potestatis sive domini Vicarii, & alii Notarii aliorum tribunalium Palatii, & Notarii

Concionum, & Notarii Procuratorum, & omnes alii Officiales Palatii communis Veronæ venire debeant ad Palatium ad ipsorum officium exercendum antequam pulsetur ter campana Officialium. Et stare debeant ad eorum Banchas pro ipsorum officio exercendo. Et non debeant se de bancha separare sine licentia domini Potestatis, usquequo pulsabitur campanella pro curia separanda, nisi irent pro ipsorum officio exercendo, vel occasione sui officii, vel in servitio communis Veronæ. Et si aliquis prædictorum Judicum communis Veronæ contrafecerit, solvat pro qualibet vice xx. sol. Et si aliquis prædictorum Judicum Consulum, & aliorum consulum, & extimatorum, vel Procuratorum contrafecerit, solvat pro quaque vice decem sol. Et si quis prædictorum notariorum contrafecerit, solvat pro qualibet vice tres solidos.

Quod tempus, quo Judices non veniunt ad Banchum in instantiis caussarum non computetur. Cap. VI.

CUM contingat interdum, quod placita alicujus personæ litigantis, vel generaliter, vel specialiter locentur modo comprehenso in Statutis *de locatione placitorum*; & quando jungitur Officialibus communis Veronæ, ut nemini jura reddant, vel ex caussa congregationis sapientum, videlicet Consilii xij. & l. vel alia simili ad auditoria sua non sedeant, propter quod in caussis, quæ coram ipsis vetillantur procedi non potest; & litigantes, quotum caussæ seu lites, quæ debent infra certum tempus terminari damnum circa lapsum temporis, & causæ instantiam non modicum patiuntur: Statuimus quod quotiescunque contigerit aliquod prædictorum, si hujusmodi casus acciderit, tempus, quod cucurrerit illo medio ipso jure cucurrisse non intelligatur, & in aliqua instantia, sive tempore nullatenus computetur etiam restitutione aliqua non petita. Et si casus acciderit, quod aliquis prædictorum officialium ex caussa infirmitatis, vel absentiæ a Civitate ad Banchum venire cessaverit, eo casu teneatur & debeat incontinenti idem officialis unum loco sui subrogare, & omnia gesta per ipsum subrogatum coram eo valeant & teneant; quod si non fecerit cadat, & cecidisse intelligatur in pœna centum solidorum, & in dando interesse parti.

Quod Judices non exerceant aliquid, quod ad contentiosam pertineat jurisdictionem, nisi ad sua auditoria, quibusdam exceptis. Cap. VII.

ITEM Statuimus, quod Vicarius domini Potestatis & alii Judices & Consules Procuratorum, Extimatores, & omnes alii Officiales deputati ad jura reddenda in Palatio communis Veronæ non possint, nec debeant sententias, nec aliquod, quod ad contentiosam pertineat jurisdictio-

dictionem exercere, nisi prius pulsata ter campana Officialium, & sederint ad Banchas, seu loca sibi deputata, & antequam Campanella pro curia separanda pulsetur; præterquam in casibus exceptatis in fine secundi Statuti præsentis libri, cujus rubrica incipit *de locatione placitorum in genere*. Sed tamen teneantur & debeant dictis temporibus ad Banchas venire, & sedere pro super prædictis jura reddendo bis in die. Et quicquid super prædictis etiam dictis temporibus per dictos Jusdicentes alibi quam ad Banchum juris factum fuerit ipso jure sit irritum & inane. Et si quis prædictorum contrafecerit puniatur pro qualibet sententia, & qualibet vice communi Veronæ in centum sol. Veronensium. Et sententia taliter lata ipso jure sit nulla. Et quicquid contra prædicta factum fuerit nihil valeat. Voluntariam autem jurisdictionem, ubique etiam quandocunque exercere possint. Salvo quod Judex maleficiorum, Datiorum & Procuratorum communis Veronæ, & Judices Dugalium, & Sortium quolibet tempore, & qualibet hora possint sua officia exercere.

Ut contentiosam habens jurisdictionem inter confitentes, & volentes possint in omni loco condemnare, & quilibet Notarius usque ad lx. solid. Cap. VIII.

ITEM Statuimus, quod quilibet Officialis communis Veronæ contentiosam habens jurisdictionem possit condemnare quoslibet confitentes, & volentes in omni loco, & tenutam committere de partium voluntate; & Tutores, & Curatores, & Actores dare & constituere, decreta sua interponere. Et quilibet Notarius de Verona collegiatus possit condemnare quoslibet confitentes, & volentes usque ad lx. solidos.

Quod nullus Officialis communis Veronæ debeat loqui secrete, nec consiliari cum aliquo stando ad banchas. Cap. IX.

ITEM Statuimus, quod nullus Judex communis Veronæ, Consul, Procurator, vel Extimator cum sedet, vel stat ad locum suum, pro ratione reddenda possit vel debeat consiliari, aut secrete loqui cum aliqua persona magna vel parva, nisi evidenter justa caussa hoc fieret. Et si contrafecerit judex communis Veronæ puniatur pro qualibet vice in xx. sol. & quilibet aliorum supradictorum Officialium in x. sol. Et quod de hoc quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni.

De Judice suspecto recusando. *Cap. X.*

SI REUS civili actione conventus ante litem contestatam dixerit suspectum se habere dominum Vicarium domini Potestatis, aut alium Jusdicentem sub quo vocatus fuerit; Statuimus, quod ipsum recusare possit, antequam contestetur lis. Et ipse dominus Vicarius & quilibet alius Judex statim sine aliquo gravamine, partes ire permittat ad alium Judicem: & ad unum ex aliis Judicibus ad jura reddenda deputatum ire teneantur, & ibidem de justitia respondere, quem ulterius in dicta caussa nequeat recusare. Et illud idem intelligatur in delegato domini Potestatis locum habere, qui si contigerit recusari, eatur postea ad unum ex Judicibus sive consulibus communis Veronæ, quem actor sive provocans duxerit eligendum.

Ne Vasallus in caussa domini sit Judex. *Cap. XI.*

CAUSSAM illius, cujus quispiam jusdicens sit Vasallus coram se non tractet neque difiniat, si alius sit ex ejus sociis, qui ipsam caussam possit & velit tractare & difinire. Eodem modo nec dominus vasalli sua caussam tractet.

Quod Vicarius, sive Delegatus & alii Judices domini Potestatis forenses de aliqua causa non cognoscant alicujus conterranei sui. *Cap. XII.*

ITEM Statuimus, quod Vicarius, seu Delegatus domini Potestatis, & alii Judices sui, qui sunt forenses, non possint, nec debeant cognoscere de caussa seu caussis civilibus alicujus personæ, quæ sit de ipsa terra unde fuerint. Salvo, quod si contigerit aliquem eorum mutari, & in locum mutati aliquem forensem subrogari, qui esset de terra alicujus forensis, seu forensium litigantium, seu qui litigabant coram mutato; tunc successor teneatur eas caussas alteri Judici communis Veronæ delegare sine debito terminandas. Et quicquid contrafactum fuerit ipso jure non valeat, nisi aliter de partium voluntate procederet.

HÆC

HÆC SUNT STATUTA NOTARIORUM, ET SCRIPTURARUM SUARUM.

Quod Notarii non scribant in caussa Patris, Filii, vel Fratris. Cap. XIII.

TABELLIONES aliqui non præsumant in aliqua quæstione scribere pro aliquo suo Patre, Filio, seu Fratre litigante suo nomine vel alieno; nec pro aliquo suo Procuratore. Et si aliquis contrafecerit, non valeat, quod scripsit in ipsa quæstione.

Quod Notarii non litigent ad Banchum, ubi officium exercent. Cap. XIV.

ITEM Statuimus, quod aliqui Tabelliones suo, vel alieno nomine non præsumant caussam dicere, nec aliquo modo litigare ad aliquod Banchum sive tribunal, ad quod essent deputati; sub pœna quod acta non valeant, nisi pro solutionibus scripturarum suarum, quas ad dictum Banchum confecissent.

Quod Notarii de scripturis suis ad Bancha, ubi sunt deputati procedere possint, & Judices cognoscere quolibet tempore. Cap. XV.

ITEM Statuimus, quod Judices, & Consules, & alii Officiales communis Veronæ compellere possint quemlibet satisfacere Notariis suis de scripturis factis coram eis. Et de quæstionibus scripturarum cognoscere die feriato non introducto in honorem Dei, & non feriato, & de qualibet quantitate pecuniæ.

De solutionibus scripturarum, quantum Notarii civilium caussarum accipere possint. Cap. XVI.

ITEM Statuimus, quod omnes Tabelliones teneantur, & debeant infrascriptam formam, & modum observare in solutionibus scripturarum ubicunque, & quancunque occasione factarum. In primis de Ambasciata unum solidum, de Authenticatione unum alium solidum. Item de recusatione Judicis solidos xi. & si fuerit Authenticata, alios duos solidos. Item de præsentatione scribenda i. solidum, & si fuerit authenticata, unum alium solidum. Item de Licentia sive Combiato vi. denar. & si fuerit authenticata, alios sex denarios. Item de Porrectione Libelli cum Protestatione unum solidum, & de Receptione cum Protestatione unum solidum; & de quolibet Libello magno, vel

vel parvo autenticato vel non autenticato, & de responsione libelli, arbitrio Judicantis. Item de dilatione, seu Termino, unum solidum, & si fuerit autenticata, unum alium solidum. Item de Termino, sive Dilatione cum sacramento xi. solidos. Item de Protestatione unum solidum. Item de Exceptione xi. solid. Item de Interrogatione facta ante litem contestatam xi. solidos. Item de sacramento calumniæ xi. solidos. Item de Litis contestatione xi. solidos. Item de Positione prima cum ejus responsione xi. solidos, & de qualibet alia cum responsione viij. denar. Et de Positione ad quam responsum fuerit se velle deliberare, vi. denar. Item de Juramento omnium Testium cujuslibet causæ facto una eadem hora sine contextu xi. solid. Item de quolibet Capitulo sex denarios, & de capitulo continente plures petias terrarum, sive res vel partes sit arbitrio Judicantis. Item de scriptura cujuslibet Testis in quacunque causa, sive sit coram Judice, sive coram Arbitro, vel alio Officiale pro quolibet capitulo, & ejus interrogationibus consuetis xi. solid. Et si capitulum contineret plures petias terrarum, vel res, sive partes, quod unaquæque petia terræ & unaquæque res, sive pars capituli, quantum ad solutionem Notariorum pro uno capitulo habeatur, si super unaquaque petia terræ, vel unaquaque re vel parte capituli factæ fuerint interrogationes separatæ. Et si Testis dixerit super capitulis se nihil scire, vel taliter quod non sint necessariæ interrogationes, tunc Notarius habeat pro quolibet capitulo tantum unum solidum. Item pro Exemplatura dictorum Testium dimidiam dicti pretii. Item de Scriptura cujuslibet Testis recepti sine capitulis duos solidos, & non plus. Item de apertura Testium unum solidum. Item de Præsa sive Interrogatione, & Responsione parva duos solidos, & si fuerit autenticata, duos alios solidos. Item de præsa & responsione magna arbitrio Judicantis. Item de Commissione interlocutoria duos solidos, & si fuerit difinitiva, duos solidos. Item de Commissione tenutę sive Pignerationis, Interdicto, sequestratione, & cassatione tenutæ, sive pignerationis, interdicti, sequestrationis, & eorum relatione pro qualibet earum xi. solid. Nisi in eis plures petiæ terrarum sive res continerentur, quo casu augeri possit salarium supradictorum arbitrio Judicantis. Sed si dictæ commissiones pignerationis vel sequestri essent pro debitis, tunc expensæ dictarum commissionum & relationum solvantur Notariis per Creditores tantum, sibi postea per Debitores reficiendæ. Qui Notarius habere possit, & debeat pro quoque nomine debitorum, & pro relatione duos solidos, tempore quo ipsam commissionem exhibebit; intelligendo tamen, quod si plura nomina essent ad unum debitum copulata, intelligantur esse unum nomen tantum. Et habere possit duplum pro unaquaque speciali commissione & relatione pigneris, sive sequestri specialiter facta contra unum Debitorem tantum, sive plura ad unum debitum copulata, ut supra. Item de Sententiis tam interlocutoriis, quam difinitivis Notarius possit accipere medietatem

ejus

ejus quantitatis, quam Consiliarius, cui quæstio commissa fuerit accipere potest secundum formam loquentis Statuti *de salario Judicum Consiliariorum*, & non ultra, s. si quæstio fuerit usque ad summam trecentarum libr. & abinde infra; & si fuerit abinde supra, habeat tertium ejus, quod consiliarii habere debent. Item de Præcepto xi. soli. Item de Prorogatione temporis duos solidos. Item de Pronunciatione duos solidos. Item de Libello, sive scriptura appellationis, & nullitatis, & de juramento appellationis non authenticato duos solidos; & Authenticato, & dato parti duos alios solidos. Item de cessione litis, & Pronunciatione facta occasione dictæ cessionis viij. solid. Item de Legatione duos solidos, & minus arbitrio Judicantis. Et quod dicti tabelliones non possint per se, vel alium modo aliquo vel ingenio plus accipere; & teneantur prædictas Scripturas, Instrumenta, Attestationes & Acta omnia scribere & exemplare manu sua propria, & sub signo & nomine, & reddere parti petenti pro medietate ejus, quod supra taxatum est pro authentico, pœna lx. sol. pro quolibet & qualibet vice, & quilibet sit Accusator & habeat medietatem banni. Et quod si Notarius dederit partibus seu parti testes, scripturas & acta in aliquo quaterno membrano non viciato, nec abraso, & cum signo suo in principio, & cum nomine in fine, & cum diebus, loco & testibus, millesimo, & indictione; quod prædicta intelligantur esse, & sint ut publicum Instrumentum, ad hoc ut fides ei adhibeatur ut publico instrumento. Et Dominus Potestas, Judices communis Veronæ, & omnes alii officiales præcise prædicta observari facere teneantur vinculo Sacramenti. Et jus reddant, & faciant summarium dictis Notariis de solutionibus dictarum suarum scripturarum quolibet die & tempore feriato, & non feriato, placitis locatis, & non locatis.

Infra quantum tempus Notarii exigesse debeant suarum scripturarum solutionem. **Cap. XVII.**

ITEM, quod omnes & singuli Notarii, qui acta conficiunt in Palatio communis Veronæ exegisse debeant solutiones suarum scripturarum, & actorum factorum per ipsos tempore sui officii, & sibi fieri satisfecisse infra tres Menses continuos numerandos a tempore exitus suorum officiorum, nisi infra dictum tempus emerserit tempus feriatum, vel nisi steterit in servitio communis Veronæ vel valetudine graviter impediti; ultra autem prædictum tempus nullus Notarius de prædictis audiatur.

Quod saltem duo Testes cognoscant Contrahentes. **Cap. XVIII.**

ITEM Statuimus, quod saltem duo ex Testibus in contractu adhibitis cognoscant Contrahentes, seu asserant se cognoscere. Et hoc Tabellio ponat in instrumento, & eidem credatur, & aliter non debeat sti-

ſtipulari, nec rogare inſtrumentum alicujus contractus, pœna & banno lx. ſol. pro quolibet & qualibet vice.

Quod tam Notarii, quam Teſtes, qui in teſtamentis, & aliis ultimis voluntatibus, ac etiam alienationibus interfuerint, ſint de juriſdictione communis Veronæ. Cap. XIX.

ITEM Statuimus, quod in omnibus & ſingulis Contractibus, Teſtamentis, Codicillis, Donationibus tam cauſſa mortis, quam inter vivos, & aliis ultimis voluntatibus, ac etiam alienationibus quibuſcunque de cætero condendis, ordinandis, aut faciendis per aliquem vel aliquos juriſdictioni communis Veronæ ſubjectum vel ſubjectos, modus, forma, & ſolemnitas hujuſmodi obſervetur, videlicet, quod tam Notarius, quam Teſtes, qui prædictis vel alicui prædictorum ordinandis, condendis, aut faciendis vocati fuerint, & intereſſe debuerint in eo numero, qui ſufficiat ad Teſtamentum ordinandum, vel Codicillos, aut alium Contractum celebrandum, in quo adhibiti fuerint; ſint & eſſe debeant de juriſdictione communis Veronæ, & de ſubeuntibus onera & factiones cum communi Veronæ, & cum hominibus civitatis ejuſdem, vel diſtrictus. Et ſi aliter aliquo modo factum fuerit ipſo jure non valeat, nec teneat, quod factum fuerit, ſed pro infecto penitus habeatur.

Quod duo Notarii in Teſtamentis, & aliis ultimis voluntatibus interveniant. Cap. XX.

ITEM Statuimus, quod in confectione cujuslibet Teſtamenti nuncupativi, & cujuslibet alterius ultimæ voluntatis, intereſse debeant duo Notarii, quorum unus ſcribat, & alter ſe ſubſcribat. Aliter autem non valeat tale Teſtamentum, nec quælibet alia ultima voluntas. Teſtamenta quoque in ſcriptis unicuique ſit licitum facere ſecundum jura communia ei, qui de jure communi teſtari poteſt.

De imbreviaturis relevandis defunctorum Notariorum, & de Inſtrumentis exemplandis. Cap. XXI.

ITEM Statuimus, quod omnia Inſtrumenta in publicam formam redacta, ſeu relevata per aliquem bonum, & legalem Notarium Civitatis & diſtrictus Veronæ, & per alium Notarium ſcripta ex imbreviatura, vel imbreviaturis manu cujuſcunque fidelis Notarii defuncti Civitatis Veronæ, vel diſtrictus, Ex præcepto quidem, & auctoritate Domini Poteſtatis, vel ejus Vicarii, ſeu alterius alicujus Judicis, aut Judicis Conſulis communis Veronæ; firma & rata debeant obſervari, & eis plena fides debeat adhiberi, perinde ac ſi forent facta per Tabellio-

bellionem, qui dictam imbreviaturam fecisset. Et hoc locum habeat, primo citatis iis, quorum interest, aliter autem eis non præjudicet. Idem per omnia intelligatur, & observetur de instrumentis publicis, quæ exemplantur per aliquem Tabellionem, qui scribat, & alium qui subscribat auctoritate alicujus Judicis, vel Prætoris communis Veronæ, propter vetustatem, vel aliam justam caussam. Et si imbreviatura alicujus Testamenti confecta fuerit vbi fuerint duo Notarii, & unus ipsorum Notariorum decesserit, quod unus alius Notarius auctoritate prædicta, possit se in dicto Testamento subscribere. Et si ipsi Notarii ambo essent mortui, quod ex ipsa imbreviatura possit instrumentum confici per alios duos Notarios auctoritate prædicta.

De imbreviaturis relevandis viventium tabellionum. Cap. XXII.

ITEM, quod si quis Notarius bonæ opinionis & famę fecerit, vel fecisset aliquam imbreviaturam alicujus contractus, vel ultimæ voluntatis, quę de jure possit, & debeat in publicam formam reduci, & ipse Notarius aliquo casu fuerit absens a Civitate, & districtu Veronę, nec speretur, quod de proximo sit redditurus, & maxime quia citatus non venit ad ipsam imbreviaturam in publicam formam reducendam, vel sit graviter occupatus, aut infirmitate vel senectute confectus, vel alio modo inutilis factus, quo minus dictam suam imbreviaturam relevare & authenticare possit; tunc ad petitionem eorum quorum interest, citatis illis, quos res tangit, seu qui ex tali relevatione lędi possent, auctoritate Domini Potestatis vel ejus Vicarii, aut alicujus judicum communis Veronę, possit ipsa imbreviatura relevari, & in publicam formam reduci, per duos Notarios Veronę Cives fide dignos, quorum unus scribat, & alter se subscribat, cui imbreviaturę sic relevatę & authenticatæ plena fides adhiberi debeat, perinde ac si per ipsum Tabellionem, qui eam scripserit, foret authenticata.

HÆC SUNT STATUTA EORUM QUI LEGITIME STARE POSSUNT IN JUDICIO.

De Syndicis ordinandis. Cap. XXIII.

SI aliqua universitas alicujus Villę, Castelli, vel Burgi, seu Contratę, & quęlibet alia universitas Civitatis, & districtus Veronæ fecerit aliquem Syndicum de sua universitate, vel aliunde in publica Vicinia sua ad sonum campanę vel tabulę, vel per vocem viatoris, vel alio solito more coadunata, cum licentia Domini Potestatis, in pręsentia Rationeriorum & Jurati si fuerit in Civitate & Burgis; & eum licentia Vicarii, vel sui Locumtenentis in præsentia ipsius Vicarii, vel Locumtenentis,

vel Massarii si fuerit in Villis, vel in Castellis; Statuimus, quod ipsius constitutio valeat & teneat, licet ibi duæ partes hominum illius universitatis vel amplior numerus non fuerit. Et hoc locum habeat in caussis, & placitis tantum. Et si inde appareat publicum instrumentum.

Nullus Advocatus de'matricula possit esse Syndicus, Procurator, Curator, Tutor, vel Actor in Palatio, vel Curia communis Veronæ. Cap. XXIV.

ITEM Statuimus, quod nullus Advocatus, qui sit in matricula Judicum, sive de Collegio Advocatorum Civitatis Veronæ possit esse Syndicus alicujus Collegii, vel universitatis, nec esse Procurator, Tutor, Curator, nec Defensor alicujus personæ ad lites in Palatio, sive Curia communis Veronæ, nisi parentis, fratris, sororis, vel uxoris. Et si aliquis contrafecerit removeatur incontinenti de Matricula, & privetur ab advocationibus & consiliis Judicum, & quæ gesta fuerint per eos, vel aliquem ipsorum in exercendo aliquod dictorum officiorum, ipso jure non valeant, & pro infectis pœnitus habeantur. Item, quod ire vel accedere non possint ad aliquod Banchum quando jus redditur, ad aliquod dicendum, vel faciendum aliqua ratione, vel caussa, præterquam pro personis supradictis exceptatis, nisi per assessorem fuerint requisiti, pœna xx. sol. pro quoque & quaque vice.

De Procuratoribus ad agendum & defendendum constitutis, & de eo, qui se Procuratorem dixerit, cum non esset. Cap. XXV.

ITEM, si aliqua persona Procuratorem constituerit ad agendum & defendendum, de quo publico instrumento constet, Statuimus, quod legitime constitutus esse intelligatur, & acta per eum in judicio valeant & teneant, ac si legitimus foret Procurator; & quod quilibet, qui coram Judice, vel Prætore dixerit se esse Procuratorem alicujus, & non ostenderit infra terminum a Judice constitutum, se legitimum fuisse Procuratorem, condemnetur communi Veronæ in centum solidis, & in restitutione omnium expensarum litis, damnorum, & interesse, quæ pars adversa substinuerit. Idem intelligatur, si quis in aliqua caussa tanquam Syndicus, Tutor, Curator, vel Actor alicujus extiterit, & si principalis persona teneretur in caussa aliqua satisdationem præstare, quod Procurator, vel alius ejus nomine in judicio existens ipsam præstare teneatur.

De

De securitate præstanda a quolibet, qui jurisdictioni communis Veronæ non subjaceat. Cap. XXVI.

ITEM, quod quilibet Syndicus, Procurator, & quælibet alia persona volens agere, accusare, vel defendere in aliqua caussa, vel lite civili, vel criminali pro aliqua persona, Collegio vel Universitate, quæ non sit de jurisdictione communis Veronę, antequam ei audientia prębeatur, facere debeat bonam & idoneam securitatem per personas communi Veronę subjectas de solvendo expensas adversæ parti, si in causa succubuerit, nec audiatur juratoriam pręstando cautionem; idem intelligatur de quibuslibet non subjectis jurisdictioni communis Veronę volentibus agere, accusare vel defendere suo nomine. Et quod ex stipulatione Judicis, vel sui Notarii jus parti acquiratur, perinde ac si ipsa principalis persona fuerit stipulata; & quod, si inveniatur in actis Notarii aliqua satisdatio vel securitas de prędictis, quod omnia intelligantur solemniter acta, perinde ac si principalis & fidejussores solemniter se obligassent.

De non danda audientia Bannitis, nisi certis personis, & certa forma. Cap. XXVII.

SI aliqua persona fuerit extra treugam communis Veronę, Statuimus, quod eidem audientia in civilibus non præbeatur, nisi fuerit Tutor, Curator, & Pater, vel Avus legitimus Administrator, quibus Tutorio, vel Curatorio, vel Administratorio nomine agentibus audientia prębeatur. Et nisi is qui extra treugam fuerit, petere vellet sibi debitum rei mobilis, vel se moventis, & tunc audientia prębeatur eidem, citatis illis creditoribus, qui ipsum debitorem eximi de treuga fecerint. Item quod illud debitum, quod fuerit exactum deponatur ad unum ex Notariis, vel aliam idoneam personam, quam Officialis coram quo quęstio ventilabitur, elegerit, & solvatur vel detur Creditori, qui ipsum eximi de treuga fecerit, seu alteri comparenti, & potiora jura habenti. Inter concurrentes vero Creditores distribuatur pro rata debiti secundum formam juris, quod facere, & observari facere teneatur Judex, vel Officialis coram quo prędicta agitabantur; & quod creditor antedictus actionem habeat contra eum, apud quem depositum fuerit factum, ac si ipse idem deposuisset.

Quod aliquorum Bannitorum nullus sit Advocatus, Syndicus, Procurator vel Actor. Cap. XXVIII.

ITEM, quod nulla persona de Verona, & Veronensi, seu aliunde possit nec debeat esse Advocatus, Syndicus, Procurator, Tutor, Curator, & Actor alicujus vel aliquorum Bannitorum communis Veronæ, qui non stant ad mandata communis Veronæ, exceptis his casibus, quibus per Statuta Bannitis agentibus audientia datur.

Qualiter puniatur, qui citare aliquem fecerit, & citatus duos habuerit commeatus. Cap. XXIX.

SI aliqua persona præcipi fecerit alicui, vt sit vel esse debeat coram Domino Potestate, vel aliis quibuscunque Judicibus, & Officialibus communis Veronæ, ad sibi in jure respondendum, & illa persona, cui factum fuerit præceptum se præsentaverit, & bis fuerit licentiatus ab uno officiali, Statuimus, quod ille ad cujus requisitionem præceptum factum fuerit condemnetur parti in xx. sol. & in expensis restituendis personæ citatę, prout judicanti videbitur, si persona fuerit de Civitate & Burgis; si vero fuerit de villa, condemnetur in quadraginta solidis, & in expensis.

De quis citare aliquem faciat coram diversis officialibus, nec ire quis pro eadem re sub diversis conveniatur Judicibus. Cap. XXX.

ITEM, quòd aliquis non possit citari, nec pignerari facere aliquam personam, nec cum ea litigare, nisi coram uno Judice, vel Officiali communis Veronę, nec alio extra Palatium, etiam cum licentia, ire coram alio Prętore, licet plures haberet cum eo quęstiones, dum tamen ille Judex, vel Officialis sit competens ad cognoscendum de omnibus illis quęstionibus, & qui contrafecerit puniatur pro qualibet vice in centum sol., & nihil valeat quod factum fuerit contra eum, qui citabitur. Item, quod nulla persona pro eadem re, eodem tempore, a diversis personis, sub pluribus seu diversis Judicibus valeat conveniri, & quod factum fuerit coram secundo Judice non valeat ipso jure. Insuper conventus coram secundo teneatur denunciare actoribus agentibus contra eum, quod de eadem re sibi pridem mota est quęstio coram tali Judice, vel Prętore: & etiam primo actori similem facere teneatur denunciationem, sub pœna omnis damni, interesse & expensarum restituendarum damnum passis.

E 2

Ex quo quis asseruerit se tenere & possidere rem aliquam in judicio, postea ipsam alienare non possit. Cap. XXXI.

SI aliquis in judicio asseruerit se rem tenere & possidere, de qua conventus fuerit, & ipsa res eidem postea infra decem dies juridicos fuerit in judicio petita, Statuimus, quod nullo modo vel ingenio possit rem ipsam in aliam transferre personam Ecclesiasticam vel Sęcularem, quo minus si fuerit condemnatus, restituere compellatur petitori, & petitor in possessione defendatur, contradictione illius non obstante, in quem res noviter esset translata, nisi per sententiam ejusdem Judicis pronunciaretur, & appareret alium in eadem re potiora jura habere. Et si aliter fiat quicquid factum fuerit contra prædicta, vel aliquod prædictorum ipso jure non valeat: & puniątur tam ille, qui alienaret vel in alium transferret, quam ille in quem translatio fieret ejus rei conscium in x. libr. pro quoque, & plus & minus arbitrio domini Potestatis; inspecta qualitate personarum & facti.

De respondendo positionibus clare, & aperte per principales personas, & de positionibus duplicibus non faciendis. Cap. XXXII.

POSITIONES aliquæ Statuimus non petantur dari pro exemplo, nec dentur, nisi primo responsum fuerit per Principalem, ubi per adversarium requiritur responsio principalis. Et quod Judex, & Officialis coram quo aliqua de prædictis quæstio orietur, ea die vel sequenti teneatur & debeat dictam quæstionem dirimere sine alicujus commissione consilii: salvo quod Judices, & Officiales Veronæ teneantur & debeant consulibus communis Veronæ præbere consilium super prædictis, si ab ipsis consulibus fuerint requisiti. Et quod in interrogationibus, positionibus, & capitulis, quæ fiunt in caussis procedatur arbitrio Judicantis, omni cavillatione remota sine partium expensis. Et quod Judices vel alii Officiales positionibus, quæ sibi videbuntur faciant responderi clare & aperte, & absque ulla conditione; salvo, quod jure impertinentiæ, & duplicitatis absentibus Advocatis, & procuratoribus partium, nisi ipsi Procuratores ponerent, vel responderent de principalium partium voluntate. Et quod nullus faciat positionem duplicem, vel implicitam, vel juris; & si facta fuerit, & ei responsum fuerit non præjudicet respondenti, & habeatur pro non responso. Et quod quilibet Procurator tam Actoris, quam Rei possit ponere positiones, & quod tam Actor, quam Reus durante termino probæ xl. dierum locato a Statuto Veronæ ad probandum de juribus suis, non possint nec debeant recedere de civitate Veronæ vel ejus districtu, ad hoc ut possint & debeant personaliter positionibus respon-

respondere; & in compellendo ut veniant ad respondendum, procedatur hoc ordine, videlicet: Citetur ille, qui debet positionibus respondere personaliter, vel ad ejus domum, præsente jurato contratæ, in qua habitaverit ipse, qui debet respondere, vel Massario villæ, in qua steterit, vel duobus hominibus de contrata, vel villa, si juratus vel Massarius non adesset. Et si dicta persona taliter citata non venerit ad respondendum, elapsis duobus diebus iterum simili modo citetur, & si adhuc non venerit ad respondendum pro tertio termino, & peremptorie citetur eodem modo; quibus ultimis duobus diebus elapsis, & non responso dictis positionibus, positiones ipso facto, & ipso jure pro confessis habeantur. Eo salvo, si aliquis ante litem contestatam esset absens a Civitate Veronæ, & non venerit in Civitate Veronæ durante termino probæ xl. dierum, quod tunc Procurator ipsius absentis possit positionibus respondere: & si ad præceptum Judicis, vel facta una citatione personaliter, vel duabus citationibus ad ejus domum, per intervallum unius diei inter primam & secundam citationem præsente Jurato, vel duobus bonis hominibus suæ Contratę, non responsum fuerit per ipsum Procuratorem; tunc ipsæ Positiones habeantur pro confessis ipso jure, & ipso facto, ut supra. Et si quis in judicio dixerit *non credo* habeatur pro negato.

De pœna illius qui in judicio negaverit aliquem esse Filium, vel Filiam, Patrem, Fratrem, vel Sororem, & qui intelligantur mortui. Cap. XXXIII.

ITEM, si aliqua persona coram domino Potestate & ejus Officialibus, Judicibus, Consulibus, & aliis Officialibus quibuscunque communis Veronæ, necnon coram Arbitris, vel Arbitratoribus negaverit per sacramentum in aliqua caussa aliquam personam esse Filium, vel Filiam, Fratrem, vel Sororem alicujus, vel aliquorum de quo, vel quibus sonus & publica fama fuerit esse Filium vel filiam, Fratrem vel Sororem, & ipsos vel ipsas esse, vel fuisse in possessione vel quasi filiationis vel fraternitatis manifeste, amittat pro qualibet persona & qualibet vice x. lib. solvendas communi Veronæ. Idem intelligatur si negatum fuerit prædictas personas fore legitimas, vel aliquam personam esse mortuam, de quibus sit sonus & fama, quod sit mortua, vel legitima; & quod in caussis sufficiat probatio facta de publica voce, & fama de prædictis, nisi manifeste ostendatur contrarium: Et illi intelligantur esse mortui, qui per quadraginta annos steterunt absentes extra civitatem Veronæ, & ejus districtum, & intra prædictum tempus non comparuerunt, nec aliqui requisierunt in districtu Veronæ, nisi allegantes eos vivere, probent ipsos vivere; & intelligatur negasse, qui responderit *non credere*.

De

De Testibus, & eorum numero in caussis producendis. Cap. XXXIV.

IN qualibet caussa civili, Statuimus, quod quælibet pars, tam Actor quam Reus producere possit usque ad x. testes & non ultra, nisi fuerint diversa capitula, diversas terras & possessiones, seu res continentia: & tunc super quolibet capitulo produci possint per quamlibet partem usque ad sex testes & non ultra, dummodo antequam aliqui recipiantur testes super diversis capitulis continentibus diversas terras, & possessiones seu res, ille, qui eos produxerit seu producere voluerit, declaraverit super quo capitulo, sic capitulis producit, seu producere intendit quemlibet testem; & seu super illis capitulis declaratis ipsi testes recipiantur, & non super aliis. Et quod Tabelliones quando recipiunt in aliqua caussa dicta testium, teneantur & debeant in fine dicti cujuslibet testis, quem receperint, scribere diem, quo ille testis deposuerit dictum suum.

De Interrogationibus Testium, & de salario Judicis, aut Notarii Suprastantis. Cap. XXXV.

ITEM, quod super unoquoque capitulo sive petia terræ, vel unaquaque re, vel parte capituli possint & debeant fieri quæstiones sive interrogationes arbitrio Judicantis, & tot quot sibi videbitur faciendas receptis interrogationibus a partibus, & ipsis receptis prius correctis, seu legitimatis. Et si testis dixerit se illud scire, quod in dicto suo dixerit per credulitatem vel per auditum, ulterius non procedatur interrogando. Et quod Judex, qui receptioni testium supersteterit, habeat pro suo salario & labore tantum, quantum Notarius, qui dicta ipsorum testium receperit. Et si Notarius superstéterit, habeat unum solidum pro quolibet capitulo cum interrogationibus, & sine interrogationibus sex denarios.

Quod Banniti pro maleficio non possint esse testes. Cap. XXXVI.

ITEM, quod Banniti pro maleficio vel pro reclamo maleficii, non possint esse testes in caussis civilibus, seu criminalibus, nec ferre testimonium in eis; & quod dictis eorum non credatur.

Qui testificari non cogantur in caussis in quibus intervenerint. Cap. XXXVII.

ITEM, quod nulla persona possit nec debeat compelli testificari in caussa, in qua sit vel fuerit Syndicus, Advocatus, Procurator, Tutor, Curator, seu Actor, ipsa caussa durante.

De

De testificatis mittendis ad cognoscentem de caussa. Cap. XXXIII.

SI qua caussa extra Civitatem, vel ejus Suburbia ventilabitur, dominus Potestas faciat testes jurare veritatem pro utraque parte dicere, & dicta testium sub sigillo suo clausa mittat illi Judici, qui de caussa cognoscet.

De Iuramento calumniæ in caussis communis Veronæ non præstando. Cap. XXXIX.

PROVISORES communis Veronæ, Milites Procuratoris, & alii Syndici, & Advocati communis Veronæ in caussis communis Veronæ, sacramentum calumniæ facere non cogantur, nec partes subire teneantur, sit tamen in domini Potestatis arbitrio.

Ut Episcopus de calumnia non juret. Cap. XL.

SI in causa Episcopatus jurandum erit, Episcopus non jurabit, nec sacramento parabolam dabit; quippe actorem Episcopi, cui licitum sit facere Procuratorem, vel Actorem ante litem contestatam in propria caussa vel Episcopatus, vel Episcopalis caussæ, jurare sufficiat. Omnes autem alios Actores sive Prælatos Ecclesiarum, sacramentum calumniæ per seipsos facere dominus Potestas cogat, si ab adversa parte fuerit requisitus; sit tamen in suo arbitrio. Confessioni tamen prælati stetur, licet Syndicus contrarium dixerit, nisi suum correxerit errorem.

HÆC SUNT STATUTA DE FICTIS ET ALIIS CREDITIS PRIVILEGIATIS QUOMODO PROCEDATUR.

De Fictis, & Drictis, quod quolibet die cognosci possit, & qualiter debentes solvere compellantur. Cap. XLI.

DE Fictis, & Drictis quolibet die feriato, & non feriato exceptis ferjis in honorem Dei introductis, pulsata campanella pro jure reddendo; & etiam non pulsata, placitis locatis, & non locatis, Statuimus, quod possit & debeat cognosci, & terminari per dominum Potestatem, ejusque Vicarium, & per omnes Judices, & Judices Consules communis Veronæ, & quod Debitor Dricti, & Ficti realiter, & personaliter ad solvendum compellatur, nulla exceptione vel bonorum cessione obstante, & quod nulla admittatur exceptio, nisi primo facto deposito, vel debitore carcerato. Et quod inquilini in alienis domibus habitantes ad fictum completum non audeant, nec præsumant de dictis domibus exire, nec

res,

res, seu masaritias suas de ipsis domibus extrahere, caussa recedendi, & eundi ad standum alio, nisi prius solverint, seu satisfecerint fictum dictarum domorum illi vel illis, a quibus eas tenent ad fictum, pœna & banno centum sol. & plus arbitrio d. Potestatis, & totius curiæ, vel majoris partis. Et quod Uxor, Filii, & Filiæ dictorum Inquilinorum in dictis domibus habitantes teneantur, & compelli possint ad ipsum fictum solvendum sicut ipsi Inquilini, & quilibet eorum in solidum.

Quando intelligatur solutio Ficti, seu alterius præstationis esse facta legitime, & cui debuerit. Cap. XLII.

ITEM, quod si aliqua persona secularis, vel ecclesiastica, Collegium, vel Universitas tenent vel in futurum tenebunt terras, domos, possessiones seu aliqua alia in locationem, in emphyteusim, in livellum vel in feudum conditionale ad fictum seu aliquam aliam præstationem annuatim solvendam seu prestandam ab aliqua persona seculari, vel ecclesiastica, collegio, vel universitate, & dicatur vel allegetur prædictas personas, collegium, vel universitatem cecidisse a jure suo, ex eo quia fictum, vel præstationem non solverint, tempore debito, aut illis personis, quibus solvere legitime tenebantur, si tenentes probaverint dictum fictum, seu præstationem se solvisse d. Procuratori suo, vel ejus familiæ, Prælatis ecclesiarum, Syndicis, seu clericis dictæ Ecclesiæ, vel alicui eorum Monacis, Monialibus, Conversis, Massariis universitatum, vel collegiorum, vel aliis, qui ficta, vel præstationes reciperent; intelligantur legitime, & cui debuerint solvisse: quæ quidem probatio fiat per duos testes, vel saltem per unum cum juramento solventis, inspecta quantitate ficti, seu præstationis, & conditione personarum. Idem observetur quando Dominus petit fictum, seu livellum, sive drictum ab emphyteuta, livellario, vel colono, ut prædictæ probationes sufficiant. Hoc etiam addito, quod in prædictis casibus bulleta sufficiat scripta manu Domini, vel ejus Procuratoris, aut Factoris, aut Syndici, etiam si in dicta bulleta non sint testes scripti. Quam bulletam prædictæ personæ gratis facere teneantur ad requisitionem conductorum, sine aliqua eorum expensa, cum eis satisfactum fuerit de fictis, & drictis suis, manu sua propria, si scribere sciant; alioquin si scribere nescirent vel valetudine non posent, fieri faciant bulletam alterius manu scriptam, cum duobus testibus in ipsa appositis, vel saltem uno bonæ famæ, & opinionis, quæ ad probationem sufficiant, ut supra, in & sub pœna x. libr. denar. pro quolibet contrafaciente, & qualibet vice. Et D. Potestas, Judices communis Veronę, & omnes alii Officiales quocunque nomine censeantur, teneantur & debeant prædictos solventes in possessione, vel quasi dictarum rerum defendere, & tueri per commune Veronę, aliquibus exceptionibus non obstantibus.

Si Fictum nunc plus valet, dummodo pridem non valebat duplum, defendatur. Cap. XLIII.

SI aliqua persona sæcularis vel Ecclesiastica, Collegium vel Universitas tenent, vel in futurum tenebunt aliquas terras, domos, possessiones, seu aliqua alia ab aliqua persona sęculari, vel Ecclesiastica, Collegio, vel universitate, ad fictum, seu præstationem solvendum, vel solvendam in locationem, in emphiteosim sive livellum, & dicatur per concedentes sive hæredes, vel successores eorum, quod plus valet fictum nunc, quam eisdem præstetur; Statuimus, quod propterea res ab eis auferri non possit, nisi concedentes & hæredes, & successores eorum, per bonos testes probaverint, quod tunc temporis quando fuit facta concessio, res valebat duplum ejus, quod nunc præstatur: Et dominus Potestas, Judices communis Veronæ, & cęteri officiales quocunque nomine censeantur, teneantur & debeant prædictos, & quemlibet defendere, & tueri per commune Veronæ in prædictis rebus & juribus, exceptionibus aliquibus non obstantibus.

De investitura per Vasallum, emphiteutum, Colonum, vel inquilinum non petita a Domino, qui absens stetit. Cap. XLIV.

SI aliqua persona, vel ejus majores, permanens ad mandata communis Veronæ teneat, vel de cętero tenuerit aliquod Feudum, Livellum, vel fictum ab aliquo, vel aliquibus, qui non steterint continue cum familia in civitate vel districtu Veronæ, non præjudicet Vasallo, Emphyteutæ, Colono, vel Inquilino, vel habenti caussam ab eis, si per dictum tempus absentiæ investitura livelli, feudi vel ficti petita non fuerit; nec eisdem possit opponi, quod infra tempus a jure Statutum investitura petita non fuerit; ita quod propter investituram non petitam, & cessationem pensionis, seu ficti non soluti, nullum possidenti, vel quasi præjudicium generetur; & aliqua persona non possit, nec debeat inquietari de aliqua pensione, ficto, vel præstatione, quam communi Veronæ, vel alii personæ mandato Judicis persolvisset.

In quibuscunque Ecclesiastici possunt restitutionem in integrum petere adversus laicos, & dicere contractus, sententias, processus nullos: in eisdem, & similibus, hoc idem laici facere & dicere possint. Cap. XLV.

IN quibuslibet casibus in quibus personæ Ecclesiasticæ, seu Ecclesiæ, Collegia, Capitula, seu Conventus Ecclesiarum seu Sydici, vel Actores eorum, vel aliæ personæ pro eis agentes aut intervenientes, & omnes aliæ personæ non suppositæ, seu subjectæ jurisdictioni domini Potestatis, & com-

& communis Veronæ possunt petere restitutionem in integrum adversus Laicos agendo, vel defendendo; in eisdem, & similibus casibus Laici, seu pro eis intervenientes simili modo possint restitutionem petere adversus Ecclesias, & Ecclesiasticas personas, non subjectas jurisdictioni prædictæ, & pro eis agentes & defendentes: & in quibuscunque casibus Ecclesiæ, seu dictę Ecclesiasticę personæ, vel aliæ personæ non suppositę, seu subiectæ jurisdictioni domini Potestatis & communis Veronæ, vel pro eis agentes aut defendentes, possunt dicere sententias, contractus, seu processus nullos cum Laicis celebratos, & ipsos contractus petere infringi, vel annullari; in eisdem, & similibus Laici simili modo possint dictos contractus, sententias, seu processus factos cum prædictis dicere nullos & facere ipsos infringi, vel annullari per modum excipiendi, vel reconveniendi, & per quemcunque alium modum, per quem melius possint. Contra quod Statutum quilibet excipiens vel proponens, nullatenus audiatur, etiam si a Judice per prædictos fuerit requisitum sibi dari consilium sapientis, Statuto aliquo loquente in contrarium non obstante.

De decimis terrarum circa civitatem ratio non fiat. Cap. XLVI.

DE decimis terrarum, sive vinearum, & verzeriorum, quæ per homines civitatis, & burgorum Veronæ regulantur, & quæ sunt circa Civitatem, & de quibus non reperitur, quod a xl. vel l. annis citra, continue fuerit data decima, nulla debeat alicui petenti decimam de prædictis ratio fieri.

De eodem. Cap. XLVII.

DE terris & possessionibus, clusuris, seu casalibus & hortis, qui essent circa civitatem & burgos Veronæ, & distarent per unum milliare, vel infra a civitate & burgis Veronæ, nulla persona teneatur nec debeat solvere decimam alicui personæ, cum intelligantur, & intelligi debeant dictæ terrę & possessiones, clusuræ & casalia sic distantes per unum milliare esse tanquam horti, & viridaria civitatis & burgorum Veronæ, pœna & banno arbitrio domini Potestatis auferenda.

De decima, & debitis usurariis cognosci possit in Palatio communis Veronæ. Cap. XLVIII.

SI inter aliquos Laicos quæstio aliqua de decima oriretur, Statuimus, quod dicta quæstio cognosci & terminari possit in Palatio communis Veronę coram domino Potestate ejusque Vicario, Judicibus & aliis Officialibus communis Veronæ, non obstante quod allegaretur decimam rem esse spiritualem, & per consequens sæcularem Judicem non posse cognoscere;

ſcere; & quod ſententiæ datæ per dominum Poteſtatem, vel ejus Vicarium, vel Judices ſeu alios Officiales communis Veronæ non poſſint, nec debeant annullari, eo quod diceretur decimam eſse rem ſpiritualem; nec eadem occaſione poſſit in cauſsa appellationis obtinere perſona, quæ in quæſtione decimæ ſuccubuiſset. Idem obſervetur de debitis uſurariis, vel quæ allegarentur uſuraria. Et ſi quis in prædictis caſibus, vel aliquo ipſorum allegaret incompetentiam Judicis, ſeu juriſdictionem ipſius declinaret, condemnetur in centum libr. quarum dimidia deveniat communi, & alia dimidia parti, & nihilominus ejus exceptio, vel oppoſitio in dictis caſibus oppoſita non admittatur.

Quando præſumatur contractus rei immobilis uſurarius. *Cap.* XLIX.

SI aliqua perſona, quæ ſolita fuiſset eſse uſuraria, emptionem fecerit de aliqua domo, terra, vel aliqua alia poſsesſione, ſeu poſsesſionibus, vel terris, quæ emptio facta non fuerit ab extimatoribus communis Veronæ, nec publicata in arengo communis Veronæ, Statuimus, quod prçſumatur eſse debitum uſurarium & factum in fraudem uſurarum, ſi venditor remanſerit in poſsesſione rei venditç: eo ſalvo, quod ſi Emptor publice ſteterit per unum annum in poſseſſione rei emptç, tunc non præſumatur debitum eſse uſurarium, vel factum in fraudem uſurarum: & intelligatur & præſumatur debitum, vel contractus eſse & fuiſse uſurarium, & uſurarius, ſi perſona, quæ dictum debitum, vel contractum celebraverit ſit & fuerit uſeuolus uſurarius, vel manifeſtus, ſeu quæ tenuerit menſam paratam per ſe, ſeu tenere fecerit per aliquem de familia ſua, vel per alium ſeu alios ſuo nomine, in domo propria, vel conducta, vel alibi, ad dandum pecuniam omnibus ſub uſuris, vel de qua aliter probari legitime poſſit, quod illa perſona fuerit uſuraria: non obſtante, quod prçdictus contractus factus, ſeu celebratus fuerit ſub nomine, ſeu forma venditionis, vel depoſiti, vel commodati, vel cujuſcunque alterius contractus.

De modo & forma rationis reddendæ de debitis non uſurariis, & de dotibus, & donationibus. *Cap.* L.

DE debitis non uſurariis & dotibus ac donationibus fiat ratio in hunc modum, videlicet: Quod ſi debitum fuerit l. librarum, vel abinde ſupra, & debitor dare voluerit creditoribus de ſuis bonis in ſolutum valentibus quantitatem debiti, ſecundum extimationem faciendam per communes amicos, tunc creditor eligat unum, & debitor alium, ad extimandum poſſeſſiones, & bona mobilia debitoris, ſi ſe concordabunt; & ſi ſe concordare dicti extimatores non poſsent, extimatores communis Veronç dare debeant tertium extimatorem, qua examinatione facta Credi-

Creditor teneatur in solutum accipere; & ipse Creditor non possit, nec debeat convenire, nec molestare Debitorem volentem ita satisfacere, ut dictum est. Sed Debitor ipse volens satisfacere Creditori de suis bonis, ut superius dictum est, compellatur suo sacramento dare omnia sua mobilia, & immobilia in scriptis Creditori, & in ipsius Creditoris, vel Creditorum electione sit accipere de bonis & possessionibus Debitoris, vel Debitorum, quas & quæ voluerint, ubicunque sint, exceptis domibus, in quibus Debitor habitat, & horto, & curia; & si aliquid omiserit, puniatur in quarta parte ejus, quod omiserit, parti: & hæc locum habeant, nisi partes aliter convenissent, & huic Statuto expresse renunciassent.

De præscriptione decennii. Cap. LI.

PRODUCENTI instrumentum vel sententiam debiti ex caussa mutui, vel ex caussa venditionis animalium, vel cujuscunque alterius contractus rerum mobilium, vel etiam si Debitor confessus fuerit debitum, vel etiam si per testes probetur debitum, & debitor alleget solutionem ipsius debiti, quam dicat se fecisse, quamvis eam non probet, si per x. annos Creditor solverit, & de debito conquestus non fuerit, nec aliquid pro ipso acceperit, vel in territorio non steterit, vel aliam legitimam interruptionem Creditor non fecerit, vel si fecerit, & postea decennium transierit, perinde obstet exceptio decennii, & solutionis allegatę, ac si nulla interruptio facta foret; & ei post decennium audientia minime prębeatur: & hoc nisi fuerit pupillus, vel absens justa de causa: salvo quod hoc Statutum non vendicet sibi locum in dote repetenda & donatione propter nuptias petenda, nec in socidis, nec in fictis, nec in drictis, nec in mutuis sive subventionibus factis colonis partiariis occasione dricti, seu laborandi.

Quæ res non possint accipi in tenutam vel pignus. Cap. LII.

ITEM Statuimus quod nulla persona accipiat, seu accipere possit pro aliqua tenuta, seu pignere Boves, nec Vacas a jugo, nec Plaustrum, vel Aratrum, nec aliquod Apparamentum a Plaustro vel aratro, nec fænum, nec aliud Stramen a bestiis, nec paleas, nec zapas, nec vangas vel badille, nec aliquid quod pertineat ad agriculturam. Et qui contrafecerit, si fuerit viator puniatur in l. sold. Veronen. & si alia persona fuerit quam viator, reddat prædicta sine aliquibus expensis, vel sine aliquibus quæstionibus, litigiis, & cavillationibus. Salvo quod si de bonis Debitoris facta fuerit legitima excussio per Creditorem, seu Creditricem per modum seu formam a Statuto communis Veronæ introductam, tunc in subsidium prædicta bona pro pignere capi possint.

Interpretatum die vij. Martij. M. ccccliij. per Consilium.

Quod neque sequestra de his fieri possint, nisi in supplementum, sive subsidium, ut in fine Statuti.

51

Si Debitor ad tertiam commissionem vetuerit Pignus fit condemnatus, & in duplo qui dispignaverit. Cap. LIII.

SI Debitor ad tertiam commissionem tam pigneris, quam sequestri vetuerit pignus, declarato perinde, quod Notarii debeant suas commissiones signare primam, secundam, & tertiam; Statuimus quod tunc per solam viatoris relationem condemnetur, & pro condemnato habeatur ipso jure, & ipso facto, alia non expectata accusa, denunciatione, vel sententia, scilicet masculus in libris quinque & fœmina in libris tribus, quæ tamen pœna in termino tantum dierum decem remitti possit per creditorem, cum quo Debitor fuerit in concordio, & ulterius in dicto casu non exigatur; & si aliqua persona publica vel privata dispigneraverit postquam Viator pignus habuerit, & sibi contra ejus voluntatem fuerit acceptum, habeatur pro condemnato in duplo.

Reformatum die xviij. Augusti. M. cccc. liiij. per Consilium.

Ut pœna pigneris vetiti modificetur in masculo de libr. quinque, in tres tantum, in fœmina autem de libr. tribus in duas tantum. Item quod terminus remissionis a Creditore x. dierum elongetur, ut sit viginti dierum.

ITEM reformatum die xx. Februarii. M. cccc. lviij. per Consilium.

Quod volente, & instante Creditore condemnetur, & pro condemnato habeatur s. masculus in sol. xl. & fęmina in sol. xx. Qui etiam Creditor possit in termino dierum xx. a die dictæ suæ declarationis dictam pęnam remittere Debitori, qui cum eo venerit in concordium.

Si Debitor ultra primam vetationem pigneris fuerit pertinax capiatur. Cap. LIV.

ITEM, quod si Debitor ultra primam vetationem pigneris fuerit pertinax vetando iterum pignus, vel non dando, vel aliter non obediendo; tunc Dominus Potestas sive Judex coram quo prædicta agitabuntur ad instantiam partis teneatur ipsum pigneratum capi facere, & coram eo conduci, & deinde carceribus detrudi. Et si captus dixerit se non teneri vel solvisse, tunc facta idonea securitate de judicio Sisti, & de judicato solvendo relaxetur; non intelligendo de juratoria cautione; exceptis casibus comprehensis in Statuto, in quibus depositum facere tenetur, & facto deposito, postea procedatur super prædictis secundum formam Statuti loquentis de præcepto in Debitorem, in illis partibus in quibus ipsum Statutum de prædictis facit mentionem, singula singulis referendo. Posito autem tali Debitore in carceribus, Dominus Potestas, vel Judex coram quo prædicta agitabuntur, teneatur assignare terminum, seu terminos probæ agenti, secundum quod videbitur,

bitur, infra quem, seu quos teneatur agens probare. Sed si infra dictum terminum, seu terminos non probaverit de credito præallegato, tunc agens ad damnum, & interesse carcerato teneatur. Quo relaxato, salvum sit Creditori in prosequendo jus suum, & Debitori in se defendendo; & sit in arbitrio Domini Potestatis, vel Judicis facere dictum carceratum relaxari, actore non probante.

Si relatum fuerit de bonis Debitoris non inveniri. *Cap. LV.*

ITEM, quod in casu, in quo per Viatorem referretur cum modis ordinatis, quod de bonis Debitoris non reperiatur, tunc Debitor habeatur pro exempto de treuga communis Veronæ, & ad instantiam partis capiatur, & coram Domino Potestate, seu Judice coram quo prædicta agitabantur, conducatur, nec relaxetur, nisi fecerit bonam & idoneam securitatem de judicio Sisti, & de judicato solvendo, non intelligendo de juratoria cautione; quod si non fecerit intrudatur ad carceres: & postea procedatur secundum formam juris & Statutorum communis Veronæ. Sed in designatione bonorum teneatur ostendere bona esse sua, & ipsum tenere, & possidere dicta bona, taliter quod appareat ipsum non committere aliquam fraudem in ipsa designatione bonorum. Et si reperiatur ipsum fraudem commisisse puniatur, & condemnetur in libr. xxv. denar. & nihilominus in carceribus communis Veronæ detrudatur; de quibus non relaxetur, nisi cum Creditore fuerit in concordio. Si vero facta relaxatione prædicta, Creditor venire voluerit ad bona immobilia, aut nomina debitorum, seu ad bona possessa per tertium possessorem, & agere contra eum, tunc licet Creditori facere Debitorem eximere de treuga communis Veronæ, & prosequi ad prædicta, secundum formam Statutorum super prædictis disponentium. Et per prædicta omnia, aut aliquod prædictorum, in hoc, & proximo præcedenti Statuto contentorum non derogetur Statutis disponentibus de fictis, drictis, decimis, socidis, & expensis transactis.

De Interdictis, & Sequestris, & quomodo fieri debeant. *Cap. LVI.*

ITEM Statuimus, quod Interdictum, seu præceptum, vel Sequestrum aliquod nullus Judex communis Veronæ nec aliquis alius Officialis possit facere, vel fieri facere, ad requisitionem alicujus personæ sæcularis, vel ecclesiasticæ de aliquibus terris, domibus, & possessionibus, nec de frugibus pendentibus earum, alicui personæ nisi prius citare fecerit illum, vel illos, contra quos petetur illud, seu qui ipsas, domos, terras, & possessiones possidebunt: Et si aliquis contrafecerit, ipso jure sit nullum. Et quod dictus Judex, vel Officialis incontinenti si contradictor extiterit, debeat de facto cassare ipsum Interdictum, seu præceptum,

ptum, vel Sequestrum ad petitionem ipsius contradicentis sine aliqua scriptura, vel petitione facienda; quod si non fecerit, puniatur in x. libr. Veronensium pro qualibet vice: & pars quæ contradixerit dictæ revocationi, & ejus Advocatus puniatur pro quolibet, & qualibet vice, in lx. sol. Veronen. & nihilominus fiat dicta cassatio. De re autem mobili, & nominibus debitorum fiat Interdictum, seu Sequestrum incontinenti si persona dicatur suspecta, quod incontinenti tollatur ad petitionem ejus, contra quem, & sub cujus nomine factum est; & ei res ipsa restituatur incontinenti, prius facta ipsius rei descriptione, & satisdatione idonea, de ipsa re mobili salvanda, custodienda, & non baratanda, seu solvenda pecunia, pro qua nomina debitorum fuerint interdicta, si de jure debebit ei, qui eam fecerit Interdici, vel Sequestrari. Et si alius ipsi interdicto, vel Sequestro comparuerit contradicturus, quam ille contra quem fuerit impetratum, cassetur quantum est in ejus contradicentis præjudicium, non tamen res eidem restituatur, sed interim stet in sequestro, donec apparuerit rem ejus esse, vel meliora, & potiora jura in ea habere, quam ille qui eam interdici fecit. Intelligendo semper, quod Dominus directi, vel utilis dominii, vel quasi illius fundi, cujus fructus collecti, vel colligendi erunt sequestrati, si comparuerit contradicturus, ut supra, sive etiam ipse fecerit dictos fructus interdici, intelligatur meliora, & potiora jura habere in ipsis fructibus pro suo fictu, & livello ipsius fundi. Et si aliqua persona fecerit fieri aliquod sequestrum, vel intromissionem, seu descriptionem de bonis alicujus tanquam debitoris, & non apparuerit ipsum esse verum debitorem, tunc condemnetur in x. libr. denar. Veronensium applicandis parti, contra quam factum fuerit sequestrum, seu intromissio, vel bonorum descriptio: & super prædictis procedatur quolibet die, & tempore feriato & non feriato, placitis locatis & non locatis, summarie & de plano, cognoscendo saltem usque ad rerum descriptionem, cassationem & satisdationem ipsius interdicti, seu sequestri.

De commissionibus non committendis alicui, nisi primo citato illo contra quem, quibusdam exceptis. Cap. LVII.

ITEM Statuimus, quod per Dominum Potestatem ejusque Vicarium, & Judices, per alios etiam Judices, & officiales communis Veronæ nullæ fieri debeant commissiones, nec ab aliquo impetrari, nisi primo citato illo, contra quem commissio impetraretur; exceptis infrascriptis commissionibus, quæ impetrari, & concedi possint quolibet tempore feriato & non feriato, placitis locatis & non locatis, specialiter seu generaliter, Statuto aliquo non obstante, videlicet per Judicem Dationum, & Judicem Procuratorum communis Veronæ, & Judicem Sortium, & Dugalium, occasione regularum, & fortium villarum districtus Veronæ,

rone, & terrarum circumstantium civitatis, & burgorum Veronæ; & commissionibus executionum sententiarum latarum, & de fictis, & drictis, & decimis, & commissionibus pro datiis, & oneribus & factionibus exigendis, seu faciendis tam in civitate quam in villis: & exceptis commissionibus, quæ fiunt ex pacto expresso, vel ex conventione partium, quæ tamen tempore solum juridico communi possint executioni mandari, & non tempore feriato solemni. Et si contrafactum fuerit ipso jure non valeat, & impetrator ad expensas teneatur.

Infra quantum tempus creditores pignera accepta faciant sibi conduci. Cap. LVIII.

ITEM Statuimus, quod quilibet creditor, ad cujus instantiam ex commissione pignerationis, vel sequestri accepta fuerint aliqua pignera, & designata per Viatorem Veronæ pœnes juratum, vel massarium, seu a jurato, vel massario manupræhensa, teneatur, & debeat dicta pignera conduci facere, aut aliter jus suum prosequi, infra duos menses continuos, si ea accepta, designata, vel manupræhensa fuerint in civitate, burgis, & suburbiis; Si autem dicta pignera, accepta, designata, vel manupræhensa fuerint in quacunque parte districtus Veronæ, tunc teneatur ipse creditor illa conduci facere usque ad quatuor menses contiuuos, vel aliter jus suum prosequi in eis. Alioquin a dicto termino in antea ille juratus, vel massarius absolutus sit ab ipsa pignerum obligatione, designatione vel manuprænhensione, & amplius conducere non teneatur, nec similiter commune illius massarii, nec alius de sua communitate teneatur.

De pœna non conducentis pignus; seu sequestrum. Cap. XIX.

ITEM Statuimus, quod quilibet juratus & massarius, cui designatio pigneris facta fuerit, aut qui steterit de pignere, teneatur, & debeat illud conducere ad Cameram pignerum Veronæ infra quinque dies in civitate, burgis, & suburbiis, & infra x. dies in villis, absque alia admonitione, sub pœna quinque libr. denar. pro quoque & quaque vice; & nihilominus conducere teneatur, sub eadem pœna: in quam pœnam incurrat quilibet inobediens, qui non conduxerit ad præceptum sequestrum sibi designatum. Et quilibet prædictorum pro condemnato habeatur ipso jure, & ipso facto, cum contrafecerit: & quod a prædictis nullatenus se tueri possit per aliquam bonorum cessionem. Non derogando per hoc, Statuto posito in primo libro *de uno bono massario sibi eligendo per singula communia villarum.* Cap. xliv.

Reformatum die xx. Febr. Mcccclviii. per Consilium, ut super verbo *quinque* trium dicat.

Reformatum ut supra, volente & instante creditore, & non aliter, super verbo *habeatur*.

Additum ut supra. Imo ultra pœnas prædictas committi debeat ad omnem creditoris requisitionem contra talem massarium, cui designatio pigneris vel sequestri facta fuerit, aut qui steterit de eo, una sola commissio pignerationis realis tantum ac per vim, contra ipsum eundem massarium; & si viator non poterit ex ea habere a dicto massario sufficientia pignera portatilia cum persona, vel jumento, sive plaustro, tunc ipsa commissio valeat, & intelligatur commissa; atque ita executioni mitti debeat per eundem viatorem incontinenti brevi manu contra quemlibet de illa communitate, & omnino ex ea fieri pignera de portatilibus, ut supra. Quæ quidem pignera viatores ipsi sine ulla consignatione de ipsis facienda cuique ad conducendum, conducere teneantur, & præsentare massario pignerum Veronæ, sub pœna libr. x. Pro conducendis autem hujusmodi pigneribus massarii, communia & homines teneantur ipsis viatoribus requirentibus providere de jumentis secundum exigentiam, expensis debitorum, sub pœna libr. x. & plus & minus, mandato D. Potestatis.

De eximendis de tregua propter debitum. Cap. LX.

DEBITOR, qui in solutione cessaverit, & non fuerit inventarii beneficio munitus, extrahatur de tregua communis Veronæ ad postulationem creditoris hoc modo, videlicet: quod citetur personaliter, vel ad domum ubi habitat, seu habitare consueverit, vel ejus hæredes, aut præconizetur in Palatio & in Capitello mercati fori, si domum non habuerit, & pignoretur: Et si viatore referente quod de bonis debitoris, vel ejus hæredum non inveniat aliquid ad auferendum tenutam, & quod ad inquirendum de bonis debitoris habuerit secum juratum contratæ, vel massarium villæ, vel duos homines de illo loco, in quo debitor habitat, vel consuetus est habitare, & postea debitor, vel ejus heredes exempti fuerint de tregua; tunc excussio bonorum debitoris vel ejus hæredum legitime facta esse intelligatur, si prædicto modo facta fuerit, & taliter quod ex aliquo alio eventu processus hypothecariç inceptus impediri non possit, nec retractari occasione non legitimç excussionis. Et quod si aliqua persona fuerit de tregua communis Veronæ exempta occasione debiti vel sententię, ipsam treguam intrare non possit, nisi de voluntate illius personæ ad cujus postulationem fuerit exempta, nisi bonam & idoneam fecerit securitatem coram ipso Prætore, vel Judice de stando & parendo juri, & judicato solvendo; solutis etiam primo expensis legitime factis occasione extrahendi ipsum de tregua. Item quod pupilli, & pupillæ non possint extrahi de tregua. Et facta suprascripta citatione, & pigneratione, & relatione a viatore prędicto contra quemcunque beneficio inventa-

iii

rii munitum, & quoscunque pupillos seu pupillas, quamvis non sint de tregua exempti, possint postea hypothecaria actione agi contra extraneos possessores.

De debitoribus personaliter compellendis post excussionem ad indicationem bonorum suorum, & quomodo cedatur bonis. *Cap. LXI.*

ITEM, quod debitor, excussione legitime facta contra eum, qui exemptus fuerit de treuga communis Veronæ occasione debiti vel sententię, ad petitionem cujuslibet creditoris secundum formam Statuti antedicti positi sub rubrica *de eximendis de treuga propter debitum* h. lib. cap. 60.; capiatur, & compellatur personaliter comparere coram D. Potestate, ejusque Vicario, vel aliis judicibus, & officialibus communis Veronæ, coram quibus si omnia sua bona indicaverit, & ea creditoribus cesserit libere relaxetur. Si vero bona non indicaverit, nec cesserit, intrudatur in carceribus communis Veronæ, & ibidem detineatur, donec indicaverit, & cesserit, ut dictum est: & si postea reperiatur in indicandis suis bonis fraudem fecisse, condemnetur communi Veronæ in xxv. libr. & in carceribus communis Veronæ intrudatur. Si autem dixerit se bona aliqua non habere, nihilominus teneatur cedere bonis, quod si non fecerit, incarceretur ut supra. Item si quis bona debitoris fraudulenter occupaverit in damnum creditorum, ipsa in duplum creditoribus restituere teneatur juxta æstimationem de ipsis factam, & insuper communi Veronæ condemnetur in centum sol. Item quilibet volens cedere bonis creditoribus suis, primo sono tubæ præmisso super Capitello mercati occasione ipsius cessionis faciendæ, talis debitor conductus ad præonum curtivi Palatii, ubi solitæ sunt fieri proclamationes æstimatorum communis Veronæ, & exutus pannis usque ad camisciam, brachisque ejus ab ano depressis, det cum ipso ano nudo super dicto præono tribus vicibus una incontinenti post aliam: alirer autem facta cessio ipso jure non valeat. Et quod cedentes bonis, post ipsam cessionem non utantur vestibus alicujus panni valoris ultra sex sol. pro brachio: aliter autem ab eo qui contrafecerit, liceat creditoribus auferre vestimenta prædicta, & in se illa retinere.

Quod exempto de tregua occasione debiti ars possit interdici. *Cap. LXII.*

SI quis de treuga communis Veronę exemptus fuerit propter debitum vel occasione debiti, Judex, vel officialis, qui fecit eum extrahi de treuga possit, & debeat ad petitionem creditoris eidem sic exempto interdicere artem vel misterium, quod & quam exercet, vel exercere solitus est; & ex quo personaliter fuerit alicui pręceptum ne det ei auxilium & consilium tanquam de treuga exempto, tunc ille

cui fuerit personaliter pręceptum non debeat huic dare auxilium ad laborandum, nec ei laborare: & qui eidem sic prohibitus postea auxilium dederit in dicta arte, vel aliquo alio modo eum tenuerit, teneatur ad illud debitum propter quod ille de treuga fuerit exemptus, exceptis marito, uxore, liberis & parentibus, fratribus & sororibus, & suis familiaribus, sive de familia sua.

Quod nulla persona possit se obligare alicui, ut personaliter capiatur. Cap. LXIII.

ITEM Statuimus, quod nulla persona possit nec debeat se obligare, ut personaliter capiatur pro aliquo debito, vel occasione alicujus debiti, & si se obligaverit ipso jure non valeat; & non possit, nec debeat alicubi capi occasione pręditta, & si captus fuerit incontinenti D. Potestas, ejusque Vicarius, vel alius officialis ipsum faciat relaxari sine aliquibus ipsius capti expensis, sed expensis illius, qui ipsum capi fecisset: & quod nullus notarius debeat de hoc instrumentum facere. Et hoc Statutum locum habeat, sive debitor conveniri debuerat, aut capi in civitate Veronæ, & ejus districtu, sive alibi; ipsique Statuto per pactum renunciari non possit aliquo modo, vel ingenio; & si renunciatum fuerit, renunciatio non valeat, nec teneat ipso jure. Quod Statutum non vendicet sibi locum inter forenses ex utraque parte contrahentes: salvo quod per ipsum non pręjudicetur Statuto loquenti, *de cessione bonorum*, h. lib. cap. lxi. nec Statuto *de fictis, & drictis*, h. lib. cap. xli. nec Statuto *de expensis taxatis factis in lite, vel occasione litis*. h. lib. cap. cxvi.

Ut tenutæ, & commissiones finito officio committentis, usque ad unum mensem possint exequi, & de ipsis tenutis recuperandis. Cap. LXIV.

ITEM Statuimus, quod si aliqua tenuta commissa fuerit per aliquem judicem, seu judicem consulem, vel alium officialem Veronæ, qui eam de jure committere possit, quilibet viator communis Veronæ possit prædictam tenutam dare, & commissionem exequi infra unum mensem post exitum officialis, qui eam commiserit quolibet tempore feriato, & non feriato: & illud idem intelligatur de qualibet commissione pignerandi, seu præcipiendi; dummodo eam exequatur, & reddatur infra tempora limitata per Statuta, & ordinamenta civitatis Veronæ. Quæ tenuta sic data, quolibet tempore, etiam feriato recuperari possit, sine libelli datione, & sine aliqua petitione in scriptis reddigenda, & omni cavillatione cessante.

De

De tenuta recuperanda, & quis intelligatur Actor in caussa cassationis. *Cap. LXV.*

STATUIMUS, quod si aliquis quacunque ratione, vel caussa acceperit tenutam alicujus rei, quæ non possideatur ab eo, cujus caussa fuerit accepta tenuta, ipso jure talis tenuta non valeat, nec aliquod faciat præjudicium possidenti, etiam si reclamatio facta fuerit, vel venditio per æstimatores communis Veronæ, & judices communis Veronæ, & alii officiales, qui tenutam illam commisissent, incontinenti sicut contradictor exstiterit, qui dicat & alleget se tenere, & possidere rem prædictam, & tenutam fuisse in sui præjudicium acceptam, & juret prædicta; ipsam tenutam, & quicquid ex ea, vel ob id secutum est, debeant de facto cassare & irritare, & nullius valoris fuisse, & esse pronunciare, sine aliqua scriptura inde facienda quantum est in præjudicium contradicentis; quod si non fecerint perinde habeatur, acsi cassata fuisset de facto: & hoc si declaraverit coram quo judice dicta tenuta fuerit accepta. Quod si declarare recusaverit, tunc & eo casu, quilibet judex communis Veronæ possit eam tenutam cassare, prout supra dictum est; quamvis commissionem illius non commiserit. Si vero ille contra quem data fuerit, comparuerit contradicturus tenutæ acceptæ, vel datæ de jure, quia citatus ad caussam non venit seu litem; prius solutis expensis, vel oblatis, & depositis pœnes unum ex notariis dicti officii, cassetur tenuta; scilicet expensis notarii, qui scripsit cartam commissionis tenutæ & relationis ejusdem, & notarii qui scripsit qualiter positus erat in tenuta per viatorem communis, & expensis ipsius viatoris; alias autem expensas minime solvere teneatur. Si vero dixerit tenutam non jure datam, ejus ratio ante prædictarum expensarum restitutionem, remanente interim tenuta pœnes accipientem, audiatur: & si infra mensem tenuta recuperata non fuerit, exinde creditor, qui tenutam acceperit habere & lucrari fructus debeat, pro rata temporis, & debiti quantitate. Si vero dicta tenuta data fuerit vel accepta, nulla citatione præmissa, incontinenti sicut contradictor exstiterit, judex, vel officialis coram quo prædicta agitata fuerint, prædictam tenutam cassare teneatur sine aliquibus expensis, & sine aliqua scriptura inde facienda: & si ipsam cassare incontinenti recusaverit, perinde habeatur, ac si cassata fuisset. Si vero tenuta fuerit in reali actione, lite contestata, vel quasi de fictione Statuti, facta requisitione in scriptis, & reo personaliter invento, quod veniat responsurus de jure, & si non venerit, quod dabitur tenuta contra eum de re petita, & efficietur de possessore petitor; tunc nisi veniet infra tres menses, non audiatur volens ipsam possessionem vel tenutam recuperare, nisi interim justa de caussa coram ipso Prætore venire impediretur. Et de prædictis cognoscatur quolibet tempore feriato, & non feriato, placitis locatis, & non locatis.

Et

Et si aliquis quis juraverit se possidere, & non possiderit, puniantur in x. libr. & minus, inspecta qualitate negotii, & personarum; & judices coram quibus ventilabuntur, prædicta debeant observare pœna x. librarum; & quod ille intelligatur actor, qui petierit fieri cassationem, seu revocationem tenutæ, seu pignerationis. Si vero tenuta fuerit executoria, ad requisitionem debitoris, vel fidejussorum ejus dicta tenuta revocari non debeat, nisi vellet probare solutionem debiti, vel aliud ostendere propter quod dicta tenuta non fuisset committenda.

Qui fuerit in tenuta pro communi Veronæ de re immobili, lucretur fructus pro tempore tenutæ. Cap. LXVI.

ITEM Statuimus, quod si aliqua reclamatio facta fuerit per aliquam personam de aliquo, a quo velit petere fundum, domum, terras & possessiones coram D. Potestate, judicibus consulibus, & officialibus communis Veronæ, & noluerit ad rationem seu judicium comparere, & tenuta data fuerit de re, quæ in requisitione continetur, ille qui tenutam acceperit, debeat habere, & lucrari fructus & redditus dictæ rei elapso mense, pro toto tempore, quo steterit in tenuta & possessione de aliquibus terris, domibus, fundis & possessionibus, decimis & jurisdictionibus; & quod, ille qui tenutam acceperit, debeat habere, & lucrari fructus & redditus dictarum possessionum pro toto tempore quo steterit in tenuta & possessione, pro rata temporis & quantitate debiti.

De frugibus & fructibus datæ tenutæ non computandis in sortem. Cap. LXVII.

QUALITERCUNQUE data fuerit, vel data sit possessio, fructus non computentur in sortem creditoribus pro ea summa, pro qua data fuerit possessio pro rata debiti, si modo apparuerit per instrumentum, vel sententiam, vel solum per testes cum esse creditorem; quos fructus creditores lucrentur nomine pœnæ, & interesse, pro quantitate debiti, & rata temporis, ut in præcedenti Statuto continetur, cujus rubrica incipit, *de tenuta recuperanda*, h. lib. cap. lxv.

Compensatio ultra quam semel non opponatur. Cap. LXVIII.

ITEM, quod nulla persona ultra quam semel audiatur, volens opponere compensationem in aliqua quæstione.

De

De commodato. *Cap. LXIX.*

COMMODATARIUS de omni fortuito casu teneatur; eo salvo: quod si animal commodatum fuerit, non teneatur commodatarius si eodem modo interierit, vel deterius factum fuerit, quomodo interiisset vel deterius factum fuisset, si commodatum non foret: & idem de omni alia re commodata intelligatur.

De expensis reficiendis illi personæ, qui ædificaverit in solo alterius absentis. *Cap. LXX.*

ITEM Statuimus, quod si aliqua persona, vel universitas in solo alterius personæ, quæ steterit extra districtum Veronæ inventa fuerit aliquod ædificium construxisse, seu aliquod aliud melioramentum fecisse, seu caussam habere ab illis, qui dictum ædificium seu melioramentum fecisset, aut fieri fecisset, & veniat illa persona cujus apparuerit esse solum, petens solum suum sibi dari, & ille qui possidet excipiat de expensis per eum factis, seu per ejus auctores circa ædificium sive melioramentum factum in dicto solo; tunc D. Potestas, sive alii officiales communis Veronæ coram quibus prædicta fuerint agitata, compellere debeant unamquamque partium suum dare æstimatorem, qui cum electi fuerint, & per eos prius præstito sacramento, quod bona fide æstimabunt ea, quæ fuerint sibi imposita, debeant æstimare ædificium sive melioramentum, quod in dicto solo per possidentem vel per ejus auctores apparuerit factum: & eodem modo solum, in quo factum fuerit dictum ædificium sive melioramentum debeant æstimare, nulla consideratione adhibita dicti ædificii seu melioramenti. Et si in dictis æstimationibus prædicti æstimatores non poterunt concordare, tunc D. Potestas, sive dicti alii judices, & officiales pro tertio dare debeant aliquem bonum virum, qui sit instructus & idoneus ad prædicta; & postea eum compellere prædicta æstimare: & eam summam, in qua ipsi tres, vel duo ex ipsis æstimatoribus concurrerent, debeant approbare. Qua probatione facta, licitum sit Domino soli eligere utrum malit, an videlicet offerre æstimationem ædificii sive melioramenti; & tunc possessor dictum ædificium sive melioramentum pro dicta æstimatione eidem Domino soli vendere compellatur: An verò potius vendere solum pro dicta æstimatione facta, & tunc possessor dictum solum pro dicta æstimatione emere compellatur. Et si Dominus soli prædicta facere recusaret, tunc ei ad petendum solum audientia denegetur: si vero possessor recusaret facere ut supra continetur, tunc eidem dictarum expensarum petitio, & retentio denegetur. Et si Dominus soli elegerit offerre æstimationem ædificii sive melioramenti possessori ejusdem, quod dictus possessor regressum habeat de evictione usque ad summam,

sive

sive quantitatem dictæ æstimationis ædificii, sive melioramenti, vel usque ad verum prætium, vel conventum dictæ rei, prout possessor elegerit contra venditorem seu venditores suos, & contra alios a quibus caussam habuisset de dicto solo & ædificio, seu de solo tantum, vel ædificio tantum, perinde ac si dictum solum, vel ædificium, vel alterum ipsorum legitime in judicio ordinario sibi evictum fuisset. Si vero Dominus elegerit vendere dictum solum, facta æstimatione prædicta eodem modo, sive eo casu, possessor ipsius regressum habeat de evictione usque ad dictam æstimationem de solo factam, vel usque ad verum prętium, vel conventum dicti soli sive terræ, prout idem possessor elegerit contra venditorem suum, sive contra illos a quibus causam habuisset pro rata ejus, quod solverit Domino soli pro æstimatione ipsius soli, ac si ipsum in judicio ordinario sibi legitime fuisset evictum: & de prædictis præfatis possessoribus soli, sive ædificii, aut melioramenti contra venditores suos, seu contra illos a quibus causam habuissent, & contra bona sua seu quæ ipsorum fuissent, & contra ipsorum possessores summarie justitia & jus reddatur & fiat, sine libelli datione, litis contestatione, & sine strepitu & figura judicii, nulla juris solemnitate servata.

Ex quo tempore intelligatur quis viam habere per alienum fundum. Cap. LXXI.

QUI per alienum fundum quiete, & sine contradictione, Domino sciente vel ejus laboratore, & non contradicente, per xl. iverit annos, si aliunde viam non habet, per quam possit commode ire, intelligatur ipsum habere inde viam eo ordine, quo usus fuerit. Et si quis ire potest ad possessiones quas tenet, vel adaquam hauriendam per stratam publicam vel vicinalem, non possit nec debeat ire per alienas possessiones vel domos, pœna lx. sol. pro quaque vice.

Quod proximus Vicinus viam vendere compellatur ei, qui non habuerit. Cap. LXXII.

PROXIMUS vicinus, vel vicini possint cogi, & compellantur viam vendere ei, qui non habuerit viam eundi ad suum fundum ad ejus petitionem, unde melius & utilius judici super prædictis cognoscenti videbitur expedire, secundum quod per duos communes amicos ęstimabitur, qui si se concordare non poterunt, tertius per ipsum judicem adjungatur.

De

De damnis domorum denunciandis domino per inhabitantes. Cap. LXXIII.

HABITANTES in domibus alienis denunciare teneantur dominis pro quibus habitant, eo die vel sequenti, si quid novi aut damni fieret ab alio in ipsis domibus absque licentia domini ipsius domus; alioquin teneantur ipsis dominis ad interesse suum, si quod incurrissent propter omissam denunciationem, vel propterea quod ignorassent ipsam novitatem vel damnum datum.

De terris domino demonstrandis per laboratores earum. Cap. LXXIV.

TENENTES, seu laborantes alienas terras, seu possessiones ad fictum, vel drictum, vel alio quocunque modo ab aliqua persona, collegio, vel universitate, sive eorum hęredes vel successores, teneantur designare dominis vel eorum nunciis ad oculum quandocunque fuerit ab eis requisitum, ipsas terras, & possessiones cum omnibus earum cohærentiis: & si celaverint aliquam terram seu possessionem partemue ejus, & eam non designaverint, puniantur in amissione omnis juris, quod haberent in ea terra, seu possessione celata & non designata, si dominus voluerit; & insuper condemnentur in xxv. libr. denar. communi Veronæ, & minus arbitrio D. Potestatis, & totius curiæ, vel majoris partis, & nihilominus designare teneantur, sub eadem pœna toties quoties exigenda.

De interpretatione verborum in instrumentis locationum, seu contractuum emphyteuticorum. Cap. LXXV.

AD declarationem & omnem dubitationem removendam verborum in locationibus jam factis, & faciendis comprehensorum, Statuimus, quod si in instrumento locationis, sive emphyteusis contineantur verba ista: *ad bene laborandum, bene studendum, & ad meliorandum, & non pejorandum*, ex virtute ipsorum verborum teneatur rusticus, sive conductor allorare terras aratorias, olivas, & vineas omni tertio anno, & arare, & zapare, & vineas bene lignamare singulis annis, tot vicibus quot expediens & conveniens videbitur; quod si non fecerit pro prima vice, qua denunciatus fuerit, puniatur in centum sol. pro secunda in totidem, pro tertia in totidem, & pro quarta cadat ipso jure ab omni suo jure, & ultra condemnetur in quolibet casuum prædictorum in damno, & interesse locatori; & D. Potestas, & quilibet alius officialis ad requisitionem domini, vel illius a quo teneret, teneatur prædictos sine aliqua quęstione de ipsis terris, & possessionibus expellere.

De eo, qui vendiderit, vel promissionem fecerit de vendendo, quod præcise compellatur rem ipsam tradere, si facultatem illius habeat.
Cap. LXXVI.

SI aliqua persona vendiderit, locaverit, vel permutaverit, vel promissionem fecerit de vendendo, locando, vel permutando, alicui aliquam domum vel terram, possessionem vel rem, seu jura & facultatem habeat tradendi, præcise condemnetur, & compellatur ipsam rem, domum, terram vel possessionem, vel jura tradere seu vendere, locare, vel permutare, & manu militari, si opus fuerit, res ab ipso auferatur, nec liberetur præstando seu præstare volendo interesse. Et si venditor, locator, permutator, vel promissor alicujus contractus supradictorum, vel ejus heredes scienter fecerint, quo' minus habeat facultatem tradendi illud, quod venditum, locatum, permutatum, vel promissum fuerit ut supra, tunc taxatione premissa a Judice deferatur emptori, conductori, & alteri permutatori, seu stipulatori, vel ejus hæredi juramentum in litem; & quanti juraverit sua interesse, postea sibi condemnetur venditor, vel promissor, aut ejus hæredes, & ultra condemnetur eidem in quarto pluri veræ æstimationis rei alienatæ, vel promissæ.

De eo, qui in possessione rei alienatæ permanserit, & qualiter ipsæ alienationes debeant in arengo publicari. Cap. LXXVII.

UT quorundam fraudibus malignantium obvietur, Statuimus, quod si aliqua persona de civitate, vel districtu Veronæ donationem, aut venditionem seu alienationem aliquam fecerit in filios, vel nepotes, vel alias personas suorum bonorum vel partis, aut rei singularis, & manifeste donator, venditor seu alienator in possessione remanserit rei alienatæ, ipsa alienatio ipso jure non præjudicet postea contrahentibus cum eodem, nisi ipsa donatio, venditio vel alienatio in concione communis Veronæ fuerit publicata infra mensem, vel postea quandocunque ante secundam alienationem, seu contractum, & ex tunc dicta donatio, & venditio sive alienatio præjudicet post ipsam publicationem contrahentibus.

De emancipationibus in arengo publicandis. Cap. LXXIII.

ITEM Statuimus, quod omnes emancipationes de cætero faciendæ legantur in Arengo communis Veronæ infra xv. dies, vel saltem in prima concione quam fieri contigerit post ipsam emancipationem; quod si factum non fuerit, ipso jure non valeat; & quod nulla emancipatio facta

facta præjudicet communi Veronæ nec singularibus personis, nisi Filii, vel Nepotes seorsum a Patre, vel Avo habitent.

De alimentis Patri, & Matri præcise præstandis. Cap. LXXIX.

ITEM Statuimus, quod D. Potestas, ejusque Vicarius & judices, & cæteri judices, & officiales communis Veronæ sine Libelli datione, vel aliqua ratione in scriptis redigenda, omni die feriato, & non feriato, etiam placitis locatis, quolibet loco incontinenti teneatur præcise quamlibet personam habentem patrem vel matrem compellere ad præstanda alimenta suo patri vel matri, & aliis ascendentibus conducenter secundum suarum facultatum possibilitatem; nisi pater & mater, vel alius ascendens tantas haberent facultates, unde se alere posſent. Et eodem modo ac jure præstare compellantur parentes alimenta filiis, & aliis descendentibus suis, nisi ipsi tantas haberent facultates, vel artem seu misterium, unde se alere posſent, dum tamen valetudine tali non detineantur, cujus occasione arte vel misterio suo uti non posſent.

Quod nulla persona possit spoliari, vel removeri de possessione, quam habet, nisi ea prius convicta in judicio ordinario. Cap. LXXX.

ITEM Statuimus, quod nulla persona possit, vel debeat spoliari, aut removeri de posſessione, vel quasi alicujus rei, quam habet & posſidet, vel quasi, per D. Potestatem, vel Vicarium, vel alios Judices Potestatis, seu alios officiales communis Veronæ ad petitionem alicujus personæ, communis, collegii, capituli vel universitatis, nec per ipsam personam, commune, collegium, capitulum vel universitatem, nisi primo dicta persona tenens & possidens, vel quasi, in judicio ordinario coram dicto D. Potestate, vel officialibus antedictis convicta fuerit. Imo D. Potestas, & cæteri officiales prædicti teneantur & debeant vinculo sacramenti quamlibet personam possidentem, vel quasi, manutenere & defendere, aliquo Statuto in contrarium loquente non obstante. Non obstantibus etiam aliquibus privilegiis factis vel faciendis. Et quod in omnibus privilegiis factis & faciendis intelligantur illa verba (SALVO JURE OMNIUM PERSONARUM IN PROPRIETATE, POSSESSIONE, VEL QUASI) in quolibet capitulo, & puncto, in ipsis privilegiis, vel concessionibus posito, licet ipsa verba in eis posita non fuerint. Et si aliqua persona spoliata sit vel fuerit posſesſione rei, vel quasi, quam antea detinebat, vel quasi, prætextu alicujus privilegii vel conceſsionis, vel alia ratione, ipsa prius in judicio ordinario non convicta, ut superius dictum est, D. Potestas vinculo sacramenti, & simi-

similiter officiales prædicti teneantur, & debeant ipsam personam spoliatam, vel ejus hęredes sine aliqua scriptura, & nulla juris solemnitate servata, in possessione vel quasi inducere rei, qua fuerit spoliata, incontinenti cum fuerint requisiti, aliquo cursu temporis non obstante; & ipsam inductam defendere teneantur.

HÆC SUNT STATUTA SUCCESSIONUM.

Possessio, quam Defunctus habebat tempore mortis, conjunctim transeat in hæredes. Cap. LXXXI.

POSSESSIO bonorum defunctæ personę, quam habebat tempore mortis, conjunctim transeat ad hæredes, sive ex testamento, sive sine tęstamento succedentes, secundum ordinem successionis ipso jure, etiam si a defuncto non fuerit apprehensa; non obstante quod aliquis sua propria auctoritate post mortem dictæ personę defunctę occupasset, seu ingressus fuisset ipsam possessionem.

Quod prima caussa successionis parentum sit liberorum masculorum per lineam masculinam descendentium pro conservatione agnationis, & pro quibus quotis fiat inter masculos, fœminasque divisio. Cap. LXXXII.

UT in successionibus parentum, quæ liberis deferuntur omnis querimonia conquiescat, & bona parentum in filios masculos, & cæteros per lineam masculinam descendentes conserventur, pro conservandis domibus, & oneribus communis Veronæ sustinendis; Statuimus, quod extantibus filiis, vel nepotibus, vel deinceps masculis per lineam masculinam descendentibus, filiæ, vel neptes, vel deinceps fœminæ per utramque lineam descendentes, vel nepotes, vel deinceps masculi per lineam fœmininam descendentes non succedant patri, matri, avo, aviæ, nec aliis per utramque lineam ascendentibus, si modo dictę filię, neptes, & aliæ descendentes personæ dotatæ fuerint ab aliquo ex parentibus antedictis, de quibus dotibus contentæ sint; & idem in nepotibus, & cæteris per lineam fœmininam descendentibus observetur, si eorum matres, vel aviæ, vel cæteræ personæ ascendentes dotatæ fuerint ab aliquo ex parentibus antedictis, vel præsumantur fuisse dotatæ ex forma capituli sequentis.

De

De eodem pro ingressis Monasterium. *Cap.* LXXXIII.

ITEM, quod si filia, vel neptis, vel alia mulier per utramque lineam descendens ingrediatur, sive ingressa fuerit monasterium, & professa, vel steterit tanto tempore in monasterio quod præsumatur de jure professa, non admittatur ad hæreditatem parentum prædictorum, filiis vel aliis proxime supradictis extantibus. Et illud idem, quod dictum est, in filiabus & cæteris personis monasterium ingredientibus, intelligatur in filiis & nepotibus, & deinceps per utramque lineam descendentibus, qui monasterium ingressi fuerint, & professi, vel tanto tempore in monasterio steterint, quod præsumantur de jure professi.

De eodem, pro legatis fœminarum. *Cap.* LXXXIV.

ITEM, quod si aliquis ex parentibus antedictis, extantibus ejus filiis, nepotibus, vel deinceps masculis per lineam masculinam descendentibus, legaverit pecuniam, vel aliquas res, seu aliquod quovi modo in testamento, codicillis, vel alia ultima voluntate relinquerit filiæ, vel aliis fœminis per utramque lineam descendentibus, vel nepotibus ex filia, vel cæteris aliis per lineam fœmininam descendentibus, filia, & aliæ descendentes fœminæ per utramque lineam, & nepotes ex filia, vel alii descendentibus per lineam fœmininam contentæ sint dicto legato vel relicto, quantum ad hæreditatem illius, qui legatum, vel fideicommissum reliquerit; & quod ad hæreditatem illius nullatenus admittantur, etiam si non forent institutæ, sive verbo institutionis honoratæ. Salvo eo, quod ex testamento, vel alia ultima voluntate filiæ, & aliæ supradictæ personæ capere possint, sicut filii & nepotes & alii per lineam masculinam descendentes, prout supradictis eorum & earum parentibus placuerit eis relinquere.

De eodem, pro quotis. *Cap.* LXXXV.

ITEM, quod si Pater, vel Mater, vel alii per utramque lineam ascendentes decesserint nullo condito testamento, aut alia ultima voluntate, & nullo legato, vel fideicommisso relicto filiabus, vel aliis descentibus ex filiabus, & ipsis non dotatis ab aliquo ex prædictis, tunc divisio bonorum, & hæreditatis prædictorum parentum fiat modo & forma infrascriptis, vid. Quod si fuerit unus frater, & una soror, quod frater habeat tres partes, & soror quartam partem prædictorum bonorum; si vero fuerit unus frater, & duæ sorores, frater habeat duas partes, & dictæ sorores tertiam partem; Si vero fuerit unus frater & tres sorores, vel abinde supra, frater habeat medietatem, & dictæ sorores aliam medietatem; si ve-

si vero fuerint duo fratres, vel abinde supra, quotcumque sint sorores, quilibet frater habeat duplum ejus, quod habebit quælibet sororum prædictarum. Ita quod in partibus supradictis ad hæreditatem prædictorum ascendentium admittantur in stirpem, vel in capita, ac si dictæ partes eisdem de jure communi deberentur. Et illud idem intelligatur in quibuscumque personis per lineam fœmininam descendentibus. Et quod hoc Statutum locum habeat in præteritis, præsentibus & futuris negotiis, quæ non sint sententia, transactione, divisione, vel alia amicabili compositione sopita.

De successione Matris & Transversalium, tam agnatorum, quam cognatorum. Cap. LXXXVI.

SUCCESSIONI masculinæ favere volentes, quæ prosapias, & familiarum nomen conservat; Statuimus, quod matre, & agnatis simul masculis, & fœminis de jure communi defuncto ab intestato succedentibus, tunc mater ipsa, & agnatæ fœminæ, & quælibet ex ipsis & præmortuarum agnatarum filii succedant in tertia tantum parte ejus, quam habitura, vel habituri essent ab intestato, & masculi agnati unus, vel plures succedant in reliquo toto bonorum & hæreditatis: salvo in omnibus prædicto jure successionis in stirpem, vel in capita, ut in capite præcedenti.

De successione Matris solæ, vel simul cum agnatis fæminis tantum. Cap. LXXXVII.

MATRE vero, vel sola, vel simul cum agnatis tantum fœminis, una, vel pluribus, vel & cum præmortuarum agnatarum filiis de jure communi defuncto succedente, vel succedentibus, extantibus agnatis masculis usque ad tertium gradum inclusive de jure canonico; tunc mater ipsa, & quilibet ex dictis agnatis, vel præmortuarum agnatarum filii succedat, & succedant defuncto in tertia tantum parte ejus, quam quælibet ipsarum, vel agnatarum filii habitura, vel habituri essent ab intestato: salvo jure successionis in stirpem, vel in capita masculis agnatis prædictis, sive uno, sive pluribus succedentibus in reliquo toto bonorum hæreditatis; & salva inter dictos agnatos masculos gradus prærogativa, & nulla habita differentia conjunctionis ex utroque, vel ex altero tantum.

De successione Transversalium Agnatarum utriusque sexus. Cap. LXXXVIII.

DESCENDENTIBUS vero & ascendentibus ipsi defuncto non extantibus, sed agnatis tantum transversalibus, tunc si fœminæ agnatę cum

ma-

masculis agnatis simul de jure communi succederent, dictæ agnatæ fœminę, sive una sive plures, vel & præmortuarum agnatarum filii habeant de bonis, & de hæreditate defuncti tertiam tantum partem ejus, quam habituræ, vel habituri essent ab intestato, reliquo toto bonorum & hæreditatis remanente ipsis agnatis masculis, sive uno, sive pluribus: salvo inter prædictos jure successionis in stirpem, vel in capita.

De successione Transversalium Agnatarum feminarum.
Cap. LXXXIX.

SI vero agnatæ fœminæ solę, sive una sive plures, vel & præmortuarum agnatarum filii de jure communi defuncto succederent, tunc extantibus agnatis masculis usque ad tertium gradum inclusive de jure canonico, ipsa vel ipsę agnatæ fœminę, & quęlibet ipsarum, & præmortuarum filii succedant in tertia tantum parte ejus, quam quælibet ipsarum, & pręmortuarum filii habitura, vel habituri essent ab intestato; salvo jure successionis in stirpem, vel in capita. Et agnati prædicti, unus vel plures succedant in reliquo toto bonorum, & hęreditatis; salva inter ipsos agnatos gradus pręrogativa, & nulla habita differentia conjunctionis ex utroque, vel ex altero tantum.

De successione Transversalium Agnatorum & Cognatorum simul.
Cap. XC.

NULLIS vero descendentibus & ascendentibus defuncto extantibus, sed agnatis ut supra, & cognatis, qui simul de jure communi defuncto succederent, tunc cognati ipsi, si dicti agnati masculi erunt, (quotquot sint cognati vel agnati) succedant in tertia parte tantum ejus, quam dicti cognati habituri essent ab intestato, reliquo toto bonorum, & hęreditatis remanente dictis agnatis masculis: salvo inter prædictos jure successionis in stirpem, vel in capita.

De successione Transversalium cognatorum. *Cap. XCI.*

SI vero cognati soli de jure communi ad successionem defuncti vocarentur, agnatis masculis usque ad tertium gradum inclusive de jure canonico extantibus, tunc ipsi cognati, unus vel plures succedant in tertia tantum parte ejus, quam habituri essent ab intestato, & reliquum totum bonorum hęreditatis deveniat ad dictos agnatos masculos, unum vel plures: salva inter ipsos agnatos gradus prorogativa, & nulla habita differentia conjunctionis ex utroque, vel ex altero tantum. Et omnia, & singula supradicta vendicent sibi locum etiam in pupillis.

De

De possessionibus, quæ tenebantur ad livellum, seu fictum per non habentes filios, vel nepotes, quod in proximiorem deveniant attinentem.
Cap. XCII.

SI aliqua persona aliquam habeat possessionem ad livellum, seu fictum, de qua tenetur dare alicui personæ Ecclesiæ, capitulo, vel collegio livellum, vel fictum, vel aliam præstationem, & ipsa decesserit ab intestato sine liberis, & nepotibus ex ea descendentibus; successio & jus illius livelli, & ficti, vel alterius præstationis libere, & liberaliter deveniat in proximiorem attinentem, sicut deveniret in filios: non obstante aliquo pacto in contrarium facto, quod judicari debet extortum & illicitum, nec aliqua consuetudine, quæ potius corruptela judicanda est, in contrarium introducta.

HÆC SUNT STATUTA DOTIUM.

Mulier maritata, si per x. annos steterit quod non petierit se dotari, dotata præsumatur. Cap. XCIII.

ITEM Statuimus, quod si aliqua mulier fuerit maritata, & per decem annos steterit quod non petierit in judicio vel extra, se dotari a Patre, vel a Fratribus, vel ab aliis, qui eam dotare tenerentur, præsumatur ipsam dotatam fuisse, & amplius non possit petere se dotari debere, nec ejus hæredes; vel partem successionis ab eis, nec ab hæredibus eorum, qui eam tenerentur dotare, nisi ostenderit se dotatam non fuisse.

De fructibus & redditibus percipiendis per maritos de bonis & rebus uxorum. Cap. XCIV.

SUBVENIRE volentes sustinentibus onera matrimonii, Statuimus, quod fructus, redditus & obventiones bonorum & rerum mulierum non habentium dotes percipiantur per maritos ipsarum, vel soceros sustinentes onera matrimonii, perinde, ac si fuissent in dotem datæ; & quod bona ipsa, & res præsumantur, & intelligantur data esse in dotem dicto ejus marito, pro oneribus matrimonii sustinendis. Si vero mulieres habeant dotem, & extra dotem habeant alias res & bona, quorum fructus & redditus veniant in domum mariti vel soceri sustinentis onera prædicta, ipse maritus, vel socer dictos fructus, vel redditus habeat, & percipiat pro rata temporis constantis matrimonii, perinde ac si di-

si dictæ res fuissent in dotem datæ, quantum est solum ad ipsorum fructum perceptionem.

Quod de dote uxoris prædefunctæ maritus lucretur dimidiam, communibus liberis non extantibus. Cap. XXV.

ITEM Statuimus, quod si mulier dotata de cætero in matrimonio decesserit sine liberis ex dicto suo marito, maritus ipse lucretur medietatem dotis prædictæ, quam dicta mulier de jure dotare potuerit, & aliam medietatem restituere teneatur cui de jure fuerit restituenda; & idem intelligatur in dote promissa mulieris traductæ. Si vero maritus prædecesserit mulierem, liberis communibus similiter non extantibus, quod mulier integram dotem percipiat, & nil ultra dotem hæredes mariti restituere teneantur, exceptis anulis cum quibus dicta mulier fuerit guadiata, si extabunt, si non extabunt eorum valorem; pactis aliquibus dotalibus in contrarium factis non obstantibus: salvo quod per prædicta nullum fiat præiudicium, quin maritus & uxor ex testamento, vel alia ultima voluntate sibi adinvicem relinquere possint.

De emolumentis dotalibus. Cap. XXVI.

ITEM Statuimus, quod emolumenta dotis tam dandæ quam restituendæ, taxari debeant per quemlibet jusdicentem in ratione sex pro centenario.

De bonis, de quibus mulieres sunt in tenuta pro dote & donatione propter nuptias, æstimandis ad petitionem creditorum, & qualiter possit ipsis mulieribus satisfieri. Cap. XCVII.

ITEM, quod mulieres, quæ sunt vel fuerunt in possessione bonorum mariti viventis vel mortui pro dote & donatione propter nuptias, & pro expensis legitime factis pro ipsa dote & donatione propter nuptias recuperanda & defendenda, ad postulationem creditorum teneantur & debeant esse contentæ habere de bonis mariti sui tantum, quantum habere debent pro ipsa dote tantum, & expensis prædictis, secundum æstimationem faciendam per duos communes amicos eligendos unum ab ipsa muliere, & alterum a creditore, & si non essent in concordio, tunc per æstimatores communis, vel alios judices Domini Potestatis, vel communis Veronæ ad hoc requisitos detur tertius; residuum vero dictorum bonorum creditoribus relinquatur: vel si creditores offerre, & solvere vellent dictam dotem in casu mortis mariti, & expensas, dictæ mulieres teneantur ea bona dictis creditoribus relinquere expedita, & prædicti officiales communis Veronæ ad postulationem creditoris vel creditorum teneantur prædicta facere, & executioni mandare quo-

libet die feriato, & non feriato placitis locatis & non locatis, sine libelli datione, sine aliqua scriptura facienda, & nulla juris solemnitate servata, & quidem infra unum mensem, vinculo sacramenti, & sub pęna c. sol. pro quolibet & qualibet vice.

Quomodo cincionii, sive excussiones pro dote fieri debeant, & publicari. Cap. XCVIII.

ITEM Statuimus, quod quælibet mulier, quæ de cætero voluerit constante matrimonio facere cincionium sive excussionem occasione dotis & donationis, de bonis sibi obligatis occasionibus prædictis, facere debeat coram D. Potestate, ejusque Vicario, aut alio judice, vel consule communis Veronæ, & petitione redacta in scriptis coram illo, & probatione facta per testes, quod tantum locus est exactioni dotis, & lata sententia super hoc, & tenuta apprehensa pro ipsa sententia, dicta mulier scribi faciat nomen suum & mariti, diem, & millesimum, & quantitatem cincionii sive excussionis, & nomen notarii, qui illud scripserit per notarium concionum; & postea in concione sequenti communis Veronæ legatur: aliter autem facta non valeant, nec teneant ipso jure, nec præjudicent communi Veronæ, nec alicui personæ. Et quod omnia bona mobilia, quæ reperirentur scripta in instrumento apprehensionis tenutę, cincionii vel solutionis, existimentur & computentur in dotis solutione; & quod de una dote fieri non possit cincionium nisi semel, usque ad completam dotis solutionem. Sed si mulier steterit cum marito ad victum, vestitum & lectum, ei non prosit cincionium contra creditores ex caussis mercationum, vel de drictis & fictis.

Quod nulla mulier constante Matrimonio possit alienare sine trium agnatorum, vel cognatorum præsentia. Cap. XCIX.

ITEM Statuimus, quod nulla mulier possit nec debeat, constante matrimonio, facere donationem inter vivos alicui personę de suis bonis, absque pręsentia trium ejus agnatorum proximiorum masculorum majorum xxv. annis, vel ipsis, aut aliquibus eorum non extantibus, tunc in pręsentia trium ejus cognatorum proximiorum masculorum majorum, ut supra, ita quod numerus agnatorum suppleri possit per cognatos. Et si contrafecerit ipso jure non valeat donatio, nec teneat, nec pręjudicet alicui succedenti dictę mulieri; & dicta donatio taliter facta sit cassa, irrita, & nullius valoris. Idem intelligatur in venditione, & in quacunque alia alienatione, nisi ex legitima caussa: & in quocunque prędictorum casuum, pręter quam donationis, si dicti attinentes recusaverint velle interesse, vel si non extarent, quod tunc D. Pote-

Poteſtas teneatur & debeat mittere tres homines cives Veronæ perfectæ ætatis, qui ſupereſſe debeant ad videndum & examinandum, utrum venditio, vel alienatio fiat vi, nec ne; an vero ex neceſſitate, nec ne.

De Minoribus, quod alienare non poſſint ſine trium agnatorum, vel cognatorum præſentia, & decreto Judicis.
Cap. C.

AETATIS facilitati conſulentes, Statuimus, quod minores viginti annis, ſui juris, puberes utriuſque ſexus non poſſint, nec valeant aliquo modo alienare, nec diſtrahere inter vivos bona ſua immobilia, jura, & actiones, nec liberare eorum tutores, curatores, negotiorum geſtores, & alios adminiſtratores eorum quoſcunque, nec ſe obligare, nec diſtrahere ultra ſummam libr. centum parvorum, niſi præſente D. Poteſtate Veronæ, vel uno ex judicibus conſulibus communis Veronæ, & in præſentia trium proximiorum agnatorum extantium; & ſi non extarent, in præſentia trium cognatorum proximiorum: poſſit tamen ſuppleri numerus agnatorum ſi non eſſet ad plenum, per cognatos, qui extarent, & e contra. Et his omnibus deficientibus ſeu recuſantibus, in præſentia trium bonorum civium Veronæ dandorum, & eligendorum per Dominum Poteſtatem Veronæ, vel unum ex conſulibus communis Veronæ, coram quo debeat ipſe actus fieri. Qui omnes agnati, vel cognati, vel cives apponendi & eligendi, ſint & eſſe debeant majores xxv. annis, & cognoſcentes dictum minorem, qui debeant bene videre utrum contractus, vel diſtractus ſit neceſſarius, vel utilis; & fiat ſponte per ipſum minorem, an coactum, vel fraudulenter inductum, doloſe, ſeu re ipſa. Quod ſi cognoverint contractum, vel diſtractum ipſum fieri per metum, fraudem re ipſa, vel dolum, & coertionem, aut non eſse neceſsarium, vel utilem, tunc illud ſignificet Dom. Poteſtati, vel judici conſuli coram quo fiet ipſe contractus vel diſtractus: aliter autem etiam ſi minor juraſſet obſervare dictum contractum, vel diſtractum, ipſe contractus, vel diſtractus non valeat, nec teneat ipſo jure, ſed præſumatur doloſe, in fraudem & per metum celebratus, & juramentum vitioſe extortum. Et ſi prædicta ſolemnitas obſervata fuerit, contractus, vel diſtractus valeat & teneat irrevocabiliter, nec reſcindi poſſit ratione minoris ætatis, nec aliqua alia ratione, vel cauſſa; & præſens Statutum non habeat locum in livellis, & in contractibus emphyteuticis renovandis.

HÆC SUNT STATUTA ADVOCATORUM, ET CONSILII SAPIENTIS, ET APPELLATIONUM.

De Advocatis compellendis ut caussis intersint. *Cap. CI.*

ADVOCATUS quilibet de matricula, Statuimus, quod compelli possit per D. Potestatem, & judices communis Veronę, & alios officiales, præstare patrocinium pro quolibet petente ejus advocationem, nisi justa causa a lege concessa se excusaverit. Et si recusaverit patrocinium præstare, quod privetur ab advocationibus, & consiliis quæstionum per unum annum. Et si quis cujuscunque conditionis, & gradus existat, dixerit aliqua injuriosa verba; vel pro eo dictum fuerit alicui advocato, quod non præstet auxilium, vel patrocinium alicui personę, puniatur in libr. xxv. Veronensibus.

De patrocinio præstando per quemlibet Advocatum contra alium Advocatum. *Cap. CII.*

ITEM, quod si aliquis de civitate Veronę, vel districtu habuerit aliquam quęstionem cum aliquo advocato, vel aliqua persona civitatis Veronę, vel forensi, quilibet advocatus, qui fuerit requisitus per illum, qui habet quęstionem cum advocato, vel ejus procuratore, teneatur eidem patrocinium pręstare, non expectato pręcepto D. Potestatis, vel alicujus judicis; & qui contrafecerit puniatur in x. libr., & nihilominus patrocinium pręstare teneatur. Et ille cui patrocinium fuerit denegatum, teneatur & debeat infra triduum a denegatione denunciare denegantem Domino Potestati, vel judici maleficiorum, banno centum solidorum.

Quod ultra unum Advocatum quis habere non possit. *Cap. CIII.*

ITEM Statuimus, quod litigantes habere non possint nisi unum advocatum pro quoque in tota causa principali, & primę appellationis, quem litigantes sacramento teneantur coram judicentibus dicere, & nominatim declarare cum nominibus etiam aliorum omnium, qui sibi consulerint in quęstionibus vertentibus inter ipsos litigantes, cum ab adversa parte fuerit requisitum, & ipsorum advocatorum nomina apud acta scribi faciant tempore porrectionis sui libelli & contestationis litis verę, et fictę. In causa vero secundę appellationis in tertia instantia, possint habere unum advocatum tantum pro parte, de iis, qui remanserint in collegio advocatorum, ultra consultores quibus causa commissa fuerit; in quo-

quorum numero advocatorum etiam intervenire posſint illi, qui conſuluiſsent in cauſsa principali primæ appellationis; declarando tamen, quod pars ſuccumbens propter interventionem primorum conſultorum majoribus non gravetur expenſis.

De ſalario Advocatorum, & quod nullus poſsit advocare, nec conſulere niſi matriculatus, & tunc compelli poſsit advocare. Cap. CIV.

ITEM Statuimus, quod advocati accipere poſsint pro ſuo ſalario advocationis, de quæſtione xx. libr. aut ejus valoris, vel abinde inferius, xl. ſol. pro tota cauſsa; abinde vero ſuperius uſque ad l. libr., quatuor libr. a. l. vero libr. uſque ad centum libr., libr. ſex; a centum vero libr. uſque ad quingentas libr. x. libr. a quingentis vero libr. ſupra, cujuſcunque quantitatis vel valoris ſit, xx. libr. Et in quolibet prædictorum caſuum judex, ſeu officialis coram quo quæſtio agitabitur, non poſſit, etiam de partium voluntate dictum ſalarium & dictas quantitates ſalariorum augere, vel minuere; & quod pro ipſorum advocatorum patrocinio præſtito fiant commiſsiones reales & perſonale, quolibet die & tempore, feriato & non feriato, placitis locatis & non locatis, contra eorum clientulos in dicta ſolutione ceſsantes. Item, quod nullus poſsit advocare, nec conſulere in quæſtionibus, niſi fuerit in matricula advocatorum ſcriptus & approbatus: & qui contrafecerit, puniatur pro quolibet & qualibet vice in lx. ſolidis.

Committi non poſſit aliqua quæſtio alicui juriſperito, qui non ſit de collegio, nec ſimiliter juſdicenti, nec forenſi. Cap. CV.

ITEM Statuimus, quod nulli juriſperito terrigenę, vel forenſi, qui non ſit de collegio advocatorum Veronę, & ſcriptus in ipſorum matricula, & qui non ſit præſens in civitate Veronæ, & ſtet, & habitet in ipſa civitate cum ejus maſſaritia & familia, poſſit committi aliqua quæſtio, ſeu conſilium dandum ſuper aliqua quæſtione, nec ad taxandum expenſas: & ſi aliter factum fuerit ipſo jure non valeat. Item nullus juriſperitus civitatis Veronæ poſſit eligi in judicem ad aliquod tribunal, vel officium communis Veronæ, niſi ſcriptus fuerit in ipſa matricula, & ſi eligeretur, electio non valeat. Et quod aliquibus judicibus ad jura reddenda deputatis, non poſſint, nec debeant committi aliqua conſilia, etiam ſi in matricula juriſconſultorum ſcripti forent: quod ſi contrafactum fuerit, committens & recipiens in xxv. libr. Veronenſibus condemnetur; & quod exinde ſecutum fuerit ipſo jure non valeat. Item quod nulli juriſperito, qui non ſit natione de Verona vel Veronenſi, aliqua cauſſa, ſeu conſilium habendum ſuper aliqua cauſſa principali vel incidenti, committatur

tatur vel committi possit ; sicut nec illi , qui non steterit Veronæ vel in Veronensi, & subierit , seu sustinuerit onera civitatis Veronæ tanquam civis per decem annos.

Quod nulla caussa committatur alicui forensi , de cujus civitate fuerit aliquis ipsius causæ advocatus . Cap. CVI.

ITEM, si contigerit quod aliquis forensis jurisperitus foret advocatus in aliqua causa , seu quæstione , Statuimus , quod illa caussa , sive quæstio committi non possit ad consulendum alicui jurisconsulto, qui fuerit ejusdem civitatis vel districtus, de qua fuerit advocatus ejusdem quæstionis. Et si aliquis contrafecerit, tam committens , quam recipiens ipsum consilium , puniatur in centum sol. Veronen. pro quolibet & qualibet vice ; & quicquid ex ipsa commissione subsecutum fuerit , ipso jure non valeat. Et de prædictis quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni ; & huic Statuto renunciari non possit , nec possit etiam mutari per Consilium.

De habendo consilio in qualibet quæstione, cum fuerit a partibus requisitum, & de modo committendi quæstiones , & consilio sequendo. Cap. CVII.

EX forma etiam partis captæ in Consilio Rogatorum , & litterarum Ducalium super illa datarum quarto mensis Decembris . Indictione octava. Mccccxxix.

Statuimus , quod omnes caussæ , seu quæstiones civiles a x. libr. supra, in quibus ferenda sit definitiva sententia , vel vim definitivæ habens cum fuerit a partibus requisitum , vel altera earum , debeant committi per D. Potestatem , Vicarium , & Judices , ac Judices consules communis Veronæ consilio jurisperiti de collegio advocatorum Veronæ; in quibus quidem committendis nullum possint dare partes suspectum , sed dare teneantur suos confidentes , cum fuerint per judices vel partes, requisitæ , notandos incontinenti per notarios causæ in actis suis; & tot confidentes dare teneantur , quod in unum concurrant , cui caussa committi debeat , vel saltem ad minus tres confidentes dare teneantur pro quaque partium. Et si concurrerent in plures , quod unus eligatur ad sortem, cui causa committatur: & si non concurrerent, quod eligatur singulus per quamlibet partem de confidentibus ambarum partium , de quibus duobus unus eligatur per sortem, & ei causa committatur. Quod si aliqua partium peremptorie citata vel requisita , quod suos det confidentes, fuerit contumax, sive eos dare recusaverit , tunc D. Potestas, & quilibet alius judex ipsam quæstionem uni ex confidentibus alterius partis committere possit & debeat , dummodo non committatur alicui de

ascen-

ascendentibus, nec descendentibus partis, aut jusdicentis, nec collateralibus usque ad secundum gradum inclusive, secundum jus canonicum computando. Et quod secundum consilium dicti jurisperiti ferri debeat sententia infra tertium diem, nulla emergente seu aliqua exceptione obstante, & secundum ipsum consilium in quæstione prædicta procedatur. Et si aliter quæstiones committerentur, ipso jure non valeant dictæ commissiones, nec consilium, quod sequeretur ex ipsis: & sententia taliter lata nullam mereatur executionem, & partes revertantur in illis statu & esse, in quibus erant tempore petitæ commissionis ad jurisperiti consilium; & nihilominus tamen pars pro qua lata fuisset talia sententia, si se intra triduum non removerit a dicta sententia & omni favori, qui sibi ex ea provenire posset, non renunciaverit, teneatur alteri parti in expensis, in quibus pro condemnata habeatur, quæ declarentur per sacramentum partis, cui refici debeant, præmissa judicis taxatione.

De eodem, & de appellationibus a sententiis D. Potestatis ejusque Vicarii, seu delegati latis de consilio similiter committendis.
Cap. CVIII.

ITEM, ut honor & dignitas D. Potestatis & sui regiminis conservetur, Statuimus, quod omnes causæ, & quæstiones civiles a x. libris supra, quæ coram ipso D. Potestate, vel ejus Vicario, aut delegato verterentur, cum fuerit a partibus requisitum, vel earum altera, ut supra in proximo capitulo continetur, debeant per ipsum Vicarium, seu delegatum committi consilio Jurisperiti, cujus consilium sequi teneantur, ut supra in ipso capitulo continetur. Ad quam quidem commissionem faciendam ipse D. Potestas compellere debeat ipsum Vicarium, seu Delegatum, & quocunque nomine censeatur. A cujus sententia pars gravata appellare possit & debeat ad D. Potestatem, qui ipsam appellationem, & nullitatis causam in omnibus casibus in quibus appellatio, seu nullitatis causa per Statuta est permissa, audire, & in ea procedere possit & debeat: & eam ut supra committere consilio jurisperiti asumendi secundum formam antedicti capituli, & secundum consilii tenorem, causam & quæstionem terminare, quæ si fuerit confirmatoria cum prima, transeat in rem judicatam, nec ab ea possit ulterius appellari; sed si fuerit diversa vel contraria a prima, & a dicta terminatione seu definitione per diversam partem appellatio fuerit interposita, in casibus per Statuta permissis, ut supra, eam cognoscere & audire, & tandem terminare & definire possit & debeat, secundum consilium trium jurisperitorum de confidentibus partium, assumendorum de collegio advocatorum Veronæ existentium in urbe Veronæ, vel districtu, remotis advocatis, & consultoribus principalis causæ & primæ appellationis, qui tres in manibus D. Potestatis jurare teneantur, se justum judi-

judicium in consulendo secuturos, & quod per duos ex tribus fuerit consultum firmum sit, & jusdicens illud sequi teneatur. Quod si de tribus duo non erunt in opinione concordes, sed in toto, vel parte aliqua, vel capitulo essent discordes, suas opiniones, circa illud in quo fuerunt discordes, referre teneantur D. Potestati, & illud quod approbaverit D. Potestas cum uno ex ipsis tribus, valeat, & per D. Potestatem, & quemlibet alium judicem, coram quo quæstio pendebat, executioni mandetur, nec ab eo ulterius possit appellatio interponi alicubi.

De eodem, & de appellationibus a sententiis Vicarii & aliorum Judicum absque consilio, vel de consilio latis. Cap. CIX.

ITEM, ab omnibus sententiis definitivis, vel vim definitivarum habentibus, & a quibus per Statuta liceat appellare, latis per D. Vicarium, vel alios judices, & judices consules communis Veronæ, vel eorum delegatos absque consilio jurisperiti, puta quia non fuerit per aliquam partem petitum haberi consilium jurisperiti, possit & debeat appellatio, seu nullitas devolvi ad D. Potestatem, qui in dicta causa procedere debeat, & eam ad requisitionem partis committere teneatur consilio sapientis, secundum formam primi capituli supradicti CVII. Ab illis autem quæ latæ essent per prædictos de consilio sapientis, appellatio tunc devolvatur ad D. Potestatem, vel ejus Vicarium, & ad alios judices, & judices consules communis Veronæ, reservata appellanti electione, coram quo ex prædictis appellationem vel nullitatem prosequi maluerit, & ad requisitionem appellati eligere judicem appellationis teneatur appellans; quem si non elegerit infra dies X. tunc immediate continuos sequentes, tam feriatos quam non feriatos, ipse appellatus eligere eum possit, & causam appellationis & nullitatis prosequi.

De eodem, & de appellationibus a sententiis D. Potestatis suo arbitrio latis. Cap. CX.

ITEM, si per D. Potestatem aliqua ferretur sententia definitiva vel vim definitivæ habens in aliqua causa vel quæstione civili absque consilio jurisperiti, utputa quia non fuerit per aliquam partium petitum, vel aliter de juris necessitate sibi remanserit decidenda; appellatio vel nullitas dictæ sententiæ, si appellare vel nullam dicere permissum sit ex forma Statutorum, devolvatur ad Auditores novos sententiarum Venetiis.

De interlocutoriis. Cap. CXI.

ITEM, quod omnes interlocutoriæ quæstiones, quę fierent tam ante litem contestatam, quam post, dirimi debeant absque sapientis consilio, sine expensis partium, infra triduum, sub pœna cuilibet jusdicenti pro quaque vice, qua contrafecerit lib. x. Et si aliqua pars fuerit interlocutorie gravata, quod judex appellationis, juxta formam Statuti loquentis de libello, (quod præcise non invenitur, nisi forte in cap. cxxxv. & in cap. cxl. h. lib. & alibi) possit omne gravamen removere, & non judex, qui fuerit interlocutus.

Infra quantum tempus Consultores deponere debeant sua consilia, & quantum duret instantia quæstionis. Cap. CXII.

COMMISSA caussa consilio sapientis, incontinenti officiales committentes, sive pars, aut partes teneantur illud notificare consultori, quod si non fecerit, condemnetur pro quolibet & qualibet vice in x. libr. Et quod a die dictæ commissionis instantia quæstionis durare possit solummodo xl. diebus continuis & non ultra; infra quos xl. dies quilibet consultor teneatur suum consilium in scriptis dare & deponere clausum, & sigillatum officialibus committentibus, & penes acta notarii scribentis, ita quod dictis xl. diebus continuis, ut supra dictum est, solummodo duret instantia a tempore commissionis, usque ad consilii depositionem; quo consilio deposito, instantia quæstionis propter lapsum temporis non expiret, & si expiraret seu periret, quia consilium debito tempore prædicto depositum non fuerit, tunc ille consultor cadat ab ipsa caussæ commissione, & condemnetur in centum libr. Veron. communi Veronæ, & in expensis & in damnis, & interesse passis per utramque partem. Eo salvo, quod si infra terminum dictorum xl. dierum, & ipso durante placita locarentur, ita quod de illa caussa, aut caussis jus non redderetur, seu quod dictum consilium legi, & publicari non posset, sic quod locatio extenderet se ultra dictum terminum xl. dierum; quia tunc dictus consultor saltem tertia die juridica ventura immediate post dictam finitam locationem deposuisse teneatur sub pœna præmissa: & quilibet officialis, qui requisitus dicta consilia infra dictum tempus sibi dari non fecerit, & infra tertiam diem non pronunciaverit, nulla emergenti, seu aliqua exceptione obstante, condemnetur in x. libr. Veronen. pro quolibet & qualibet vice. Sed prædicta de instantia & termino xl. dierum locum non habeant in casibus, in quibus trium jurisperitorum consilium requiritur. De his ita specialiter statuitur: videlicet, quod commissa causa, nullum partibus tempus currat, nullum circa instantiam vel aliud, sibi præjudicium generetur. Si tamen consultores ipsi, aut eorum aliquis in negli-

gligentia aliqua deprehenderetur, D. Poteſtas debeat illi terminum & pœnam imponere pro expeditione cauſſæ, & pœnam irremiſſibiliter exigere.

De ſalario Judicum conſiliariorum. *Cap. CXIII.*

ITEM Statuimus, quod in definitivis, ſi quæſtio fuerit a x. libr. uſque ad viginti, accipiantur a qualibet partium xv. ſol. Abinde vero uſque ad l. libr., xxx. ſol. A l. veto uſque ad centum libr., xl. ſol. Abinde vero uſque ad tercentum libr. lx. ſol. Abinde vero uſque ad quingentas libr. quinque libr. denariorum. A quingentis vero uſque ad mille libr. octo libr., A mille vero uſque ad duo millia libr., xII. libras. Abinde veto uſque ad tria millia, xvI. libr. denar. Abinde vero uſque ad quatuor millia, xx. libr. Abinde vero ſupra cujuſcunque quantitatis ſit, xxv. libr. Quæ quidem ſalaria, ſingula ſi[illegible] is refetendo, duplicentur tribus conſultoribus tertiæ ſententiæ inter eos æqualiter dividenda; & in quolibet prædictorum caſuum, judex, vel officialis cotam quo quæſtio ventilabitur, non poſſit etiam de partium voluntate dictum ſalarium, & dictas quantitates ſalariorum augere, vel minuere. Et ſi quis prædictorum ſapientum ultra ſupraſcriptam quantitatem acceperit, puniatur pro quolibet, & qualibet vice communi Veronæ in centum ſol. & in tantundem condemnentur partes, & quælibet earum, quæ dictis conſiliariis ultra prædictam quantitatem dederit. Et quod ante commiſſionem quæſtionis, officialis coram quo quæſtio agitatur, faciat deponi ſalarium ſapientum, nec permittat ipſum ſalarium dari ipſis ſapientibus ante depoſitionem conſilii dati ipſi officiali. Et partes litigantes realiter, & perſonaliter pignorentur pro ſalario conſiliariorum quolibet die & tempore, feriato & non feriato, placitis locatis & non locatis, & ex officio judicis coram quo quæſtio ventilabitur, ſi apud eum, vel apud notarium ſcribentem acta ipſius quæſtionis non depoſuerint dictum ſalarium ſaltem infra tettiam diem, commiſſa quæſtione.

De celando conſilio & ſententia. *Cap. CIV.*

ITEM Statuimus, quod D. Poteſtas, & quilibet alii judices & officiales communis Veronæ vinculo ſacramenti teneantur habere ſecretam ſententiam, vel conſilium placiti, & non manifeſtare ante cauſſam finitam. Et ſimili modo Conſultores, qui ſunt ad conſilia danda, ſacramenti vinculo teneantur tenere in credentiam conſilia, donec fuerint pronunciata, nec dicere partibus, quod dabunt ſibi ad perdendum, vel ad vincendum. Et qui prædictorum officialium D. Poteſtatis, & communis Veronæ contrafecerit, perdat pro banno x. libras, pro quolibet & qualibet vice; & de hoc ſit quilibet accuſator, & habeat medietatem banni. Hoc idem intelligatur de conſulibus, & notariis, & offi-

cia-

cialibus, qui intersunt curiæ, sive taleis, & condemnationibus faciendis.

Quod principales personæ citari debeant ad sententiam definitivam audiendam, in interlocutoriis vero sufficiat citari procuratores. Cap. CXV.

ITEM Statuimus, quod D. Potestas ejusque Vicarius, judices, ac judices consules, & cęteri officiales communis Veronæ teneantur, & debeant vinculo sacramenti facere citari tempore cujuslibet sententiæ definitivæ ferendæ principales personas, & eorum tutores, procuratores, curatores seu actores, atque syndicos & defensores personaliter vel ad domos ubi habitant. Et si domum, vel habitationem non habuerint in civitate & districtu Veronæ, præconizentur super salis officiorum Palatii communis Veronæ, Pręono ipsius Palatii, & Capitello mercati fori, ut sint ad sententiam audiendam: & qui contrafecerit ex prædictis officialibus D. Potestatis vel communis Veronæ, puniatur pro quolibet, & qualibet vice in xl. libr. In interlocutoriis vero faciant citari procuratores, tutores, curatores, actores, syndicos seu defensores, vel principales personas eorum personaliter, vel ad domum habitationis eorum, sub pœna prędicta officialibus antedictis; quod Statutum locum non habeat in sententiis, quæ feruntur in concione generali communis Veronæ, cum tunc pulsatio Campanæ ipsius arengi habeatur, quantum ad ipsas sententias ferendas, pro legitima citatione.

Ut victus victori condemnetur in expensis litis, & de ipsarum commissione, & taxatione. Cap. CXVI.

VICTUM victori D. Potestas, & quilibet alius jusdicens in expensis litis debeat condemnare tempore sententiæ, vel postea, quandocunque ab ipso victore fuerit requisitus, etiam altera parte absente, omni die feriato non introducto in honorem Dei, & non feriato; qui quidem victus etiam si in sententia, sive illa fuerit interlocutoria sive definitiva, nihil dictum vel declaratum fuerit, pro condemnato habeatur & intelligatur in expensis ipsius litis, ex quo placitum seu quæstionem amiserit, & in ipsis succubuerit, & non obtinuerit in eo, quod petebat, seu contendebat: quæ quidem expensæ taxentur per judicem, seu officialem coram quo factæ fuerint, vel per alium sapientem cui eas commiserit, de qua taxatione accipere possit Consiliarius a quaiibet parte solummodo decem sol.; hoc excepto, quod judex vel officialis coram quo prædicta agitata fuerint vel agitabuntur, dictum salarium augere & minuere possit, secundum suum bonum arbitrium, inspecta & considerata ipsa caussa & importantia ipsius, & multitudine scripturarum examinan-

darum, & labore ipsius sapientis & allegationibus audiendis. Et hoc locum habeat tam in civilibus, quam in criminalibus quæstionibus. Et quod in sententia interlocutoria non possint poni expensæ advocati, procuratoris, vel syndici seu alterius personæ alieno nomine agentis & defendentis. Et quod perempta instantia caussę actor teneatur solvere reo expensas legitime factas in caussa, secundum quod taxabuntur, & quod ille qui petit expensas, teneatur eas suo sacramento declarare, primo tamen facta taxatione per Judicem. Qua facta si pars contra quam dictæ expensæ fuerint taxatæ, senserit se gravatam, possit tantum semel a dicta tali taxatione appellare, cujus appellationis instantia solum duret, & durare possit x. diebus continuis a die dictæ appellationis interpositæ, & non ultra: & in ea summarie procedatur, sine libelli oblatione & litis contestatione, & sine alia solemnitate. Quibus igitur taxatis & per sacramentum declaratis, compellatur precise, videlicet pignoribus captis, persona detenta, & quibuscunque juris remediis, in denariis vel rebus mobilibus ipsas expensas solvere, non obstante cessione bonorum, & quacunque compensatione opposita, super quibus excipiens vel ponens nullatenus audiatur, nisi utrique parti expensę deberentur ex eadem sententia, vel processu: quo casu compensatio opponi possit & admitti debeat. Et prædicta executioni mandentur quolibet tempore feriato & non introducto in honorem Dei, & non feriato, placitis locatis & non locatis, absque ulla juris solemnitate. Et quod expensæ ad taxandum committantur illi, in quem partes concordaverint, & si non concordaverint, tunc committantur receptis a qualibet partium confidentibus, si dare voluerint, vel ab altera partium, altera parte prius citata, & si aliter committerentur, ipso jure non valeat.

A quibus casibus sit licitum appellare, & a quibus non, & de supplicationibus tantum faciendis contra sententias in arengo latas.
Cap. CXVII.

AQUALIBET sententia definitiva super possessione, vel proprietate, sive super quacumque alia re, jure vel facto lata in principali caussa, appellari possit infra x. dies, preterquam in casibus per Statuta communis Veronæ prohibitis, sed neutra partium ultra quam semel audiatur appellans. Et aliqua sententia ultra quam semel non possit dici nulla. Et infra x. dies sententia nulla dici debeat, quo tempore elapso, postea de nullitate non audiatur agendo vel excipiendo; sed aliqua sententia in caussa appellationis lata non possit dici nulla; & aliqua sententia non possit dici nulla, nec ab ea appellari, nisi fuerit definitiva. Et omnes quidem sententiæ latæ ante litem contestatam, & ante definitivam sententiam sint & esse intelligantur interlocutoriæ, omnes autem sententiæ latę super tenutis,

nutis, vel pignetibus, & sequestris revocandis vel non revocandis, pigneribus conducendis vel non conducendis, restituendis vel non restituendis, & super decimis, armis, equis, bobus, & aliis bestiis, alimentis, datiis, factionibus, caussis rusticorum revocandorum ad villas, cautionibus damni infecti, & nunciatione novi operis sint, & intelligantur esse definitivæ. Sed neque sententiæ in arengo latæ per D. Potestatem cum liberatione suorum judicum, & judicum consulum, & consulum militum communis Veronæ, seu majoris partis possint dici nullæ, nec ab eis aliqualiter appellari, possit autem ab eis tantummodo supplicari ad Illustris. Dominium nostrum Venetiarum, vel ad alium, cui ipsum Dominium hoc duxerit committendum. Sed si contingat in caussa appellationis supplicantem succumbere, tunc puniatur ipse & condemnetur communi Veronæ in quarta parte ejus in quo erat prius condemnatus, ultra primam condemnationem, ut ejus calumnia non sit impunita. Cæterum a sententiis in causa civili latis, sive de consilio sapientis sive non, juxta formam Statuti positi sub rubrica *de habendo consilium in qualibet quæstione*, cap. CVII. cum tribus seqq h. lib. & non in arengo, semel tantum a qualibet partium liceat appellare, secundum formam, & modum a dicto Statuto in casu sive casibus suis datam, quæ quidem caussa appellationis admitti debeat, & admissa infra tempus comprehensum in Statuto vel Statutis loquentibus *de appellationibus*; cap. CVIII. cum duobus seqq. h. lib. debeat finiri & terminari: alioquin postea sententia firma maneat. Et quilibet appellans jurare debeat coram judice appellationis, quod non appellaverit frustratorie nec dilationis causa, sed quia putat male esse judicatum; & tam appellans, quam ille contra quem est appellatum, possint ex die appellationis in jure prosequi appellationis caussam quandocunque voluerint.

Quando citatus ad sententiam ab ea possit appellare, sine restitutione petenda. *Cap. CXVIII.*

SI quis personaliter citatus fuerit ad sententiam audiendam, & comparuerit coram judice, vel ad ejus banchum, ipso judice adhuc pro tribunali sedente, vel campanella pro curia separanda nondum sonata; lata sententia, possit ab ea appellare, sine aliqua restitutione petenda.

De executionibus sententiarum faciendis post x. dies. *Cap. CXIX.*

SENTENTIÆ, appellatione, in integrum restitutione, nullitate, vel alia justa caussa non suspensæ, executioni mandentur elapsis x. diebus, quadrimestri temporis exceptione non obstante.

Ab

Ab executione non appelletur, nec à sententiis inter confitentes latis. Cap. CXX.

ITEM Statuimus, quod sententiæ, vel præcepta inter confitentes, seu earum vel eorum executiones non possint dici nullæ, nec ab eis aliquatenus appellari, nec ab executionibus aliquarum sententiarum.

Ut acta & sententiæ factæ per bannitum valeant. Cap. CXXI.

ITEM, quod acta facta in Palatio communis Veronæ, & sententiæ latæ per bannitum, vel eum qui est extra treugam communis Veronæ valeant & teneant, perinde ac si non fuisset bannitus, vel extra treugam.

HÆC SUNT STATUTA ARBITRORUM.

De compromissis inter conjunctos faciendis. Cap. CXXII.

INTEREST Reipublicæ de charitate, & pace inter conjunctas personas conservanda. Propterea Statuimus, quod si qua quæstio, lis, vel controversia orta fuerit, ac de cætero oriri contigerit (intelligendo quæstionem, seu controversiam ortam esse per solam citationem factam) inter aliquas de infrascriptis conjunctis personis legitimis, & naturalibus tantum, sive majoribus, sive minoribus xxv. annis, sive etiam pupillis, videlicet per & inter ascendentes, & descendentes, utputa Patrem & Filium, Avum & Nepotem, & sic de cæteris ascendentibus & descendentibus, vel inter collaterales ex linea paterna vel materna conjunctos, usque ad sextum gradum inclusive, intelligendo gradum secundum jura civilia, vel inter maritum & uxorem, vel inter affines infrascriptos, tam qui essent, quam qui fuissent, videlicet inter socerum seu socrum, & generum seu nurum, vel inter leviros & leviras, seu inter habentes, aut qui habuissent duas sorores in uxores, intelligendo semper masculinum genus comprehendere fœmininum; teneantur, & debeant ipsæ partes omnino venire ad compromissum, ut infra, teneaturque & debeat D. Potestas ejusque vicarius, & quilibet alius judex, & judex consul communis Veronæ coram quo dicta quæstio sic orta fuerit, compellere personas litigantes seu litigare volentes realiter & personaliter, ac captis pigneribus, & multa indicta, omnino facere compromissum, & eligere communalem amicum, vel communales amicos duos vel tres, vel plures quam tres, videlicet singulum pro quaque parte, si litigantes essent plures quam duo, ita quod inter eos servetur æqualitas; dummodo ipsi communales amici eligendi, sint cives Veronæ, vel districtuales civitatis Vero-

Veronæ, si dicti litigantes erunt cives vel districtuales, ad confidentes quidem partium producendos hoc modo.

Quod per quamlibet partem dentur vigintiquinque confidentes sui, ex quibus de concurrentibus fiat electio prædicta: & si plures concurrerent quam necesse foret, tunc in arbitrio partium sit eligere quem ex ipsis voluerit a se productis, pro electione duorum; pro electione vero tertii, dicti plures concurrentes ponantur ad sortem, & sic ipsius tertii fiat electio. Si autem nulli vel tot non concurrerent, dentur sequenti die aliæ mudæ similes xxv. confidentium pro quaque parte, ex quibus similiter de concurrentibus fiat electio prædicta, vel ejus aut eorum qui restarent eligendi. Et si nec adhuc reperieretur concurrentia aliqua vel sufficiens, tunc eadem die D. Potestas, ejusque vicarius, & quilibet aliud judex coram quo dicta quæstio sic orta fuerit, datis sibi in secretum per partes omnibus suspectis suis, suo bono arbitrio, & pro bona conscientia sua nominet & eligat non de suspectis: & hoc nisi in eligendo partes ipsæ aliter essent concordes, quo casu intelligatur dictum compromissum legitime factum esse juxta formam præsentis Statuti.

Qui quidem arbitri, & arbitratores, & amicabiles compositores jurare in primis debeant bona fide, sine fraude, omni affectione & passione remota, pro eorum bona conscientia procedere, cognoscere, & terminare: possintque ac debeant summarie & de plano, & absque strepitu & figura judicii, quolibet loco & tempore, feriato & non feriato, placitis locatis & non locatis, præsentibus partibus & absentibus, citatis & non citatis, stando & sedendo, & omni juris solemnitate omissa, tam de jure, quam de facto cognoscere, & definire de quæstione, & controversia prædictis, pœnam apponentes in definitione sua, si, & prout sibi melius videbitur, considerata conditione personarum & caussæ, in quam partes non attendentes id quod definitum, vel ordinatum fuerit per dictos electos, vel eorum majorem partem, vel aliter non obedientes eis, vel suæ definitioni & ordinationi, toties incidant, quoties contrafecerint: & nihilominus definitio ipsa in sui firmitate perduret.

Quam quidem definitionem dicti electi fecisse teneantur infra tres menses a die facti compromissi, aliter autem incidant in pœnam librarum xxv. denar. pro quoque eorum, & plus arbitrio D. Potestatis, sive judicis coram quo dicta electio facta fuerit, nisi hoc justo remanserit impedimento, approbando per D. Potestatem. Si vero definierint & terminaverint, salarium habeat quilibet eorum, sicut habent Sapientes de collegio advocatorum, quibus caussæ committuntur ex forma Statuti, *de salario judicum consiliariorum*: cap. CXIII. h. lib. & ita D. Potestas, vel ejus vicarius, & quilibet alius judex requisitus compellat realiter & personaliter dictos electos ad cognoscendum, & definiendum, & fine debito terminandum inter partes, infra dictos tres menses; nec non sacramenti vinculo teneatur, & debeat quicquid dicti electi, vel eorum major pars in dicta

cta sua definitione definiendo dixerint, aut statuerint, totum illud omnibus juris remediis executioni mandare, & cogere partes adimplere, & perpetuo observare, nulla appellatione seu alia contradictione obstante. Ita quod a dicta definitione non possit appellari, vel de nullitate dici, nec peti ad arbitrium boni viri reduci, nec in integrum restitui, nec supplicari, nec aliter contrairi, etiam per viam exceptionis vel compensationis, retentionis, vel officium judicis implorando, neo aliquo alio modo, qui possit excogitari. Sed D. Potestas, & ejus Vicarius, & quilibet judices præfati D. Potestatis, vel communis Veronæ teneantur, & debeant dictam definitionem, sive sententiam arbitralem omnino exequi, remota prorsus omni exceptione, quantumcunque allegaretur esse legitima: etiam si dolus expressus, verus vel præsumptus propter enormem læsionem allegaretur ipsorum arbitrorum, qui talis dolus verus, vel præsumptus vigore præsentis Statuti nullo modo præsumatur: sed talis petitio reductionis ad arbitrium boni viri, & nullitatis interposirio, & appellatio, & integrum restitutionis petitio, & officii judicis imploratio, & quælibet alia contradictio intelligantur & præsumantur vigore præsentis Statuti per calumniam, dolum, & fraudem esse factæ. Et sit præsumptio juris, & de jure contra quam probatio in contrarium non admittatur. & ipse D. Potestas, ejusque Vicarius, & judices prædicti nullam habeant jurisdictionem, nec jurisdictionis exercitium contra dictam definitionem sive sententiam, neque in cognoscendo, neque in definiendo, neque ullo modo possint audientiam præbere alicui contravenire volenti, sive per viam nullitatis, appellationis, reductionis ad arbitrium boni viri, restitutionis in integrum, officii judicis implorationis, supplicationis, sive alio quocunque modo qui excogitari possit, & sit præcisum: & contrafaciens incidat in pœnam perjurii, & nullius sit valoris quicquid in contrarium fuerit attentatum. Et hoc Statutum intelligi debeat, prout jacet ad litteram; nec possit ullo modo glossari, nec interpretari, nec alium quemvis sensum, vel intellectum recipere, quam sensum, vel constructionem grammaticalem, ut intellectus ipsius in aliud non distorqueatur, quam ipsa littera sonat.

Quod nullus possit esse Arbiter, Arbitrator, vel amicabilis Compositor alicujus quæstionis, in qua intervenisset.
Cap. CXXIII.

ITEM, quod nullus possit, vel debeat esse arbiter, arbitrator, seu amicabilis compositor alicujus quæstionis, vel causæ, cujus esset vel fuisset advocatus, procurator, syndicus, actor, tutor, curator, vel defensor: & quod D. Potestas, & judices Veronæ, & omnes alii officiales communis Veronæ, quocunque nomine censeantur, non possint nec debeant, etiam de partium voluntate, ipsis advocatis quæstionem com-

committere, de qua fuissent advocati, & quilibet judex officialis D. Potestatis, vel communis Veronæ, qui contrafecerit puniatur pro quolibet & qualibet vice in x. libr. & sententia, sive arbitrium, vel compositio facta aut lata, ipso jure non valeat, nec teneat; & eadem pœna teneantur compromittentes in eis, sive eligentes eos, vel aliquem eorum ad prædicta, vel aliquod prædictorum.

De sententiis Arbitrorum exequendis, & quæ possint peti reduci ad arbitrium boni viri, & quæ non. *Cap. CXXIV.*

ITEM, quod sententiæ, & præcepta factæ, & facta, sive latæ, vel de cætero ferendæ per arbitros, arbitratores, seu amicabiles compositores debeant executioni mandari per D. Potestatem, vicarium suum, & ejus judices, & judices, & consules communis Veronæ, si inde fuerint requisiti, perinde ac si a dictis judicibus & consulibus latæ, & lata forent; primo tamen requisitis illis, contra quos prædicta petuntur executioni mandari, si contra prædictas sententias, & præcepta aliquid opponere voluerint. Salvo quod dictæ sententiæ & præcepta facta, & factæ, sive latę, vel de cætero ferendæ per quoscunque arbitratores & amicabiles compositores, ubicunque in civitate Veronæ, & ejus districtu, & etiam alibi, si de ipsarum viribus agatur in civitate Veronæ, possint peti reduci ad arbitrium boni viri; non obstantibus pactis & promissionibus, renunciationibus sive obligationibus, sacramentis sive pœnis in ipsis compromissis insertis, seu positis in sententiis, pronunciationibus, præceptis, sive laudis, nec quolibet alio, per ipsos arbitratores, & amicabiles compositores, vel communes amicos promulgatis. Et hoc locum non habeat in sententiis arbitrorum latis inter attinentes & conjunctas personas secundum formam superioris Statuti *de compromissis inter conjunctos faciendis*, cap. CXXII.

HÆC SUNT STATUTA ÆSTIMARIÆ.

De officio æstimatorum communis Veronæ. *Cap. CXXV.*

STATUIMUS, quod ad officium æstimatorum esse debeant unus judex de matricula advocatorum, & unus laicus, cives Veronæ electi in consilio generali quando brevia dantur in Palatio, qui facere debeant venditiones pro communi Veronæ, & in solutum dationes de bonis debitorum in solutione cessantium, & reliqua ad eorum officium pertinentia, secundum formam Statutorum communis Veronæ; qui etiam decretum, & auctoritatem interponere possint contractibus minorum.

Qualiter venditiones fieri debeant per æstimatores pro communi Veronæ de bonis debitorum in solutione cessantium. Cap. CXXVI.

ITEM, quod venditiones, quæ fient pro communi Veronæ, fiant per æstimatores ordine infrascripto, videlicet, quod data, & accepta seu apprehensa tenuta per creditorem de bonis debitoris in solutione cessantis, de quibus ipse debitor, si viveret tempore dictæ tenutæ acceptæ seu appræhensæ, esset in tenuta, & possessione, vel ipso defuncto ipse debitor fuisset in tenuta tempore mortis suæ, vel ejus hæredes essent in tenuta & possessione tempore tenutæ acceptæ, & tenuta non fuerit recuperata, seu cassa, vel habita pro cassata, secundum formam Statuti positi sub rubrica *de tenuta recuperanda* cap. lxv. h. lib., de quibus omnibus ex officio inquiratur per judicem, & laicum æstimatorum communis Veronæ, ipse crediter per xv. dies in tenuta esse debeat, quibus elapsis, usque ad annum res ad æstimariam poni possit. Si vero annus elapsus fuerit, ad æstimariam poni non possit, nisi citetur ille contra quem tenuta data fuerit, vel ejus hæredes; & facta ipsa citatione, res vendenda, vel vendendæ, si fuerint in civitate, vel suburbiis præconizetur ad locum æstimatorum, & in Palatio communis Veronæ super Præono, & in mercato fori super Capitello, & ante domum in qua debitor bonorum, quæ præconizabuntur ad vendendum, habitare consuevit; & si res fuerit in villa, vel castello, vel domibus campaneæ, vel districtus Veronæ, ibidem, præconizetur, ubi vicinia congregatur. Et si habitator civitatis Veronæ, vel ejus districtus non fuerit, nec esse oonsueverit, præconizetur in villa, & loco, ubi fuerit res quæ vendi debet, coram domo laboratoris, si laborator affuerit, & ubi vicinia illius terræ congregatur, ita quod bene sciri possit; & nihilominus etiam in civitate, & in locis suprascriptis. Et Præco bona debitoris specificet, & præconizet hoc modo: „ OMNES „ SCIANT, quod ad postulationem talis creditoris, bona talis debito„ ris, vel ejus hæredum posita sunt ad æstimariam vendenda pro commu„ ni Veronæ pro uno debito tantæ quantitatis, loca, " & coherentias bonorum specificando; „ & si aliquis vult contradicere, vel in prædictis „ bonis jus aliquod apportare; vel prætendere tenutam acceptam de di„ ctis bonis fuisse casatam, hinc ad octo dies proximos coram dicto judi„ ce æstimariæ debeat comparere cum suis rationibus, sciendo quod ab„ inde in antea prædicti æstimatores super prædictis procedent secundum „ formam juris & Statutorum communis Veronæ ". Elapsis igitur dictis octo diebus, dicti æstimatores per homines juramento astrictos ad minus quatuor illius terræ & loci, ubi res est vendenda, veritatem justi pretii, & si res est debitoris, vel suorum hæredum, & si alius in ea jus habeat, secundum eorum credulitatem diligenter inquirant: & si per ipsos mentio aliqua facta fuerit, quod dicta res alicui personæ pertineat, vel aliquod

jus

jus in ea re habeat, illam personam citari faciant, ut coram eis debeat comparere & suas rationes ostendere, ad certum terminum eorum arbitrio ordinandum. Et idem observetur si res fuerit in civitate, vel suburbiis, ut per quatuor homines illius oræ ubi res fuerit vendenda, veritatem de prædictis secundum ipsorum credulitatem diligenter inquirant. Quibus observatis dicti æstimatores res prædictas iterum præconizari faciant ad suum banchum, & in Præono, & in mercato fori ad Capitellum, trium dierum termino statuto, quo elapso dicti ęstimatores una cum uno ex militibus procuratoribus communis Veronę, pulsata campana more solito, bona prędicta ad suum banchum pręconizari faciant in hunc modum, videlicet, quod Pręco dicat: „ UNUSQUISQUE SCIAT, quod talia bona, (exprimendo locum & coherentias) „ talis debitoris, posita sunt ad vendendum pro communi Veronę, ad petitionem talis creditoris, pro tanta pecunię quantitate; & quod dicta bona „ tanto sunt ęstimata (exprimendo ęstimationem cujuscunque rei, quam singulariter fuerint ęstimati.) Unde si aliqua persona vult contradicere, „ ne dictorum bonorum venditio fiat, vel in solutum dentur, seu etiam „ aliquod jus in prędictis apportare vel aliquid plus offerre; usque ad „ decem dies coram dictis ęstimatoribus debeat comparere, sciendo quod „ elapsis decem diebus, dicti ęstimatores ad venditionem, vel in solutum dationem procedent, & plus offerenti dabunt ". Quam quidem ęstimationem cum dictis bonis, notarii dicti officii teneantur, & debeant in scriptis dare omnibus, & singulis sibi prędicta in scriptis dari petentibus, sub pœna xxv. libr. denari. pro quoque & quaque vice; & quilibet sit accusator & habeat medietatem banni. Quibus igitur peractis, & elapso termino dictorum decem dierum, dicti æstimatores, facta legitima subhastatione in tribus vel quatuor diebus, ad venditionem, vel in solutum dationem procedant, & plus offerenti dent. Et quod creditores priores tempore possint pecuniam ex venditione bonorum debitoris redactam percipere, vel habere, & etiam ipsa bona in solutum accipere, si aliquis plus eo non obtulerit; ita quod ęstimatores teneantur & debeant appellare illum, qui plus in venditione, vel in solutum datione dare voluerit, quoties alius plus offerrens inventus fuerit, & ab eo requirere, si plus offerre maluerit: & hoc locum habeat nisi ante venditionem, vel in solutum dationem aliquis apparuerit contradictor. Si vero aliquis ante venditionem, vel in solutum dationem extiterit contradictor, qui causam rationabilem proponat, seu proponere videatur, pręstito prius ab eo sacramento calumnię si fuerit requisitum, super ipsa contradictione cognoscatur. Et si venditiones vel in solutum dationes aliter fierent, ipso jure non valeant.

Quod ultra quantitatem debiti & expensas de bonis debitorum non vendantur, nec in solutum dentur per æstimatores, quamvis res ultra valeat. Cap. CXXVII.

ITEM, quod æstimatores communis Veronæ non possint, nec debeant venditionem facere, nec in solutum dare de bonis alicujus vel aliquorum, ultra quantitatem debiti & expensas, quam habere debuerit ille, qui postulaverit bona subhastari, vel alii creditores, qui jura sua apportaverint coram æstimatoribus prædictis, licet bona subhastata ultra dictam quantitatem valeant. Et quod facta subhastatione bonorum alicujus, vel aliquorum ad vendendum, si ille vel illi quorum bona proclamata fuerint ad vendendum, satisfecerint ei ad cujus postulationem bona fuerint proclamata, cancelletur, & perinde habeatur, ac si ipsa bona non fuissent ad vendendum proclamata: & æstimatores teneantur facere restitui omnes expensas ab iis quorum bona fuerint proclamata, eis omnibus qui occasione ejus proclamationis cancellandę coram ipsis ęstimatoribus, vel alibi occasione ipsius proclamationis expensas fecissent.

De securitate accipienda per æstimatores a creditore antequam venditionem, vel in solutum dationem faciant rei subhastatæ. Cap. CXXVIII.

ITEM, quod æstimatores antequam venditionem, vel in solutum dationem faciant, bonam & idoneam accipiant securitatem a creditore, ad quem pretium rei debet pervenire, vel cui res in solutum danda fuerit, de tanta pecunię quantitate restituenda, pro quanta venditio vel in solutum datio facta fuerit. Et si apparuerit aliquam personam usque ad quadriennium, meliora jura habere in dictis bonis, quam creditor antedictus cui res in solutnm data fuerit, vel ex venditione rei predictę pretium venerit, quod dictam pecnniam restituet creditori, qui in dictis bonis meliora jura habeat; & quod facta venditione vel in solutum datione, ut superius dictum est, is, qui rem acceperit a communi, de re sit securus, & de ea nunquam inquietetur: eo tamen salvo, & reservato, quod si emptor pretium bonorum sibi venditorum ad terminum sibi statutum per dictos ęstimatores, non solverit, ipso jure talis venditio sit nulla & nullius valoris ac momenti, & teneatur dictus emptor ad omne damnum, & interesse tam creditori quam debitori, in eo pro quo uniuscujusque eorum intererit, & nihilominus possint & debeant procedere dicti ęstimatores ad aliam venditionem, seu in solutum dationem ex dictis bonis faciendam, secundum formam Statuti commuuis Veronę officii dictorum ęstimatorum; & pro dictis damno, & interesse possit & debeat

debeat emptor compelli realiter & personaliter, ad solvendum. Salvo, quod si aliquis post dictam venditionem, vel in solutum dationem, infra quadriennium tantum, apparuerit, qui asserat se jus habere in proprietate, vel quasi, de usufructu, sive habitatione, vel ejus servitute in ipsis terris, domibus & possessionibus venditis vel in solutum datis, ejus ratio audiatur, & terminetur secundum justitiam. Si autem aliquis apparuerit, qui se dicat creditorem, ratio ejus audiatur infra quadriennium adversus creditores, quibus rei pretium datum est, vel quibus res data fuerit in solutum, quantum est pro pretio vel æstimatione; in quo pretio vel æstimatione jus habeat, quale habet in ipsis rebus venditis, vel in solutum datis: & si de prædictis quæstio oriatur ad cognitionem, & definitionem æstimatorum perveniat. Minori autem non currant prædicta tempora, nisi post majorem ætatem, nec absentibus, nisi post eorum reversionem. Et si qua venditio, vel insolutum datio facta fuerit per dictos æstimatores de aliquibus bonis sub nomine debitoris vel ejus hæredum, quæ non possiderentur per ipsum debitorem, vel ejus hæredes tempore acceptæ tenutæ a creditore, quod ipsa venditio, vel in solutum datio ipso jure non valeat, & nullum præjudicium faciat possidenti, nisi in casibus in infrascripto proximo Statuto sequenti comprehensis.

Quibus casibus res non possessa per debitorem poni possit ad æstimariam.
Cap. CXXIX.

ITEM, quod si quis creditor pro re sibi hypothecata contra possessorem egerit, & obtinuerit, & ex ipsa sententia possessionem seu tenutam ejus rei adeptus fuerit, vel si quis creditor ex pacto auctoritate propria tenutam seu possessionem rei, quam ejus debitor vel ejus hęredes possidebant ingressus fuerit, vel si possessio rei sibi obligatæ ad creditorem sine vitio pervenerit, & in dictis casibus in tenuta dicta, vel possessione steterit per xv. dies; tunc elapsis xv. diebus creditor possit ponere, & poni facere ad æstimariam communis Veronæ rem prędictam, prius citato debitore vel ejus hærede, personaliter, vel ad domum in qua habitabat debitor tempore mortis, an contradicere velitne res prædicta ad æstimariam ponatur, & procedatur per æstimatores communis Veronæ ad venditionem, vel in solutum dationem faciendam, solemnitate Statutorum communis Veronæ servata, ac si creditor judicis auctoritate possessionem vel tenutam ingressus fuisset, non obstante eo, quod debitor tempore acceptæ tenutæ vel appręhensæ, vel perventionis prædictam non possideret.

Quod

Quod Emptor vel in solutum acceptor eamdem habeat rationem contra conductorem, vel locatorem illius, cujus illa bona fuerint.
Cap. CXXX.

ITEM, quod facta venditione vel in solutum datione, modo & forma prædictis, emptor vel in solutum acceptor habeat, & habere debeat eamdem rationem contra conductorem, vel locatorem illius, cujus bona fuerint vendita, vel in solutum data, pro communi Veronę, in pœna, duplo, & interesse, ficto, & aliis conditionibus, aliisque obligationibus, sicuti locator habebat, & ipse locator, & conductor contra emptorem, vel in solutum acceptorem eamdem habeant rationem, licet non data fuerit.

Quod res praeconizata ad æstimariam alienari non possit per illum cujus fuerit, nisi prius satisfecerit illi, qui eam tunc fecerit subbastari. *Cap.* CXXXI.

ITEM, quod postquam res fuerit præconizata ad vendendum pro communi Veronæ coram æstimatoribus communis Veronæ, ille cujus fuerit bona, vel res subhastata, non possit alicui venditionem vel alienationem facere, nisi prius satisfecerit illi, qui tunc fecerit subhastari, & aliis qui instrumenta coram æstimatoribus apportaverint vel alias rationes, & ea in actis coram æstimatoribus scribi fecerint, & si contrafactum fuerit, ipso jure non valeat.

Quod tenuta & auctoritas ingrediendi tenutam dari possit per æstimatores emptoribus, vel in solutum acceptoribus.
Cap. CXXXII.

ITEM, quod ęstimatores communis Veronæ de re, quam pro communi Veronę vendiderint, vel in solutum dederint, possint dare, & dari facere per se vel per alios, tenutam & possessionem emptoribus, & in solutum acceptatoribus, & eorum nunciis; & insuper concedere ut sua auctoritate accipientes ingredi possint & intrare tenutam & corporalem possessionem vel quasi rei venditę, vel in solutum datæ, & manifestare possint dicti æstimatores rem venditam vel in solutum datam sese pro emptore, vel in solutum acceptatore possidere vel quasi; & valeat hæc concessio vel manifestatio, perinde ac si esset facta per illum, cujus res vendita vel in solutum data fuerit. Et quod si res vendita vel in solutum data evicta fuerit ei, cui vendita vel in solutum data fuerit, vel hæredibus suis ille, cujus nomine res vendita vel in solu-

solutum data fuerit, de evictione in duplum teneatur, ac si ipse idem de duplo promisisset.

Quod omnes alienationes factæ pro communi Veronæ per æstimatores secundum formam Statutorum valeant, & observentur.
Cap. CXXXIII.

ITEM, quod omnes venditiones, in solutum dationes, vel aliæ quælibet alienationes factæ pro communi Veronæ per æstimatores communis, vel quæ de cætero fient, valeant & teneant, & robur obtineant perpetuæ firmitatis. Et quod D. Potestas teneatur observare, & observari facere omnes venditiones, seu in solutum dationes, ac alias quaslibet alienationes factas per dictos æstimatores, secundum formam Statutorum communis Veronæ. Et quod nulli in contrarium audientia præbeatur: eo salvo, quod a tempore emptionis, vel in solutum dationis factarum, vel de cætero faciendarum usque ad quadriennium pro communi Veronæ per æstimatores communis, ille cujus res fuerit subhastata, vendita, vel in solutum data, si fuerit deceptus ultra dimidiam justi pretii possit agere infra dictum quadriennium, sicut posset alias de jure communi, ad venditionem restituendam, vel ad justum pretium sibi supplendum. Præterea creditor possit eodem modo agere adversus emptorem, qui emit rem sui debitoris, vel in solutum acceperit infra dimidiam justi pretii, sicut potest debitor dominus rei. Et quod creditor, & debitor possint prædicta adversus quemlibet possidentem, etiam si per plures manus transiverit, usque ad quadriennium.

De solutionibus scripturarum duorum Tabellionum æstimatorum communis Veronæ. Cap. CXXXIV.

ITEM, quod non permittatur aliquem notarium pro scriptura præconizationis alicujus poderis factæ in civitate Veronæ, burgis, vel castello, habere ultra novem solidos inter notarium, & viatorem, si illud podere fuerit minoris quantitatis centum libr., de quibus IX. sol. viator habere debeat tertiam partem, & notarius duas partes; & si fuerit majoris quantitatis centum libr. & inde superius, permittatur eum accipere usque ad XII. sol. & non ultra, de quibus viator tertiam partem habere debeat, notarius vero superfluum, si ille, qui electus fuerit ad venditiones pro communi Veronæ, pro suo labore illud arbitratus fuerit; ita quod arbitrium non excedat quantitatem XII. sol. Idem observetur in instrumentis venditionum & confirmationum. Notarius debeat esse contentus justo pretio pro opere & scriptura sua in ipsius æstimatoris arbitrio, si inde fuerit quæstio, vel ejus cui æstimator ipse commiserit, ita quod de charta, seu scriptura alicujus securitatis, & de

de pecunia præstanda in manibus massarii, cujuscumque quantitatis fuerit, non debeat accipere ultra XII. sol. denar.; de charta vero promissionis, similiter, etiam si sæpius promissio facta fuerit ab una persona, dummodo facta sit eodem die de præsentia; de confessione autem vel termino non authenticato, ultra sex denar., de charta alicujus libri quantum accipere debeat sit in arbitrio æstimatoris, & teneantur tabelliones ostendere, & cercare prædictas scripturas præcepto æstimatoris; de confirmatione, seu pro confirmatione aliqua quam non scripserit, nihil accipiat; de itineribus vero, quando vadunt extra civitatem pro præconizatione alicujus poderis, sit in arbitrio æstimatoris quantum accipere debeant, inspecta quantitate & qualitate itineris & poderis, atque laboris, & prædicti æstimatores teneantur æstimare secundum prædictum modum, bona fide. Et notarius massarius æstimatorum sit contentus in XII. denar. instrumentorum centum libr. & inde inferius; a centum libris superius, in duobus solidis. Et duo notarii eligantur idonei, qui exerceant officium coram æstimatoribus; & eodem officio finito coram eis non sedeant, nisi elapso anno, qui in sequenti tempore eligentur & debeant esse contenti de suo labore arbitrio æstimatorum: Et æstimatores sint astricti bona fide arbitrari. Et quilibet notarius possit facere contractus confirmationis coram æstimatoribus, qui sit habitator civitatis Veronæ, vel ejus districtus. Et quod notarius debeat præstare & dare chartas emptionum, & venditionum factarum coram æstimatoribus communis Veronæ omnibus quibus pertinent habere, & non aliis. Et notarius habere debeat de charta emptionis, vel in solutum dationis a l. libr. & inde inferius, x. sol.; & de charta a l. libr. & inde superius usque ad centum libr. xx. sol.; & de charta a centum libr. superius usque ad quinquecentum libr., xl. sol.; & de charta a quinquecentum libr. superius, v. libr. denar. Veron. Et qui contrafecerit in lx. sol. Veronen. puniatur.

HÆC SUNT STATUTA DE ORDINE PROCEDENDI IN CAUSSIS CIVILIBUS.

De ordine procedendi in caussis, secundum formam Statutorum infrascriptorum. Cap. CXXXV.

AD hoc ut omnes lites, caussæ & quæstiones velocius terminentur, Statuimus, quod in qualibet quæstione, seu lite civili excedente summam XXXII. libr. denar. quam aliquis movere voluerit contra aliquem, de eo, quod non fuerit publicum instrumentum vel scriptura privata, manu illius contra quem litem movere voluerit, seu illius, aut illorum in cujus vel quorum loco successerit, subscripta manu trium testium,

ſtium, debeat offerri libellus ſine actionibus, ſi petatur, & D. Poteſtas, & judices ſui, & alii judices, & officiales communis Veronę, coram quo, ſeu quibus lites & quęſtiones movebuntur, ſacramenti vinculo oblatum libellum pręciſe ipſum conventum recipere compellant in continenti, quem ſi ad pręceptum judicis ſibi perſonaliter factum, vel ejus domum ex commiſſione ipſius judicis per viatorem, ad ejus ſcilicet domum per binam citationem, per intervallum trium dierum inter unam citationem & aliam, non receperit, habeatur pro recepto, & eidem infra triduum a die porrectionis libelli reſpondere teneatur, quem libellum ſive receperit ſive non, ſive reſponderet ſive non, lis habeatur pro conteſtata poſt dictum triduum, & procedatur in cauſſa, non obſtantibus exceptionibus peremptoriis, dilatoriis, emergentibus, anomalis, & aliis generis cujuſcumque, quæ omnes ſint ſalvæ tempore diſputationis, & definitivæ ſententię: poſſint tamen dictæ exceptiones poſt litem conteſtatam, vel habitam pro conteſtata, tam cum conteſtatione litis facienda ſuper ipſis exceptionibus, quam ſine, etiam probari, ſed ſolummodo in fine litis, tempore quo debeat proferri definitiva ſententia, & terminari; ſalvo quod ſi aliquis eſſet beneficio inventarii munitus, eidem infra tempus a jure conceſſum, non poſſit libellus porrigi, ſed poſſit porrigi, elapſo termino ipſius inventarii conficendi. Item ſi aliqua partium peteret aliquid fieri in principio ante litem conteſtatam, cujus omiſſio haberet reddere proceſſum retro nullum; verbi gratia, quod peteret, ut filius faceret patrem conſentire, vel ut veniret minor ad judicium cum auctoritate tutoris, aut curatoris, vel ſimilia; quod tunc & eo caſu judex ſine expenſis partium, ſub pœna x. libr. non obſtante aliquo Statuto in contrarium loquente, teneatur & debeat illud terminare, ſeu fieri facere omnibus juris remediis opportunis, infra octo dies cum peritum fuerit, ad hoc ut proceſſus non vitietur poſtea occaſione prædicta. Et judex compellat conventum cuilibet interrogationi, quæ de natura ſua habet fieri ante litem conteſtatam, reſpondere; ac etiam utrum teneat & poſſideat rem petitam, vel quæ peti intenditur, ſuo nomine vel alieno, & pro quo vel quibus teneat vel poſſideat, & etiam ante libelli oblationem. Et quiliber agens veluti hæres, vel conventus velit hęres, teneatur ante omnia reſpondere an ſit hæres ex teſtamento vel inteſtato, an non; & ſi dixerit quod ſit hæres ex teſtamento, quod teneatur & debeat teſtamentum producere, ad inſtantiam legatoriorum. Convento autem reali actione fiat rei petitæ deſignatio; ita demum ſi juraverit rem petitam ignorare, & tunc fiat ei deſignatio, infra terminum per judicem ſtatuendum, & eo termino elapſo, ſi per actorem non ſteterit, quo minus deſignationem fecerit, tunc conventus præciſe compellatur reſpondere, ſi teneat vel non teneat, poſſideat vel non poſſideat rem, quæ petitur, vel peti intenditur, & utrum ſuo nomine vel alieno, & pro quo vel quibus. Et ſi poſtea in definitiva ſententia aliqua pars fuerit

gravata non solum definitive, sed etiam interlocutorie, & si ab ea sententia definitiva fuerit appellatum, quod judex appellationis possit omne gravamen removere. Quod si reus, vel alia legitima persona pro eo, in caussa principali vel appellatoria, in judicio, præsente parte vel absente, confessus fuerit in totum vel in partem libellum, judex teneatur facere condemnationem, sive parte præsente vel absente, incontinenti in totum, vel pro illa parte, pro qua fuerit libellus confessatus, & tam cum citatione; quam sine citatione, non obstante quod in dicta responsione contineantur illa verba vel similia *non animo contestandi litem vel vere vel ficte*. Et si confessio non esset pura, præcisa & clara, sed conditionalis vel obscura, vel alio modo dubiosa, tunc & eo casu lis habeatur pro contestata, & procedatur in caussa, & ad declarationem per definitivam sententiam, perinde ac si reus, sive alia legitima persona pro eo, negasset. Si vero reus vel conventus non haberet habitationem, tunc cridetur ante domum ejus solitæ habitationis, si habuerit in Verona vel districtu, & si non habuerit, super salis Palatii communis Veronæ, Preono ipsius Palatii, & Capitello mercati fori; & si non comparuerit ad recipiendum libellum, tunc possit porrigi in manibus Judicis. Et elapso triduo a die porrectionis, lis habeatur pro contestata, procedatur in caussa, & terminetur, ac si dictum libellum recepisset.

De præcepto debitorum. Cap. CXXXVI.

SI autem fuerit publicum instrumentum vel scriptura privata trino teste notata ex quacunque caussa judex, vel officialis competens sine aliquo libello, seu petitione formanda in scriptis, & sine aliqua litis contestatione, in continenti de ipso debito solvendo & attendendo, præceptum faciat in debitorem ad XII. dies juridicos si fuerit debitum centum libr. & abinde infra; abinde vero supra usque ad quingentas libr. inclusive, ad XVIII. dies juridicos, infra quos audiantur exceptiones si quas opponere voluerit ille, in quem præceptum factum extiterit, ac etiam replicationes & intentiones petentis: Quas exceptiones & replicationes, intentiones, prædicti sive partes invicem litigantes infra dictum terminum probent, & probare debeant. Quod si probare nequierint ex aliquo justo impedimento, quod suo sacramento affirmaverint, unusquisque terminus dictorum terminorum in suo casu, ad alios quinque dies juridicos parti probare volenti prorogetur: nec ultra protrahi possit spatium dictorum terminorum: Et si infra dictas dilationes seu terminos aliquid contra dicta talia instrumenta, & scripturas privatas non fuerit probatum quod revelet, tunc & in eum casum præceptum vigore dictorum instrumentorum, sive scripturarum factarum, prorsus omnibus juris remediis contra bona, & secundum formam

Sta-

Statutorum de cessione bonorum cap. lxi. h. lib. executioni mandetur. Si vero publicato processu per partem diceretur, vel non diceretur esse probatum, quod relevare haberet, tunc ad petitionem partis teneatur & debeat judex consilio Sapientis committere quæstionem infra duos dies continuos a die publicationis processus connumerandos; qui consultor teneatur & debeat, infra x. dies continuos a tempore quo fuerit sibi denunciatum prædicta sibi fore commissa, per partem ad cujus instantiam fuerint prædicta commissa, connumerandos, deponere consilium suum, sub pœna vigintiquinque libr. denar. & damni & interesse parti, in quibus pro condemnato habeatur. Quo consilio lecto & publicato super prædictis, possit quælibet partium a sententia lata super prædictis semel tantum appellare vel nullam dicere, infra quinque dies continuos. Quæ caussa appellationis seu nullitatis finiatur & terminetur infra xx. dies continuos a tempore appellationis interpositæ exclusive, & non ultra; in quibus diebus etiam computentur placita locata. Et quod consilium depositum super dicta caussa appellationis seu nullitatis possit, & debeat infra dictos xx. dies publicari & pronunciari, omni die feriato & non feriato, dummodo non fuerit dies feriata in honorem Dei, placitis locatis & non locatis, pulsata campanella pro jure reddendo & curia separanda, & non pulsata; & hoc Statutum non habeat locum in debitis usurariis. Et si quis solum allegaverit debitum fore usurarium, & non probaverit infra xv. dies continuos coram judice competenti, ulterius de jure suo non audiatur, & pro condemnato habeatur in debito petito, & ultra in x. libris actori. Ubi vero ageretur, vigore instrumentorum pro fictis & drictis & sententiis expensarum, tunc compellatur debitor realiter & personaliter ad solvendum, sive ad depositum faciendum; quo facto super exceptionibus, si quæ opponerentur, procedatur, & fiat eo modo & forma, quibus de instrumento publico, & scriptura privata supra dictum est in principio hujus capitis.

De caussis xxxii. libr. & abinde infra. *Cap. CXXXVII.*

IN caussis vero triginta duarum librarum, & abinde infra usque ad decem libr., sive in quantitate sive in specie consistant, sive fuerit publicum instrumentum aut scriptura privata sive non, procedatur, cognoscatur, & terminetur summarie, de plano, sine strepitu & figura judicii, absque libelli vel alicujus scripturæ porrectione seu solemnitate, & absque litis contestatione, quolibet die & tempore, feriato & non feriato, placitis locatis & non locatis, & liceat utrique partium semel tantum appellare a sententia in dictis caussis lata, vel eam nullam dicere infra triduum a die sententiæ latæ; cujus appellationis instantia

X 2 duret,

duret, & durare debeat solummodo XII. diebus juridicis, & non ultra, a die interpositæ appellationis connumerandis: qui terminus prorogari non possit, etiam de partium voluntate, neque per compromissum quod fieret inter partes, nec alio modo seu colore vero, vel ficto. Ita quod elapsis dictis XII. diebus juridicis, instantia ipsius caussæ, & quæstionis amplius non duret, sed expirata sit & expirasse intelligatur; non possit tamen dici nulla aliqua sententia lata in hujusmodi caussis appellationum.

De caussis decem librarum, & abinde infra. Cap. CXXXVIII.

IN caussis autem a x. libr. & abinde infra, sive in quantitate, sive in specie consistant, eodem modo, quo supradictum est, procedatur, cognoscatur, & terminetur, sed absque commissione caussæ; & absque ullo salario, & sententiæ in ipsis caussis latæ non possint dici nullæ, nec ab eis appellari quærelari, vel supplicari, nec ab eis in integrum restitutio postulari, sed executioni mandentur, aliquibus exceptionibus non obstantibus: idem intelligatur in sententiis expensarum x. libr. & abinde infra.

Quod Judex caussæ fieri faciat omnem declarationem quæ sibi videbitur, de capitulis. Cap. CXXXIX.

ITEM, quod Judex coram quo quæstio ventilabitur, teneatur & debeat ex suo officio, vel ad postulationem partis ante litem contestatam & post, fieri facere omnem declarationem per quamcumque partem, prout sibi melius videbitur, de omnibus capitulis, quæ sibi videbuntur declarari debere, ad clariorem evidentiam veritatis & justiorem terminationem causæ, ad hoc etiam, ut dictæ partes melius possint deliberare quid habeant agere; & hæc fiant non obstantibus verbis supradictis, vel similibus *non animo contestandi litem vere vel ficte.*

De Libellis alternativis & conditionalibus. Cap. CXL.

ITEM, quod Libelli alternativi & conditionales; dummodo aliter concludant, de jure procedant, nisi fuerint in effectu contrarii, nec possit contra eos opponi in principio litis, nec in fine, quod actor teneatur eligere.

De

De positionibus. *Cap.* CXLI.

ITEM, quod tam principales personæ, quam quælibet alia persona legitime comparens in judicio possit ponere, & positiones facere, & positionibus respondere, & uterque puniatur eadem pœna, si negaverit, secundum formam Statuti positi sub rubrica *de pęna illius qui in judicio negaverit aliquem esse filium, vel filiam, & cætera*, cap. xxxiii. h. lib. Et si quis in judicio dixerit *non credo* habeatur pro negato, & puniatur pęna Statuti.

De productione instrumentorum lite contestata. *Cap.* CXLII.

ITEM, quod statim lite contestata vel habita pro contestata, actor, sive alia legitima persona pro eo, teneatur infra quinque dies, & peremptorie producere, & in productione singulariter nominare & deponere pœnes officium judicis, coram quo quæstio ventilabitur, omnia instrumenta, quibus uti voluerit, & consentire quod eorum copia detur parti adversæ, & reus vel alia legitima persona pro eo, infra xv. dies, a die dictæ litis contestatæ vel habitæ pro contestata, teneatur similiter producere & nominare omnia instrumenta, quibus uti voluerit, & consentire quod eorum copia detur actori, sive alii personæ pro eo legitime comparenti; quibus terminis elapsis, non possint amplius producere, nec nominare, & si produxerint, & nominaverint, non prosit productio nec nominatio, nisi manifeste appareat consultori, vel consultoribus nullam fraudem seu deceptionem fieri ei, contra quem sit productio, seu nominatio.

De termino xl. dierum, lite contestata, in quo etiam in diebus veneris & sabbathi procedi possit. *Cap.* CXLIII.

ITEM, quod lite contestata, vel habita pro contestata in illis caussis, in quibus debet offerri libellus, secundum formam Statuti prædicti, quod incipit *ad hoc ut omnes lites* cap. cxxxv. h. lib., statim intelligatur locatus esse terminus xl. dierum continuorum utriusque parti ad probandum, & probatum habuisse de juribus suis: ita tamen quod in istis xl. diebus non computentur placita locata. Et actor sive alia legitima persona pro eo, teneatur infra octo proximos dies dicti termini produxisse omnes suos articulos, sive capitula; & reus, sive alia legitima persona pro eo, infra xvi. dies duraturos a tempore litis contestatæ vel habitæ pro contestata, super quibus capitulis, sive articulis probationes inducere seu facere vellent. Et quod actor teneatur esse contentus dicto termino octo dierum, nec possit, etiam ulterius in dicto termino reo assignato producere aliqua capitula sive articulos, & reus elapsis decimo sexto diebus non possit amplius producere capitula

sive

ſive articulos, niſi ex capitulis rei aliquid appareret, ex quo actori neceſſitas probationis incumbetet, & de quo veriſimiliter non poterat actor eſſe proviſus; quo caſu ſolo, & ſuper eo ſolummodo poſſit actor capitula infra triduum producere, quod triduum incipiat a tempore, quo capitula rei eidem actori exhibita fuerint. Et quod in diebus veneris & ſabbathi, infra terminum prædictum, poſſint produci articuli, ſive capitula, & ſuper eis teſtes citari, & jurare, niſi fuerit dies feriata in honorem Dei introducta; & omnes alii actus tam contentioſi, quam voluntarii fieri poſſint, Statuto in contrarium loquente non obſtante.

De publicatione proceſsus, & copia. Cap. CXLIV.

ITEM, quod elapſis xl. diebus in illis caſibus in quibus debet offerri libellus ſecundum formam Statuti, quod incipit *ad hoc ut omnes lites*, cap. cxxxv. h. lib. dictus judex teneatur in continenti publicare proceſſum, quem ſi non publicaverit, nihilominus habeatur pro publicato: & teneantur tabelliones ſcribentes in lite, facta ſibi prius ſolutione, facere copiam totius proceſſus infra quinque dies partibus, cum fuerint requiſiti, ſub pœna x. librarum pro quoque tabellione, & quaque vice.

De termino viginti dierum, publicato proceſſu, ad reprobandum teſtes. Cap. CXLV.

ITEM, quod incontinenti publicato proceſſu, vel habito pro publicato, quælibet partium infra alios xx. dies continuos, in quibus non computentur placita locata, debeat feciſſe omnes ſuas probationes, quas facere voluerit, tam contra teſtes, quam dicta eorum; & quod elapſo termino xx. dierum, neutra partium admittatur ad probationes faciendas per teſtes, & publicetur totus proceſſus; & quamvis publicatus non fuerit, pro publicato habeatur.

De committendis cauſſis. Cap. CXLVI.

ITEM, quod elapſis xx. diebus, de quibus fit mentio in ſupraſcripto proximo Statuto, judex coram quo quæſtio ventilabitur, teneatur incontinenti committere quæſtionem cum de hoc fuerit requiſitus, ſecundum formam Statuti, ſive Statutorum ſub rubrica poſitorum *de habendo conſilio in qualibet quæſtione*, cap. CVII. h. lib.

De ſecundo Conſiliario petito adjungi primo. Cap. CXLVII.

ITEM, quod ſi aliqua partium voluerit primum conſiliarium aſſociari debere, illud debeat dicere infra xx. dies, a die commiſſionis factæ, & de-

& depofuifse falarium focii, alias non poffit petere confultorem affociari, nec etiam confultormet poffit petere fe affociari elapfis dictis xx. diebus, quod Statutum non habeat locum in caufsa appellationis. Et quod ipfe, qui venerit pro focio confultori, non poffit renunciare, ipfo dato pro confidente per utramque partem, vel unam partem tantum, altera parte legitime citata, nifi manifefta caufsa apparuerit.

De confeffionibus partium & depofitionibus teftium inftantia finita; & de interlocutoriis. Cap. CXLVIII.

ITEM, quod finita inftantia, confeffiones partium & depofitiones teftium non expirent. Idem intelligatur, fi pronunciatur inftantiam feu judicium efse nullam vel nullum, fed perinde valeant ac fi inftantia duraret, vel non effet finita. Et quod omnia, & fingula in fuprafcriptis, & in infrafcriptis Statutis comprehenfa, quæ loquuntur in cauffis principalium inftantiarum, habeant locum non folum in cauffis definitivis, fed etiam interlocutoriis, quæ principaliter oriuntur, & non pendent ab aliqua quæftione feu lite pendente; quæ tales interlocutoriæ in omnibus, & per omnia intelligantur principales & definitivæ, aliquibus Statutis in contrarium loquentibus non obftantibus.

Quod etiam ad Banchum maleficiornm prædicta habeant locum. Cap CXLIX.

ITEM, quod omnia fuprafcripta Statuta ferventur etiam, & habeant locum ad banchum judicis maleficiorum fuper illis quæftionibus, quæ appellantur de communi, feu de quafi maleficiis, fcil. de poffeffione turbata, feu fpoliata, damnis datis, baratatione, & malo more.

De tempore locationis placitorum computando, vel non computando in caufsarum inftantiis. Cap. CL.

ITEM, quod ubicunque dictum eft, quod tempus locationis placitorum non computetur in inftantiis caufsarum five in aliis terminis, quod illud intelligatur efse dictum folummodo in illis cauffis, quæ non poffunt examinari, & in eis non poteft procedi tempore locationis placitorum; fi autem talis fit caufsa, in qua poteft procedi tempore locationis placitorum, tunc & eo cafu dicta tempora locationis placitorum in talibus terminis & inftantiis debeant computari.

Quan-

Quantum durat nullitatis & appellationis instantia. Cap. CLI.

ITEM, quod caussæ appellationum, & nullitatum a tempore primæ appellationis interpositæ sive viva voce sive in scriptis, infra lx. dies continuos, finiatur, in quibus diebus non computentur placita locata; & quod instantiæ caussarum & nullitatum, ac etiam caussarum principalium non possint, etiam de partium voluntate, prorogari, nec in integrum restitutio contra lapsam instantiam peti. Et hoc Statutum solummodo habeat locum in caussis, in quibus libellus porrigitur secundum formam Statuti, forte in cap. cxxxv. h. lib.

De allegationibus advocatorum dandis in scriptis consultori, & de caussis exprimendis per consultorem in suo consilio & secundum (quæ jura) ipse consultor debeat judicare. Cap. CLII.

ITEM, quod quilibet advocatus post commissionem quæstionis factæ infra octo dies teneatur producere allegationes in scriptis, quas facere voluerit pro parte sua, coram judice coram quo quæstio ventilabitur, in pœna x. librarum pro quolibet advocato, & qualibet vice. Qui judex ipsis allegationibus receptis, ipsas allegationes ea die vel sequenti, teneatur facere dari consultori, cui dicta quæstio commissa fuerit consulenda. Et quod consiliarii in consiliis suis teneantur dicere & exprimere causas, propter quas consulunt, & etiam expressare certam absolutionem vel condemnationem, pœna & banno xxv. libr. denar. pro quoque, & quaque vice. Et quod dictus consultor teneatur consulere secundum formam Statuti primi hujus libri, videlicet: primo secundum Statuta & consuetudines Civitatis Veronæ, & eis deficientibus, secundum jura Romana, & glossas ordinarias Accursii, per ipsum approbatas; & in quantum sibi adinvicem contradicerent, tunc consulatur secundum illam glossam, quam Dinus approbat: & consultor, qui consilium dederit contra prædicta, teneatur, & obligatus sit parti læsę ad damnum, expensas & interesse, pro quibus conveniri possit coram D. Potestate Veronæ, ejusque Vicario breviter & summatim, sine strepitu & figura judicii. Et Statutus esse intelligatur partibus terminus xv. dierum continuorum a die querelæ, seu qualis petitionis porrectæ contra dictum judicem consultorem probandi, producendi, opponendi, & excipiendi, omnia & singula, quæcunque dictæ partes voluerint; quo elapso processus dictæ causæ habeatur pro publicato; & dictus D. Potestas una cum ejus Vicario & aliis suis judicibus, vel per majorem partem ipsorum, sine aliqua commissione facienda, teneantur & debeant infra alios xx. dies currentes immediate sequentes dictam quæstionem & causam decidere & terminare.

De

De caussis Pauperum. *Cap. CLIII.*

TAMETSI, in judiciis non sit acceptio personarum habenda, pauperes tamen, sicut in aliis, ita in procedendo favorabiliores haberi debent, proinde providere volentes pauperibus personis ne diu per cavillationes in quæstionibus & litigiis teneantur, & expensis intolerabilibus consumentur, Statuimus, quod D. Potestas, ejusque Vicarius, & alii judices & officiales communis Veronæ, quotiescunque fuerit ab eis requisitum sacramenti vinculo teneantur jus summarium facere & reddere personis pauperibus secundum modum & formam inferius declaratam, videlicet; petitione dicti pauperis coram judice, vel officiali proposita per ipsum pauperem, vel ejus Procuratorem, dictus judex vel officialis incontinenti faciat petitionem per aliquem ex suis notariis in scriptis reduci, si data non fuerit in scriptis, & ea sic scripta sive in scriptis data & lecta, reum conventum, sive illum a quo petitur vel ejus legitimum procuratorem dictæ petitioni seu scripturæ respondere compellat ea die vel sequenti, non obstantibus aliquibus exceptionibus dilatoriis, declinatoriis, & per emptoriis, & aliis generis cujuscunque; quæ exceptiones sint salvæ partibus, & proponi ac produci & probari possint & debeant tam per testes, quam per iustrumenta, & alios legitimos probandi modos infra illam dilationem, & terminum tantummodo, qui postea assignabitur partibus ad probandum de jure suo. Et si reus conventus infra dictum terminum dictæ petitioni non responderit, vel etiam si responderit, lite habita pro contestata, per dictum judicem, vel officialem coram quo dicta quæstio ventilabitur, procedatur in causa, & incontinenti per eum locetur terminus xv. dierum & peremptorie partibus ad probandum de jure suo, & producendum quicquid producere, & probare voluerit & intenderit; ita quod nullus alius terminus ad probandum & producendum testes, jura, vel instrumenta dictis partibus possit, nec debeat ulterius assignari. Et quod testes qui producti fuerint pro parte pauperis, recipiantur super ipsa petione vel aliquo capitulo vel capitulis porrectis per eum, secundum quod ipsi pauperi melius placuerit: & idem intelligatur, & serveiur in testibus productis, & producendis per aliam partem. Et quod omnes testes qui producti fuerint per dictas partes recipi, & publicari debeant infra dictum terminum xv. dierum, quo termino elapso judex, vel officialis coram quo prędicta quæstio ventilabitur, teneatur & debeat dictam quæstionem committere uni ex consultoribus de matricula consultorum civitatis Veronæ dato ad confidentes per partes, secundum formam Statutorum communis Veronæ. Et si una dictarum partium requisita non dederit, tunc dictus judex, seu offic: committere teneatur dict. quęstionem uni ex consultoribus, seu

Y consi-

confidentibus alterius partis quæ suos dederit confidentes; ita quod dicta commissio non possit aliquo modo revocari. Et consultor cui commissa fuerit dicta quæstio teneatur & debeat consilium suum in scriptis dare dicto judici, vel officiali, qui eam commiserit, vel successori si fuerit mutatus, infra sex dies, ex quo sibi commissa fuerit; & judex seu officialis qui commiserit dictum consilium, ea die vel sequenti pronunciare debeat, nulla exceptione obstante, nisi tempus emergeret feriatum introductum in honorem Dei, quo tempore dictus judex pronunciare non possit; & quod dictus judex, vel officialis secundum consilium sibi datum teneatur, & debeat in dicta quæstione procedere. Et prædicta tam consultor cui dicta quæstio commissa fuerit, quam judex, vel officialis qui ipsam quæstionem commiserit, observare & attendere teneatur, banno x. libr. denar. pro quoque & quaque vice. Et quod Notarius etiam qui in dicta quæstione scripserit, teneatur & debeat incontinenti sicut dicta quæstio commissa fuerit notificare illius consultoribus, quibus commissa fuerit; quod si non fecerit condemnetur pro quolibet & qualibet vice in x. libr. & in dictis quæstionibus procedi possit quolibet die feriato & non feriato, placitis locatis & non locatis, dummodo non sit tempus feriatum introductum in honorem Dei, quo tempore nullatenus procedatur. Et illæ personæ intelligantur esse pauperes in casu præmisso & quantum ad hoc Statutum, quæ fuerint æstimatæ in æstimo communis Veronæ xv. solidis, & abinde infra: si vero non fuerint æstimatæ in æstimo communis Veronæ, quod tunc judex coram quo quæstio ventilabitur, suo bono arbitrio teneatur & debeat æstimare & declarare prædicta ex aspectu & qualitate conditionis & personæ, & secundum quod suæ æstimationi melius videbitur extimanda, cui estimationi, & declarationi stetur, & stari debeat omni exceptione & revocatione cessante: & quod nihilominus quælibet persona quæ dixerit se pauperem, & voluerit seu petierit propter paupertatem jus summarium sibi reddi debere, teneatur primo & ante omnia jurare se esse pauperem personam, & non posse sustinere expensas per viam ordinariam litigando. Quæ omnia & singula suprascripta locum habeant & observentur non solum pauperibus personis petentibus vel agentibus, sed etiam in conventis; & non solum in caussa principali, sed etiam in causa appellationis, nullitatis, & restitutionis.

HÆC

HÆC SUNT STATUTA DE RUSTICIS REVOCANDIS AD VILLAS.

Quod omnes rustici teneantur cum loco originis, & cum loco habitationis attendere factiones, & onera. Cap. CLIV.

STATUIMUS, & ordinamus, quod quælibet persona Veronensis districtus, quæ recesserit de aliqua villa vel domo campaneæ ejusdem districtus de qua esset originaria, & iverit ad standum, & habitandum in aliqua alia villa, seu loco districtus Veronæ, teneatur & debeat datias, factiones, & onera attendere cum illa villa de qua fuisset originaria pro illis bonis mobilibus & immobilibus quæ haberet vel aliquo tempore acquiret seu acquisivisset in eadem villa originis suæ; & teneatur & debeat etiam attendere eadem onera, datias, & factiones reales & personales cum illa villa seu loco in qua vel in quo iverit ad standum vel habitandum, pro illis bonis quæ ibidem habebit, & acquiret.

ITEM, quod si dicta talis persona recesserit de villa vel loco in quo ivisset ad standum, & reversa fuerit ad standum & habitandum in villa seu loco de quo fuisset originaria, tunc, & eo casu teneatur & debeat attendere onera, datias, & factiones reales & personales solum cum illa villa vel loco in quo reversa fuerit ad standum & habitandum & de quo fuerit originaria, pro ejus persona & omnibus suis bonis mobilibus & immobilibus quæ haberet vel acquireret, & quę habuerit & acquisierit in quacunque villa seu loco, donec ibidem steterit & habitaverit.

ITEM quod si dicta talis persona recesserit de villa vel loco de quo non fuisset originaria, & iverit ad standum & habitandum in alia villa vel loco de quo etiam non fuisset originaria, dicta talis persona teneatur & debeat attendere, & facere onera & factiones reales cum illa villa, vel loco de quo fuerit originaria, pro illis bonis mobilibus & immobilibus quę haberet sive acquisiverit in ipsa villa vel loco originis; ac etiam teneatur, & debeat attendere datias onera & factiones reales & personales cum illa villa vel loco in quo ibit ad standum, & habitandum, vel in quo stabit & habitabit, pro omnibus bonis mobilibus, & immobilibus quę habebit vel acquisierit in quolibet alio loco Veronensis districtus: preter quam pro illis bonis quę haberet in dicto loco originis suę, pro quibus cum dicto loco originis semper attendere teneatur, ut supra dictum est.

ITEM, quod quęlibet persona Veronensis districtus quę recesserit de aliqua villa seu domo campaneę ejusdem districtus, de qua fuerit originaria, & venerit ad standum, & habitandum in civitate & burgis Veronę, teneatur & debeat facere & attendere datias onera, & factiones rea-

reales & personales cum illa villa vel loco de quo recesserit, & de quo etiam fuisset originaria, pro illis bonis mobilibus & immobilibus, quæ habebit, vel acquiret in dicto loco originis, & pro omnibus illis bonis mobilibus vel immobilibus quæ acquiret in civitate Veronæ, & in quolibet alio loco districtus Veronæ; ac etiam teneatur & debeat cum communi Veronæ attendere donec ipsa stabit & habitabit in dicta civitate Veronæ, & burgis.

ITEM, quod quælibet persona Veronensis districtus, quæ recesserit de aliqua villa seu domo campaneæ ejusdem districtus de qua non esset originaria, & veniret ad standum in civitate, & burgis Veronæ, teneatur facere & attendere datias, onera, & factione reales cum illa villa vel loco de quo fuisset originaria, pro illis bonis mobilibus vel immobilibus, quæ ipsa habebit vel acquiret in dicto loco originis; & etiam teneatur attendere datias, onera, & factiones reales & personales cum communi Veronæ, pro omnibus bonis mobilibus vel immobilibus, quæ ipsa habebit vel acquiret in Verona, & burgis, & etiam cum illa villa vel loco de quo recesserit, & venisset ad standum Veronæ, licet ibidem nata non fuisset, pro omnibus illis bonis mobilibus & immobilibus, quæ ipsa habebit vel acquiret in Verona, & burgis, & in quolibet alio loco Veronensis districtus; præterquam pro illis bonis quæ haberet vel acquireret in villa vel loco originis suę, cum quo semper sit obligata attendere, secundum quod supra dictum est.

De illis, qui pro famulis se defendunt. *Cap. CLV.*

ITEM, quod omnes qui se pro famulis defendunt ab oneribus & factionibus villarum, teneantur & debeant pro suo proprio cum ipsis villis omnia onera, & factiones subire & facere, aliquo Statuto in contrarium non obstante.

Quod aliqua immunitas quemquam rusticum juvare non possit ab oneribus & factionibus sustinendis, & de cassatione privilegiorum, & irritatione divisionum villarum. *Cap. CLVI.*

ITEM omnes rustici, qui haberent immunitatem aliquam ab oneribus & factionibus villarum aliqua de caussa, seu cessassent facere onera & factiones cum communi alicujus villæ prætextu alicujus immunitatis sibi datæ & concessæ per commune ipsius villæ, vel per aliquam aliam personam, præterquam per communitatem Veronæ cum auctoritate Domini Potestatis, sive steterint in ipsa villa sive non, seu alibi, a tempore dictæ immunitatis citra, non obstante dicta immunitate sive aliqua transactione vel pacto, teneatur & debeant solvere & facere onera & factiones cum ipsa villa, ipsi & eorum filii, & nepotes sive fue-

fuerint nati in civitate Veronę, sive alibi. Insuper cassamus, irritamus, & nullius valoris ac momenti ex certa scientia esse volumus, & pronunciamus omnes & singulas immunitates & concessiones ac privilegia data seu datas & concessas quocunque modo, seu quacunque forma alicui vel aliquibus de aliqua villa per ipsam villam vel per aliam quamcunque personam, præterquam per communitatem Veronę cum auctoritate. D. Potestatis, excepta immunitate concessa per Statutum communis Veronæ juris consultis oriundis in districtu Veronæ scriptis in matricula advocatorum civitatis Veronę, cap. cxxi. lib. pr. cui Statuto per hoc seu per aliqna quæ superius in dictis Statutis continentur, non derogetur in aliquo: Prohibentes omnino quod nullę immunitates alicui de villa de cętero concedantur ab aliquo, prærerquam per commune Veronæ cum D. Potestate ut supra dictum est; & si concederentur, ipso jure non valeant: & concedentes, & recipientes pro quolibet & qualibet vice in vigintiquinque libr. puniantur. Insuper auctoritate præsentis Statuti ex certa scientia cassamus, & revocamus, cassas, irritas, atque irrita pronunciamus & denunciamus omnia & singula privilegia, omnesque concessiones, gratias, atque immunitates quocumque modo & quacunque forma hinc retro data & concessa, datas & concessas, & de cętero concedendas aliquibus terris, villis, seu contractis districtus Veronæ, seu suburbiorum civitatis de non solvendis, subeundis, vel sustinendis oneribus, datiis & factionibus cum communi Veronæ, seu cum seipsis villis, terris, vel contratis, seu cum illis villis terris, & contratis, cum quibus alias ad sustinendum onera suprascripta copulatæ & conjunctæ fuissent pariter & æqualiter cum aliis. Insuper Statuimus, quod si qua divisio sive patricio alicujus villæ facta sit, ut si de villa sive communi, duæ vel duo factæ vel facta sint, ipsa divisio ultèrius non valeat nec teneat, & ipso jure sit cassa, & ad priorem statum & usum revertantur, non obstantibus aliquibus pactis, privilegiis, concessionibus, vel quibuscunque aliis, quæ prædictis in aliquo obviarent, quæ omnia cassamus & irritamus, nisi aliter procederet vel fieret de Illustris. nostri Dominii voluntate.

Quod rustici, non obstantibus pactis, cum loco suæ habitationis attendere teneantur. Cap. CLVII.

ITEM, quod omnes rustici teneantur & debeant onera rusticana subire cum villis secundum formam suprascripti proximi Statuti, non obstantibus pactis, transactionibus mutuis, vel aliis conventionibus, & obligationibus: salvo quod si aliquis rustieus dedisset, seu mutuasset aliquam pecuniam, seu aliam quamcunque rem communi villæ occasione prædicta, tunc commune ipsius villæ illam sibi restituere teneatur; ad quam restituendam Dominus Potestas, seu officiales communis Veronæ

vin-

vinculo sacramenti teneantur commune villæ infra tres menses a tempore requisitionis præcise compellere, scil. primo mense tertiam partem, secundo aliam tertiam, & ultimo aliam.

De Filiis, & Nepotibus rusticorum etiam natis in Verona, compellendis ad factiones & onera villæ. Cap. CLVIII.

ITEM, quod filii, & nepotes rusticorum ubicunque nati sint, seu steterint, sive in Civitate Veronæ, aut alibi fecerint onera & factiones, sive non, si ipsi, vel eorum patres aut avi a dicto tempore citra fecissent, aut facerent onera & factiones in aliqua villa districtus Veronæ; teneantur & compellantur ad faciendum, & subeundum ibidem onera & factiones tanquam rustici ipsius villæ, sicut eorum patres vel avi faciebant aut faciunt, prout tenentur vigore antedictorum Statutorum.

De Clericis rusticis uxoratis. Cap. CLIX.

ITEM, quod Clerici uxorati, vel aliter facti laici qui sint de villis, teneantur & debeant cum suis villis secundum formam antedictorum Statutorum subire & facere factiones & onera, nulla præscriptione temporis, vel exceptione, aut privilegio obstante.

Quod etiam Clerici pro suo proprio æstimentur. Cap. CLX.

ITEM, quod Clerici civitatis & districtus Veronæ habentes bona patrimonialia, vel aliter extra suas præbendas & Ecclesias temporaliter acquisita in ipsa civitate vel districtu debeant æstimari, & pro ipsis bonis suis propriis subire & facere onera & factiones communis Veronæ.

Quod prætextu conversionis, vel religionis habitus, nemo possit a factionibus & oneribus se excusare. Cap. CLXI.

ITEM, quod nullus qui teneatur facere onera & factiones cum communi alicujus villæ, seu communi Veronæ possit se ab ipsis oneribus & factionibus excusare sub prætextu alicujus conversionis vel habitus religionis nisi intraverit Monasterium, vel Religionem, & ibi publice, & continue habitu ejusdem religionis suscepto, habitaverit. Imo ipsa onera & factiones plene & integre facere teneatur. Et si contrafieret in prædictis, pars dimidia bonorum suorum deveniat in commune Veronæ, & alia dimidia in commune villæ; & sit præcisum: idemque de civibus intelligatur.

De

De Rusticis confugientibus ad fortilicia. Cap. CLXII.

ITEM, si aliquæ personæ propter guerram, vel metum hostilis incursus ex villis suis confugerint in aliquod fortilicium Veronæ districtus cum personis & rebus suis, vel sine rebus, teneantur & debeant pro personis tantum, & non pro rebus facere custodias, & alia onera personalia subire cum illo loco fortilicii & hominibus ejusdem, de quanto ibidem stabunt & habitabunt occasione prædicta; realia vero subire & intendere debeant cum illa villa, vel loco sive locis cum quibus faciebant antequam ita confugerent, ut supra. Et si aliquæ personæ de districtu confugerint ex dicta caussa ad fortilicia jurisdictioni Veronæ non subjecta, nihilominus facere & attendere teneantur quælibet onera & factiones reales & personales illius villæ, vel loci sive locorum cum quibus faciebant antequam ita confugerent, ut supra.

De iis, qui ad aliam villam, stantibus oneribus & factionibus guerræ, suas transferunt habitationes. Cap. CLXIII.

ITEM, quod inceptis, & durantibus aliquibus oneribus unius guerræ, videlicet armatorum, vastatorum, equorum, vel plaustrorum, navarolorum etiam, & similium, quicunque de sua villa & loco recesserint, & ad aliam villam sive locum districtus Veronæ iverint ad habitandum, nihilo minus teneantur & debeant dicta onera per totam illam guerram continue attendere, & solvere cum villa sua sive loco, in qua vel quo reperti fuerint pridem habitare tempore primę impositionis onerum dictæ guerrę, & non cum villa vel loco, in quo post ipsam impositionem ivissent ad habitandum.

Infra quantum tempus finiri debeant dictæ caussæ rusticorum, & quod sententiæ illæ sine remedio firmæ sint. Cap. CLXIV.

ET, si de prędictis, vel aliquod prędictorum quæ in suprascriptis Statutis continentur quęstio orietur, D. Potestas, judices, & alii officiales communis Veronæ teneantur & debeant ipsas quæstiones audire, cognoscere, & terminare infra tres menses continuos summarie, factis positionibus, capitulis & probationibus, sine libelli porrectione, litis contestatione & sine aliqua juris solemnitate. Et quod dictæ quæstiones omnino infra dictum tempus terminentur, nec ultra durare possint nec debeant, nisi instrumentorum vel testium productorum in dicta caussa accusatio de falso facta fuerit. Quo casu judex coram quo dicta quæstio agitabatur, supersedere debeat super dicta quæstione, ipsa remanente in eodem statu in quo erat, & erit tempore quo dicta accusa-

cusatio de falso facta fuerit, donec dicta accusatio falsitatis fuerit terminata: & quod ipsum tempus trium mensium, etiam de voluntate partium, non possit prorogari, nec processus aliter agitari: & quod sententię super prędictis latæ non possint dici nullæ, nec ab eis appellari, nec beneficium restitutionis postulari, nec aliquo alio modo retractari.

De æstimis faciendis in villis, & qua forma fieri debeant, & de datiis imponendis. Cap. CLXV.

QUANDO æstimum novum in aliqua villa, vel loco districtus Veronę fieri debuerit, Statuimus, quod massarius illius villæ, vel loci cum licentia sui vicarii teneatur & debeat congregari facere suam viciniam, & omnes citari ad domum suam; in qua vicinia duæ partes intersint vicinorum masculorum in æstimo villæ scriptorum XVIII. annorum, vel inde superius usque ad LXX: annos ad minus, & inter vicinos dictæ terræ faciant eligi ad brevia seu fabam, sex bonos & legales homines dictæ terræ, scil. duos de minoribus, & duos de mediocribus, & duos de majoribus, qui sex cum electi fuerint modo prædicto, incontinenti si præsentes fuerint, vel die sequenti, coram vicario, vel suo delegato jurare debeant ad sancta Dei Evangelia bona fide, sine fraude facere æstimum novum suæ terræ, & ipsum complere infra x. dies postquam electi fuerint, vel amplius tempus, si viciniæ vel majori parti placuerit; & æstimare omnes personas debentes facere & solvere datias, onera, & factiones cum dicto communi & hominibus, & omnia sua bona mobilia & immobilia, possessiones & jura, exceptis domibus muratis & cupatis, quas inhabitant & tenent ad usum suum, & familiæ suæ. Et non debeant se æstimare, sed postea æstimentur modo prædicto per tres æstimatores tantum, eodem modo electos, infra quinque dies ex quo electi fuerint. Possit tamen unaquæque vicinia, secundum quod magis esset populosa, eligere æstimatores plures numero, utputa tres de minoribus, tres de mediocribus, & tres de majoribus, dummodo in dictis tribus gradibus servetur æqualitas, & facere suum æstimum per tres mudas æstimatorum, abiiciendo postea majorem & minorem quantitatem æstimi, & retinendo mediocrem; sive etiam per quinque mudas æstimatorum, abiiciendo similiter majorem & minorem, & intertiando postea tres mediocres: in quibus quidem casibus idem modus servetur in æstimando postea ęstimatores prædictos, per minorem tamen numerum eo, in quo fuerint priores æstimatores. Quod quidem æstimum taliter factum duret per unum annum proxime venturum: dantes licentiam dictis æstimatoribus eligendis, quod ponere possint ad sacramentum omnes personas quas voluerint dictæ terræ, & cujuslibet alterius districtus Veronæ pro inveniendo bona, possessiones & jura personarum

fol-

solvere debentium cum dicta terra. Cognoscentes, quod si qua persona cessaverit dicere & manifestare dictis æstimatoribus omnia sua bona, ut superius dictum est, omnium, quæ cessaverit manifestare eis, quarta pars devenire debeat in commune villæ, banno xxv. libr. pro qualibet persona contrafaciente; & quod omnes datiæ, quæ de cętero fuerint imponendæ in ipsa villa ponantur & poni debeant pro libra sui æstimi: cęteræ autem factiones & onera operariorum, armatorum, plaustrorum, & aliorum quæ in faciendo consistant, ponantur & poni debeant secundum voluntatem majoris partis ipsius viciniæ.

De rusticis villarum & civibus Veronæ compellendis subire onera cum suis villis & contratis. Cap. CLXVI.

ITEM Statuimus, quod D. Potestas, & omnes judices, & officiales communis Veronæ possint, & debeant omnes, & singulas personas villarum, & locorum districtus Veronæ compellere realiter & personaliter solvere & attendere datias, & onera, & factiones in villis in quibus fuerint æstimatę secundum libram sui æstimi, secuta forma antedictorum Statutorum. Idem intelligatur de civibus civitatis, & burgorum Veronę, ut compellantur solvere datias, & alia onera sustinere cum communi Veronæ, & cum contratis ubi fuerint æstimati, seu scribi se fecerint. Et si aliquis comparuerit & dixerit se nimium in sua æstimatione gravatum, quod primo solvere compellatur, & postea ejus ratio audiatur. Sed si quis dixerit se de jure nihil solvere debere, statim audiatur ejus ratio prius quam solvere compellatur: & idem intelligatur de qualibet collecta, sive datia posita in aliqua contrata civitatis, & burgorum Veronæ.

Quod omnes datiæ in villis & contratis imponendæ, de voluntate viciniæ, & licentia D. Potestatis vel sui delegati imponantur, Cap. CLXVII.

ITEM Statuimus, quod omnes datiæ imponendæ in prædictis villis & contratis, vel per officium fortium, aut dugalium, imponantur de voluntate viciniæ vel majoris partis, seu consortium vel majoris partis, & de licentia D. Potestatis, vel ejus delegati aut vicarii villæ: quod si aliter fieret imponentes pro quolibet puniatur in x. libr. & nullus ipsas datias & factiones solvere compellatur; & quod in scribenda qualibet licentia ponendi datias exprimantur, & declarentur omnes caussæ, & quantitates pro quibus ipsa datia poni debeat, ac etiam nomina exactorum ejusdem, & dies quando dicta datia data fuerit eis ad exigendum; & eodem modo scribatur rubrica rotuli, sive quaterni ipsius datię exigendę. Et quod de datiis imponendis per officium fortium aut dugalium, de voluntate consortium vel majoris partis, & de licentia D. Potestatis

 vel

vel ejus delegati fieri debeant duo libri, quorum unus stet & stare debeat penes officium Provisorum communis, alius vero penes ipsum judicem, ad hoc ut rationes de datiis impositis videri possint.

De scribendis ordinate datiis & factionibus in villis, & contratis.
Cap. CLXVIII.

ITEM Statuimus, quod massarii villarum, & rasonerii contratarum, ac alii officiales villarum, & contratarum teneantur omnes datias, onera, & factiones ordinate scribi facere in libris rationum officii eorum, ut de prædictis possint plene & integre reddere rationem; & qui contrafecerit, puniatur in xxv. libr. & plus & minus, arbitrio D. Potestatis.

Ut datia imposita præcise pro una caussa, in alia caussa non expendatur.
Cap. CLXIX.

ITEM Statuimus, quod si aliqua datia imposita fuerit in aliqua villa seu contrata civitatis, & burgorum Veronæ occasione alicujus caussæ determinatæ, illa datia expendi non possit, seu poni in aliam caussam; & qui contrafecerit puniatur pro quolibet, & qualibet vice in centum sol. Sed nec possit ab aliquo pro aliquo suo credito retineri, sub pœnis contentis in Statuto posito in primo lib. sub rubrica *de pecuniis, & bonis communis Veronæ non retinendis prætextu crediti, vel alia ratione*, cap. CIX.

De ratione reddenda exactionis datiarum, & onerum. Cap. CLXX.

ITEM Statuimus, quod massarii, burserii, & exactores datiarum, onerum, & factionum in villis teneantur eorum officio infra xv. dies in publica vicinia suæ villæ reddere rationem eorum introituum, & expensarum; & si quid dare communi restaverint, illud solvisse debeant infra xv. dies: & qui contrafecerit puniatur in lx. sol. & nihilominus prædicta attendere & facere teneatur. Idem observetur in juratis contratarum, & exactoribus, & burseriis civitatis, & burgorum Veronæ, & aliis officialibus contratarum Veronæ, ad quos de rebus, vel denariis communis, vel suarum contratarum pervenerit; non derogando propterea Statuto posito in primo libro sub rubrica, *de pecuniis & bonis communis Veronæ non retinendis prætextu crediti, vel alia ratione* cap. CIX. Et quod omnes burserii, & exactores datiarum teneantur & debeant datias tempore sui officii impositas infra mensem exigisse, ex quo datæ fuerint ad exigendum. Et quod massarii & syndici, burserii & exactores datiarum de villis teneantur consignare, & dare infra octo dies fini-

finito eorum officio, omnes fcripturas & rationes factas occafione fuorum officiorum mafsario fequenti, ad hoc, ut quoties opus fuerit, poffit haberi copia de prędictis, pœna & banno lx. fol. Idem obfervetur in juratis, rafoneriis, mafsariis, & exactoribus civitatis, & burgorum Veronæ.

De non impediendis civibus confortibus villarum, nec eorum aut uxorum fuarum bonis, pro factionibus villarum non attenditis.
Cap. CLXXI.

ITEM Statuimus, quod cives Veronæ confortes villarum attendentes factiones & onera cum civitate Veronæ, bona quæque & res ipforum civium, nec non uxorum fuarum, etiam quæ efsent in dictis villis, non impediantur nec moleftentur pro datiis, oneribus & factionibus illarum villarum, de quibus fuerint confortes, fi dictæ villæ non attenderent, feu attendere non pofsent communi Veronæ, nifi efsent illius villæ fidejufsores: & quod ipfi cives, feu confortes non compellantur ad fecuritatem faciendam pro communibus ipfarum villarum, feu mafsariis eorum. Et D. Poteftas, judices, & omnes alii officiales communis Veronæ vinculo facramenti teneantur & debeant hoc Statutum præcife & inviolabiliter facere obfervari.

De oneribus per omnes cives indifferenter fuftinendis.
Cap. CLXXII.

ÆQUALITATE onerum nihil melius in tuenda civium tranquillitate, ac pace perpetua. Propterea Statuimus, quod omnes & finguli cives Veronæ, & qui pro civibus fe defendunt, vel volunt tanquam cives fe defendere, vel tamquam cives volunt fe admitti ad aliquos honores, vel officia, vel aliter uti & gaudere cittadinantiæ beneficio, teneantur, & compellantur folvere, & fubire omnia onera, omnefque datias, & factiones cum communi Veronæ, & cum illis contractis in quibus habitant, feu habitaverint, ficut alii de dicto communi & de dicta contrata faciunt & fubeunt, feu fubire tenentur. Cafsamus infuper & cafsa, irrita efse pronunciamus omnia & fingula Statuta & privilegia, conceffiones & immunitates hactenus facta & factas aliquibus perfonis immunitatem aliquam concedentia & concedentes, præter quam immunitates fpecialiter concefsas Medicis, & Magiftris, & dominis Legiftis, & alii fecundum quod in Statuto primi libri pofito fub rubrica *de immunitate conceffa Medicis continentur*, cap. CXVIII. quibus immunitatibus prædictis conceffis non derogetur in aliquo: & de cætero nulli perfonæ concedatur immunitas, neque per Statuta, neque per reformationes, neque per privilegia, nec aliquo quocunque modo: & fi fuerit

impetrata vel concessa, ipso jure non valeat, & præsumatur per fraudem, sive aliter malo modo obtenta, vel potius extorta. Et non possit illa talis persona uti nec gaudere aliquo beneficio civitatis Veronensis, nisi aliter de voluntate Illustriss. nostri Dominii procederetur.

De Civibus habitantibus in villis, quod in contratis civitatis, & in rotulis æstimorum sint scripti. Cap. CLXXIII.

ITEM, quod omnes cives, & qui pro civibus se defendunt ab oneribus rusticanis, & qui habitant in villis, teneantur & debeant se facere scribi & esse scripti in æstimo communis Veronæ, & in contratis civitatis Veronæ & in æstimo ipsarum contratarum, seu rotulis datiarum, in quibus scripti sunt alii homines ipsius contratæ, ubi consueverant habitare, vel in qua contrata sibi placuerit; & habere ibi aliquam personam sufficientem, quæ de datiis & factionibus pro se respondeat & attendat, secundum quod de cætero sibi imponetur. Et qui prædicta non observaverit, puniatur in x. libris, & teneatur solvere omnes datias, & factiones in civitate Veronæ, & etiam in villa in qua repertus fuerit habitare, donec prædicta talis observaverit, secundum quod erit æstimatus.

De Civibus pignerandis in contratis suis, alioquin in villis. Cap. CLXXIV.

ITEM Statuimus, quod omnes cives debeant pignerari in suis contraris in civitate seu burgis Veronæ, si ibi habent domos proprias vel conductas, & facultates; & si non haberent, tunc possint pignerari in villis in quibus reperti fuerint habitare, & tunc massarii villarum teneantur ea pignera manuprehendere & conducere, sicut de aliis.

Qui, & in quibus locis habitantes in civitate Veronæ solvere teneantur factiones, & onera. Cap. CLXXV.

ITEM Statuimus, quod quælibet persona teneatur & debeat onera, & factiones subire cum illis contratis civitatis Veronæ in quibus habitant, sive sint Patresfamilias, sive filiifamilias seorsum habitantes a patribus, sive sint cives, sive rustici, sive forenses exceptis stipendiariis Illustrissimi Dominii nostri non habentibus bona, præter equos & arma, & aliis personis quibus per Statuta communis Veronæ, sive per privilegia Illustrissimi nostri Dominii concessa esset immunitas. Ita tamen quod per hoc Statutum dicti rustici non intelligantur ab oneribus rusticanis absoluti subeundis in villis, in quibus, & cum quibus facere & subire tenentur.

Trans-

Transferentes habitationem de contrata ad contratam teneantur utriusque juratis, seu syndicis denunciare. *Cap. CLXXVI.*

ITEM Statuimus, quod quicunque iverit de contrata ad contratam ad standum denunciare pridem teneantur jurato, sive syndico contratæ de qua exire voluerit, quod vult inde recedere, & ire ad standum in tali contrata; & quod infra octo dies similiter denunciet jurato, & syndico contratæ ad quam iverit ad habitandum, quod venit ad ibi habitandum; & si hoc non fecerit solvat pro banno communi Veronæ xl. sol., & insuper teneatur cum utraque contrata subire factiones & onera; & jurati contratarum teneantur, & habere debeant libros in quibus nomina prædictorum scribi faciant, sub dicto banno.

De custodiis, puteis, fontibus & aliis laboreriis contratarum in ipsis habitantes solvant, exceptis stipendiariis. *Cap. CLXXVII.*

ITEM Statuimus, quod quælibet persona exceptis stipendariis Illustrissimi nostri Dominii non habentibus bona, præter æquos & arma, teneantur & debeant solvere de datia custodum, & puteorum, & fontium in contratis in quibus habitant, & etiam de aliis laboreriis in ipsis contratis faciendis, aliquo Statuto in contrarium loquente non obstante.

Quod pro aliquibus qui recessissent, homines contratarum non graventur. *Cap. CLXXVIII.*

ITEM Statuimus, quod omnes qui de civitate recesserint, & mandata communis Veronæ non attenderint, vel convicti fuerint ire ad standum ad villas a quibus venerant ad habitandum in civitate. contratæ, in quibus habitabant, pro ipsis nullatenus de aliquibus gravaminibus pro communi Veronæ debeant impediri, seu molestari.

De famulis civium, & de ipsorum immunitate. *Cap. CLXXIX.*

ITEM Statuimus, quod nulla persona audeat fraudulenter contrahere cum aliquo rustico alicujus villæ sub specie famuli, vel aliter; & quod D. Potestas, & judex maleficiorum ad postulationem cujuslibet petentis, teneantur omnibus modis inquirere quibus poterunt, contra illos qui dicerentur dictam fraudem commisisse: & si quos invenerint commisisse, condemnent communi Veronæ in xxv. libr. & minus, arbitrio D. Potestatis, & totius curiæ, seu majoris partis. Et quod nullus rusticus possit esse, vel effici famulus alicujus in illa villa in qua possessiones haberet,

beret, sive in qua sit solitus subire onera & factiones; & si contrafieret, nihilominus compellatur solvere & subire onera & factiones cum ipsa villa, & privilegia famulis concessa eis prodesse non debeant; & tam qui talem famulum conduxit, quam ipse famulus condemnari debeat communi Veronæ in x. libr. pro unoquoque: & quod famuli bona fide & non contra Statuta conducti ab omnibus oneribus personalibus excusentur; realia vero pro bonis & possessionibus, quas haberent solvere teneantur. Et quod omnes conducentes famulos infra mensem ex quo eos conduxerint, teneantur eos facere scribi coram D. Potestate, vel ejus delegato, & specialiter jurare quod dictos famulos sub specie alicujus fraudis non conduxerunt, sed quia pro eorum factis ipsis indigent; & aliter famuli ipsi careant immunitate. Et hoc Statutum locum habeat in famulis Dominorum qui faciunt onera, & factiones cum communi Veronæ, & non in aliis. Et prædicta etiam habeant locum in famulis habitantibus cum civibus civitatis Veronæ in ipsa civitate bona fide, scilicet, quod a personalibus oneribus excusentur: realia vero, seu patrimonialia pro bonis, & possessionibus quas haberent, facere & subire teneantur, sive sint conducticii, sive non, in ea videlicet contrata, ubi illa persona moratur cum qua habitant, si nullam habeant familiam; si vero habeant familiam, tunc in ea contrata, ubi stat & habitat familia sua, vel major pars familiæ.

De immunitate rusticorum forensium laboratorum terræ. *Cap. CLXXX.*

ITEM Statuimus, quod quælibet persona forensis de alieno districtu venire possit ad standum, & habitandum in villis districtus Veronæ caussa laborandi, & colendi terras, & possessiones districtus Veronæ, & laborando eas habere debeat immunitatem, & excusationem ab oneribus, seu muneribus rusticanis usque ad quinque annos computatos ab eo tempore quo primum venerit ad nostrum districtum, si se infra duos menses coram D. Potestate præsentaverit, & ejus præsentationis & immunitatis litteras acceperit a Cancellario communis juxta solitum, exceptis datiis custodum, puteorum, fontium, refectionis viarum, & pontium, & onere salis: & excepto quod si haberet ibi aliquas terras, seu possessiones jure proprietatis vel quasi sibi pertinentes, quod pro illis solvere teneantur secundum quod alii sui vicini faciunt; & excepto quod ad exercitus ire teneatur pro vastatore, vel armato. Quibus quidem annis quinque transactis, prædictus qui sic venerit de alieno districtu, teneatur & compellatur solvere, & facere omnes datias, & factiones, & omnia onera sustinere cum illa villa, in qua repertus fuerit habitare, non obstante quod per dictum tempus quinque annorum particulariter habitaverit in pluribus villis districtus Veronæ.

De

De immunitate Forensium ad civitatem venientium, & de Stipendiariis. Cap. CLXXXI.

ITEM Statuimus, quod quilibet forensis bonæ opinionis & famæ, amicus & fidelis nostri Illustrissimi Dominii & communis Veronæ, secure possit venire ad standum & habitandum in civitate Veronæ, seu burgis, & habere debeat excusationem, seu immunitatem ab oneribus, datiis, seu factionibus civitatis Veronæ usque ad quinque annos, a die quo primum venerit connumerandos, si se infra mensem coram D. Potestate præsentaverit, & ejus præsentationis ac immunitatis litteras acceperit a Cancellario communis juxta solitum. Excepto eo, quod solvere teneatur pro terris, & possessionibus eidem pertinentibus jure Dominii vel quasi, directi vel utilis, sicut alii cives faciunt; & quod teneatur solvere de datiis, quæ in contrata ubi habitaverit imponentur, pro custodibus, puteis, & fontibus. Quo quidem tempore transacto, teneatur & compellatur subire facere & solvere omnia onera civilia in contrata, in qua repertus fuerit habitare, sicut sui vicini faciunt; exceptis stipendiariis Illustrissimi nostri Dominii, qui habeant, & habere debeant immunitatem ab oneribus, & factionibus civitatis, præterquam pro bonis, quæ in ipsa civitate aut districtu haberent, præter equos, & arma.

De immunitate habentium duodecim filios. Cap. CLXXXII.

ITEM Statuimus, quod habentes XII. filios stante eo numero habere semper debeant immunitatem ab omnibus & singulis oneribus, & factionibus realibus, & personalibus, sive mixtis in civitate Veronæ, excepta datia suæ contratæ, & puteorum, & fontium.

De immunitate alicui concedenda vel observanda in præjudicium communis Veronæ D. Potestas, aut alii officiales cognoscere non possint. Cap. CLXXXIII.

ITEM Statuimus, quod D. Potestas, seu aliquis judex, vel officialis communis Veronæ non possit, nec debeat terminare, seu cognoscere de aliqua immunitate alicui danda, vel observanda ab aliquo onere seu factione in præjudicium communis Veronæ exceptis personis, quibus immunitas per Statuta communis Veronæ conceditur, vel aliter de mandato Illustriss. nostri Dominii concessa fuisset, & si aliqua sententia lata esset vel ferretur super hujusmodi, ea nudata juribus, ipso jure non valeat.

De

De cecessione facta a cedente bonis. Cap. CLXXXIV.

CESSIONEM sponte factam dationem etiam, vel refutationem, tam in fęudis, quam in aliis rebus sive ab eo qui bonis cesserit, sive a debitore de fraude suspecto, D. Potestas ejusque Vicarius & judices, ac judices consules ad nihilum redigant, & ipsa nihil valeat.

Quod nullus civis possit cedere jura & actiones alicui forensi, & e converso. Cap. CLXXXV.

ITEM, quod nulla persona de civitate Veronæ, vel ejus districtu possit acquirere aliqua jura vel actiones aliquo modo vel ingenio ab aliquo forensi, nec aliqua persona de civitate vel districtu Veronæ possit cedere jura & actiones aliquo modo, vel ingenio alicui forensi. Et si qua cessa reperirentur vel de cætero cederentur ipso jure non valeant nec reneant; exceptis cessionibus factis, seu relictis in restamento, codicillo, donatione caussa mortis, divisione rerum communium, sive alia qualibet ultima volunrate; & exceptis cessionibus jurium & actionum factis & datis insolutum pro dotibus quæ cessiones jurium & actionum firmitatem in agendo & excipiendo debeant obtinere; & exceptis cessionibus jurium & actionum factis occasione rerum obligatarum quas aliquis possidet, quæ quantum ad excipiendum valere debeant & tenere. Salvo etiam quod si plures debitores fuerint obligati in debito alicui forensi, & unus vel plures solverint debitum, runc creditor possit cedere jura & actiones illi vel illis, qui solverint, contra illum vel illos qui non solverint. Et ei contra quem ageretur hypothecaria actione. Et quicunque voluerit agere ex jure sibi cesso, requisitus jurare teneatur ad sancta Dei Evangelia coram judice coram quo voluerit litigare, antequam audientia sibi præbeatur, in præsentia alterius partis vel saltem legitime citatæ, quod dicta cessio est vera & non simulata; & si aliquo tempore reperiretur simulata, quod D. Potestas suo arbitrio debeat ipsum condemnare in l. lib. & ultra & minus, inspecta qualitate & quantitate negotii & conditione personarum, & prædicta cessio simulata ipso jure sit irrita & inanis.

De

De alienationibus rerum immobilium prohibitis fieri alicui forensi.
Cap. CLXXXVI.

ITEM, quod aliqua persona cujusvis conditionis existat, non possit vel debeat vendere, permutare, legare, donare, dotare, aut in testamento vel alia ultima voluntate relinquere, nec etiam usumfructum relinquere, nec locare ultra x. annos, nec ad renovandum, nec in feudum dare, nec aliquo alio modo, qui dici vel excogitari possit, proprietatem vel usumfructum transferre, seu aliquo alio modo, caussa vel titulo alienare, aliquam rem immobilem positam seu sitam in aliqua parte, seu loco civitatis aut districtus Veronæ alicui, qui non sit civis, & habitator civitatis Veronæ, vel ejus districtus, & de jurisdictione communis Veronæ, & cum communi, & hominibus Veronæ non subeat & faciat onera, datias, collectas & alias quaslibet factiones, & non vadat cum hominibus & communi Veronæ prædictis in exercitum, cavalcatas, & alias quaslibet andatas; quicquid autem contra hujus Statuti prohibitionem quocunque modo vel causa fuerit attentatum, sit ipso jure irritum, & inane, res quoque alienata vel relicta, ipso jure intelligatur publicata, & in communi Veronæ deveniat in ipsius communis proprietate ac dominio; insuper quod venditor pretium amittat & veniat in communi. Et notarius qui inde fecerit instrumentum scil. venditionis, legati, donationis, aut testamenti, aut ulterius ultimæ voluntatis, vel alterius de prædictis, condemnetur in dimidia valoris rei, & testes in dimidia ejus quo notarius fuerit condemnatus, pro quolibet & qualibet vice, qua fuerit contrafactum; & de prædictis omnibus & singulis quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni. Et hoc Statutum non habeat locum in rusticis forensibus venientibus cum massaritia & familia ad standum & habitandum in districtu Veronæ pro laborando terras de dicto districtu. Et salvo quod clerici succedere possint conjunctis personis, tam ex testamento quam ab intestato, prædicto Statuto non obstante.

CONSUETUDINES VERONÆ APPROBATÆ, ET IN SCRIPTIS REDACTÆ.

Cap. CLXXXVII.

CONSUETUDO est, quod viatores Veronæ etiam sine licentia judicis, ex suo proprio officio vocent personas ad judicium coram officialibus communis Veronæ ad petitionem singularum personarum, & universitatum tam clericorum quam laicorum, & quod talis eorum citatio seu vocatio valeat & teneat.

2. Consuetudo est, quod ipsi viatores ex debito sui officii teneantur & debeant citare personas ad judicium ad petitionem cujuslibet personæ, & universitatis, & reddere ambasciatam suarum citationum notario officii, quem ille qui citari fecerit, duxerit eligendum, prius soluto & satisfacto ipsi viatori de salario suæ citationis.

3. Consuetudo est quod si vocatus ad judicium non comparuerit ipse, vel legitima persona pro eo in termino ordinato, quod in ipso termino non detur tenuta contra ipsum vel ejus bona, sed demum elapso termino, hora sequenti, similiter si ille, qui vocari fecerit reum ad judicium, ipse, vel legitima persona pro eo non comparuerit in termino ordinato, quod in ipso termino ordinato non detur licentia ipsi reo recedendi, sed demum termino elapso.

4. Consuetudo est, quod viatores communis Veronæ pro capiendo, sive detinendo, & carcerando quempiam habeant cum baroeriis infrascriptas tantum quantitates, videlicet in Palatio communis Veronæ, & in Platea mercati fori, & in Platea dominationis, & in viis circa ipsas Plateas solidos quindecim, & in aliis locis civitatis solidos xxv. extra muros, & in suburbiis civitatis solidos xxx.

5. Consuetudo est, quod in diebus quadragesimalibus per totam quadragesimam, & in diebus juridicis dictæ quadragesimæ jus non reddatur, nisi post nonam.

6. Consuetudo est, quod nec die Veneris, nec die Sabbathi per totum annum jus reddatur.

7. Consuetudo est, quod salaria procuratorum, tutorum, curatorum, actorum, & syndicorum & omnium personarum pro aliis agentium, & defendentium, non possint nec debeant excedere dimidiam partem salariorum advocatorum ordinatorum, sive ordinandorum per Statuta communis Veronæ: sed in ea quantitate sint & esse debeant contenti, & ultra eam taxari non possint.

8. Consuetudo, est, quod æstimatores, & procuratores communis Veronæ, & quilibet eorum possint emancipare tutores, & curatores dare, confitentes & volentes condemnare, & actores ad lites constituere, & omnia alia exercere, quæ ad voluntariam spectant jurisdictionem.

9. Consuetudo est, quod massarii villarum possint agere, & conveniri pro suis communitatibus, & habeantur pro legitimis personis ad agendum, & conveniendum pro ipsis communitatibus tempore suæ massariæ, & quod inceptum fuerit per unum, per alium ejus socium ad effectum possit perduci, & etiam per successores suos in officio dictæ massariæ.

10. Consuetudo est, quod quatuor interrogationes fieri possint super quolibet capitulo, nisi capitulum sit duplex, quo casu possint fieri usque ad octo interrogationes.

11. Consuetudo est, quod pars quæ produxerit testes, & fecerit eos venire de villa ad civitatem, teneatur ei facere expensas victus, donec

sua

sua dicta deposuerint, videlicet quinque solid. pro quoque pastu. Similiter, & si quis de villa in jus fuerint vocatus, & ille qui fecerit eum vocari ad placitum non venerit, vel veniens in primo termino destiterit, ut vocato debeant expensæ præstari, scil. v. sol. denar. dari pro quoque pastu.

12. Consuetudo est, quod ficta & pensiones domorum, & stationum, sive apothecarum ad tempus finitum locatarum in principio cujuslibet medii anni pro dimidia solvantur.

13. Consuetudo est, quod conductores rerum alienarum, & emphyteutæ, livellarii, & feudatarii, & habentes precario, & aliæ similes personæ fieri faciant instrumenta dictorum contractuum suis expensis, & unum instrumentum ipsorum contractuum dent domino dictarum rerum absque aliquo pretio.

14. Consuetudo est, quod conductores prædicti ad in perpetuum teneantur solvere sua ficta, & livella dominis etiam pro tempore guerræ, cujus occasione dictis possessionibus gaudere in nulla patte potuissent.

15. Consuetudo est, quod si per aliquem Prælatum, Capitulum, vel Collegium personarum ecclesiasticarum civitatis, & districtus Veronæ, vel eorum syndicum ad hoc legitime constitutum facta fuerit aliqua locatio ad aliquod tempus renovandum, vel ad longum tempus, licet non ad renovandum, non intercedente sui superioris consensu vel auctoritate, quod locatio perinde valeat & teneat, & robur sortiatur, ac si superioris sui intercessisset auctoritas vel consensus.

16. Consuetudo est, quod si domini, seu laboratores terrarum, vel alii pro eis tempore collectionis frugum ipsarum ter alta voce in ipsis terris vocaverint decimales contratæ, seu loci, ubi sunt dictæ terræ pro decima accipienda, & ipsis non venientibus dimiserint ipsam decimam in ipsis terris, ipso facto non possint ad ipsam decimam solvendam conveniri.

17. Consuetudo est, quod partiarii coloni tempore collectionis fructuum terrarum, quas laborant ad partem, tenere debeant Dominum suum, vel ejus nuncium cum uno equo, supra ipsarum collectionem honorifice secundum qualitatem diei, omnibus suis expensis, donec ipsa collectio fructuum durabit.

18. Consuetudo est, quod si dominus habet, & reservat sibi super sua possessione domum pro sua habitatione tempore frugum, & si habet nemora super ipsa possessione, partiarii coloni de ipsis nemoribus facere, & conducere debeant ligna in curtivum domini, sibi & suæ familiæ necessaria de quanto dominus ibi habitat pro recoltis.

19. Consuetudo est, quod finita locatione, sive aliter quando partiarii coloni, vel laboratores de possessionibus recedunt, omnes paleæ & omnia lætamina facta per bestiamina tam laboratorum, quam domini super ipsa possessione remaneant domino libera. Fœna vero; quæ repertu-

tur facta de pratis domini, debeant in totum ipsi domino remanere, eo solvente dicto laboratori xxx. sol. pro quoque plaustro, pro omnibus expensis occursis pro dicto fœno, vel dante ipsi laboratori tertiam partem dicti fœni, in electione ipsius domini.

20. Consuetudo est, quod in electione sit dominorum possessionum accipere a partiariis colonis, vel laboratoribus suis partem suam bladorum in campis, videlicet in garba, vel accipere illam trituratam in granum, simul cum parte ipsorum laboratorum, in curtivo ipsius domini. Et quod in omnem casum dicta omnia blada tam pro parte laboratorum, quam domini conducantur in garba in curtivum domini, & quod paleę omnes remaneant super ipsa possessione.

21. Consuetudo est, quod nundinæ Sancti Zenonis de mense Maii celebrentur diebus tribus, videlicet in Vigilia, in die ipso, & die sequenti, præter diem Dominicum, & dies Paschales, si forte caderent; & quod in dictis tribus diebus jus non reddatur; & quod in ipsis tribus diebus quælibet persona possit libere & secure ad ipsas nundinas venire, non obstantibus aliquibus suis debitis publicis vel privatis.

22. Consuetudo est, quod per misteria artium fiant tres oblationes cęrę in anno, videlicet in die Sancti Marci, in die Sancti Joannis Baptistę, in die Sancti Zenonis de mense Maii ad ipsas Ecclesias in earum reparationem & ornamenta, & hoc de quantitate cęrę unicuique misterio taxatæ, ut infra, sub pœna lx. sol. pro quoque misterio, ultra taxæ solutionem. Oblatio vero, quæ fit in die Sancti Petri Martyris ad Ecclesiam suam est de cęra in quantitate placita cuilibet arti.

Ars notariorum	lib. 10	Ars brentariorum	lib. 5
ars draperiorum	11	ars radarolorum	8
ars aurificum	8	ars formageriorum	3
ars scapizatorum	8	ars boroceriorum	3
ars spiciariorum	12	ars sellariorum	2
ars usbergeriorum	6	arr barloteriorum	2
ars ferrariorum	6	ars tabernariorum	5
ars mesetorum	5	ars linarolorum	3
ars tinctorum	8	ars macellatorum	5
ars sartorum	5	ars fornaseriorum	5
ars pignolatorum	3	ars marangonorum	4
ars zuperiorum	5	ars murariorum	3
ars pezarolorum	4	ars nautarum	2
ars garzatorum	5	ars piscatorum	3
ars pellipariorum	6	ars molendinariorum	5
ars caliariorum	4	ars coopertorum domorum	2
ars cerdonum	5	ars zavaterierum	2
ars pistorum	3	ars carratorum	2
ars texariorum	4	ars portitorum vini	3

De

De mercede viatoris pro detentione, sive carceratione, ad consuetudinem IV. supra relatam.

Die martis vigesimoseptimo Octobris Mccccclxxii. subtus lodiam Magnifici D. Potestatis Veronę, pręsentibus Sp. militibus d. Lodovico de Nogarolis, & d. Christophoro de Peregrinis, & aliis militibus.

MAGNIFICUS D. Antonius Erixo Veronæ Potestas, ex querela sibi facta per Martinum q. Galeoti Caliarii detentum ex commissione pignerationis realis & personalis pro debito librarum trium dena. ad instantiam Francisci a Medico, & per Silvestrum de Frassalastis ejus fidejussorem, & promissorem de præsentando ipsum ad carceres, aut de solvendo, quod Belinus viator velit pro sua tali detentione absque in carceratione sibi solvi solidos quindecim in Palatio, ubi non in carcerando veniunt sibi solidi solummodo sex, sicut pro pignere, quod dare potuisset, & cętera. Audito dicto Belino, & visa consuetudine scripta, quæ est quarta in consuetudinibus secundi libri, quæ loquitur copulative pro detinendo, & carcerando, & cętera. Declaravit, & mandavit, quod merces dicti viatoris pro dicta sola detentione sit solidorum sex; & hoc ex dicta fidejussione, quæ ęquipollet pigneri, quantum est ad ipsius viatoris solutionem.

Ut masculinum genus comprehendat fęmininum. *Cap.* CLXXXVIII.

QUONIAM sub auctoritate juris civilis perniciose quandoque erratur, Statuimus, quod in omnibus & singulis Statutis communis Veronæ masculinum genus comprehendat etiam fęmininum, si illud, de quo tractatur, communiter se habeat ad utrumque.

Finis Secundi Libri.

STA-

STATUTORUM
MAGNIFICÆ CIVITATIS
VERONÆ.
LIBER TERTIUS.
HÆC SUNT STATUTA OFFICII MALEFICIORUM, ET DE ORDINE PROCEDENDI IN CAUSSIS CRIMINALIBUS.

De officio Judicis Maleficiorum, & de quibus cognoscere possit.
Cap. I.

STATUIMUS, quod judex maleficiorum cognoscere possit de omnibus maleficiis, vel quasi, & aliis prohibitis per Statuta, & ordines communis Veronæ, in quibus aliqua pœna veniret imponenda, & applicanda Fisco, & de omnibus accusis, & denunciationibus, & inquisitionibus maleficiorum; & de omnibus caussis sibi per Illustris. Do. nostrum Venetiarum, sive per D. Potestatem Veronæ commissis, & de omni eo, quod sibi per Vicarium, & consules domus mercatorum Veronæ commissum fuerit; & de omnibus expensis factis, & faciendis occasionibus prædictis: & si de aliis se intromiserit, ipso jure non valeat.

De uno notario ad memoriale maleficiorum eligendo, & de accusis, denunciationibus, & inquisitionibus in memorialibus ponendis. Cap. II.

ITEM Statuimus, quod ultra memoriale, quod habere debet D. Potestas, de quo habetur in primo libro ad capitula XXI. sub rubrica *de uno libro memoriali criminalium tenendo per D. Potestatem*, fiant ad dischium, seu banchum maleficiorum duo memorialia membrana bullata per singulas chartas bulla Sancti Marci expensis cameræ, unum quorum stare debeat penes judicem maleficiorum, aliud vero penes notarium memorialis eligendum, ut infra; super quibus omnes notarii maleficiorum omnes accusas, denunciationes, querelas, inquisitiones eo die incontinenti scribere teneantur, ac eas suo judici notificare; & non possint, nec debeant aliquam personam accusatam, denunciatam, querelatam, vel inquisitam, citare seu citari facere, nisi primo scriptæ reperiantur in memo-

memorialibus prædictis, pœna x. librarum, pro quoque & quaque vice, & plus, & minus, arbitrio D. Potestatis, & totius curiæ, sive majoris partis. Et quod dictus notarius memorialis eligi debeat per D. Potestatem cum curia sua judicum, & judicum consulum communis Veronæ; qui notarius interesse debeat curiæ D. Potestatis quando condemnationes fiunt, & scribere super suo memoriali omnes absolutiones, condemnationes, & cancellationes, quæ fiunt per curiam, concorditer scribendo cum Vicario Potestatis, vel altero ex judicibus suis, qui scribet super memoriali dicti judicis maleficiorum. Et quod ipse notarius memorialis pro ejus salario dimidii anni habere debeat sexaginta libras Veronenses a camera; & non possit officium habere ad banchum maleficiorum, nec aliquam societatem cum aliquo notario habente officium ad banchum maleficiorum, in & sub pœna xxv. libr. pro quoque & quaque vice.

Quomodo acta scribi debeant in quaternis per notarios maleficiorum, & alios. Cap. III.

ITEM Statuimus, quod notarii qui stant ad dischum maleficiorum, & procuratores communis Veronæ, & omnes alii notarii habentes officia publica teneantur omnes & singulas accusas, denunciationes, & inquisitiones, & omnia acta & scripturas, quas fecerint occasione eorum officiorum, scribere in quaternis ordinatis solummodo, & non in rodulis, sive cedulis, apponentes in principio cujuslibet quaterni millesimum, nomen officialis, & tabellionis scribentis cum suo signo consueto, sub pœna in singulis prędictis pro quoque & quaque vice lx. sol.

De solutionibus notariorum ad malesicia pro scripturis. Cap. IV.

ITEM Statuimus, quod notarii ad banchum maleficiorum deputati non possint, nec debeant accipere, nec habere ultra quam infrascriptas solutiones, pro suis scripturis, videlicet, primo de manifestatione, accusa, defensione, denunciatione, & inquisitione, pro qualibet duos sol. Item de instrumento alicujus commissionis duos sol., de authenticatis, alios duos sol. Item de confessione, termino, & securitate, pro qualibet duos sol. De aliis vero actis stetur Statuto *de solutionibus scripturarum civilium*, posito in secundo lib. cap. xvi. & ultra non possint, nec debeant accipere, nec petere: & qui contrafecerit puniatur, pro quolibet & qualibet vice in centum sol. Et de hoc credatur uni testi bonæ famæ, & teneatur in credentia. Et quod D. Potestas, & judex maleficiorum prædicta, & quodlibet prędictorum faciant observari, si fuerint requisiti. Et quod eamdem solutionem accipiant omnes tabelliones pro similibus scripturis faciendis, & non ultra, banno prędicto.

Ubi,

Ubi, & apud quos accusationes de præcepto contempto, & de dispigneratione, & pignere vetito fieri debeant, & qualiter in eis sit procedendum. Cap. V.

CUM secundum legem unicuique magistratui liceat suam tueri jurisdictionem pœnali judicio, Statuimus, quod judices communis Veronæ, Vicarius, sive delegatus D. Potestatis, judices consules, & consules, & judices procuratorum, & dugalium, & fortium possint procedere, & cognoscere de accusis factis coram eis occasione suorum officiorum, de pignoribus vetitis, dispignerationibus, de præceptis contemptis, & pigneribus non conductis, & de dictis processibus condemnationes facere, ad quas tamen formandas consules laici requirere debeant consilium alicujus ex judicibus consulibus; non derogando per hoc Statutis positis in secundo libro *de pignere vetito, & de dispigneratione* cap. LIII. & LIV. *& pignere non conducto* cap. LIX. Et quod quilibet prædictorum singulum librum memorialem habeat penes se expensis suorum notariorum, in quo ipsi tabelliones eo die incontinenti, quo factæ fuerint, seu receptę, accusationes prędictæ scribantur, ad quas scribendas infra terminum prędictum prędicti tabelliones teneantur, pœna centum sol. pro quoque & quaque vice.

De rixis, & ferutis denunciandis per massarios villarum & juratos contratarum. Cap. VI.

JURATI contratarum, & massarii villarum Veronæ teneantur, & debeant denunciare Potestati, vel judici maleficiorum homicidia, rixas, mesclantias, & ferutas ex quibus sanguis exiverit, factas, & facta in eorum contratis, seu villis, & earum pertinentiis eo die, vel sequenti, quo commissa seu commissæ fuerint, si fuerint in civitate, vel burgis; in villis autem infra tertiam diem, pœna & banno centum sol. parvorum. Et quod ipsi jurati, & homines de ipsa contrata teneantur & debeant persequi malefactores, qui prędictas rixas, mesclantias, vel ferutas, & homicidia fecerint, & eos capere, & conducere in fortiam D. Potestatis, vel communis Veronæ; quod si non fecerint, tunc omnes ipsius contratæ, exceptis viduis, orphanis, pupillis, & aliis miserabilibus, & inutilibus personis, condemnentur, & puniantur pro qualibet rixa, męsclantia, seu feruta, unde sanguis exiverit in XXV. libr. & minus, arbitrio D. Potestatis, & totius curiæ, vel majoris partis, secundum qualitatem rixæ, & contratæ: pro homicidio vero in L. libr. & non ultra, sed minus arbitrio D. Potestatis & curiæ prędictæ, secundum qualitatem maleficii, & contratæ. Et quod jurati, & homines contratæ illius, in qua commissum fuerit maleficium, & cujuslibet alterius

terius contratæ per quam aufugeret malefactor, teneantur, & debeant elevare rumorem contra malefactorem, si ipse malefactor persecutus fuerit ab aliquo clamante post malefactorem, pœna arbitrio D. Potestatis & curiæ, inspecta qualitate delicti. Et quod massarii, seu rectores, & homines villarum, & locorum districtus Veronæ sub eisdem pœnis teneantur, & debeant malefactores capere, & in fortiam communis Veronæ conducere: & hoc locum habeat si maleficium fuerit factum in villis, vel infra sexaginta perticas, seu unam tornaturam juxta villam: & quod si homines contratæ, vel villarum seu locorum condemnati conduxerint & dederint hujusmodi malefactores in fortiam communis Veronæ ante condemnationem vel infra xv. dies post condemnationem, non teneantur ad dictas condemnationes solvendas, sed ab ipsis condemnationibus absolvantur & absoluti sint. Et si aliqua ex prædictis rixis, seu mesclantiis, seu ferutis facta fuerit in taberna, vel prope tabernam aliquam, sive in locis ubi venduntur carnes, quod tabernarii, & quod omnes, qui ibi erunt caussa bibendi, & beccharii teneantur, & debeant persequi malefactores, & eos capere, & in fortiam communis Veronæ conducere: quod si non fecerint teneantur pro suo æstimo solvere de dicta condemnatione cum illis contratis, sive villis, in quibus commissum esset maleficium. Et quod hominibus prædictis de contratis, sive de villis condemnatis occasione prędicta, solutione facta per ipsos, judex maleficiorum teneatur & debeat regressum dare prædictis, seu cuilibet prædictorum pro ea quantitate, quam solvissent occasione condemnationis, & expensarum inde factarum, contra prędictos malefactores realiter & personaliter, & consilium & juvamen ad ipsos capiendum, si inde fuerit requisitus. Item quod, si quæ mesclantiæ seu ferutæ de prædictis fierent in postribulis publicis, vel ante postribula, vel per xv. perticas prope illa, quod illi de illis contratis non teneantur, & quod nulla contrata, neque villa, neque universitas aliqua possit condemnari, nisi primo jurati, & massarii earum fuerint ad suam defensionem faciendam requisiti.

De vulneratis denunciandis per Medicos chirurgiæ. Cap. VII.

MEDICI chirurgiæ teneantur & debeant omnes personas denunciare quas ipsi medicarent occasione vulnerum, infra duos vel tres dies, postquam inceperint medicare, in & sub pœna xxv. lib. pro quoque, & quaque vice; & de hoc quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni, & teneatur in credentia; & tunc dicti medici declarare teneantur, an vulneratus sit in periculo, & si quis datus fuerit in periculo, tunc judex maleficiorum cum de hoc fuerit requisitus, teneatur, & debeat habere consilium unius medici vel plurium, & ipsum, vel ipsos vinculo sacramenti constringere, ut debeant dicere utrum ille sit in periculo

fine aliqua condictione: de quo consilio, si percussus erit in civitate & burgis Veronæ non possit accipi ultra unum ducatum pro quoque medico, sub pœna prędicta; & si percussus erit extra civitatem, vel burgos Veronæ, solvatur dicto medico, vel medicis pro suo labore & consilio, arbitrio judicantis.

Quomodo citari debeant accusati, denunciati, vel inquisiti. Cap. VIII.

ITEM Statuimus, quod notarii maleficiorum ad expensas accusantis seu denunciantis mittant viatores ad citandum accusatos vel denunciatos, & testes, quos accusatores seu denunciatores producere volunt; & quod aliqua persona accusata seu denunciata, vel inquisita non possit, nec debeat extrahi de treuga communis Veronæ nisi primo citetur personaliter, si reperiri potest in Verona, vel districtu, vel ad domum ubi habitare consueverit, vel si nescitur ubi soleat habitare, publice super Capitello citetur, & proclametur si fuerit de civitate, seu burgis, & si fuerit de villa, publice citetur in platea ipsius villæ vel loco publico ipsius villæ, si ibi Platea non fuerit: & saltem bis, per duos diversos viatores, spacio trium dierum interjecto inter primam, & secundam citationem; & aliter contra aliquem tamquam contra contumacem procedi non potest.

Ut contumaces pro maleficio requisiti & banniti pro confessis habeantur, ratione suæ contumaciæ. Cap. IX.

NE inobedientes gaudeant de sua contumacia, sed de sua temeritate cum digna pœna afficiantur. Ordinamus, quod quicumque fuerit requisitus, seu citatus pro maleficio, seu occasione alicujus maleficii, & infra terminum assignatum non comparuerit, immo passus fuerit se extrahi de treuga communis Veronæ cum certo banno, in quod occurrerit propter suam inobedientiam de dicto maleficio, pro quo fuerit requisitus & bannitus, ut idem ratione suæ contumaciæ habeatur pro confesso; & tanquam contra pręsentem confessum possit & debeat fieri sententia contra ipsum, nisi ante sententiam venerit paratus mandatis D. Potestatis, & communis Veronæ, quo casu ejus ratio audiatur, & ejus defensiones libere admittantur: & hoc Statutum locum habeat in criminalibus, in quibus non esset pœna sanguinis, vel personæ.

Quod

Quod accusatores vel denuntiatores, accusati vel denunciati non veniant cum pluribus tribus personis in Palatio communis Veronæ.
Cap. X.

ITEM Statuimus, quod quicumque accusare vel denunciare voluerit, ipsi accusatores sive denunciatores, & accusati sive denunciati, vel inquisiti de maleficiis non debeant nullo modo in Palatium communis Veronæ venire pro prędictis accusis seu denunciationibus, vel inquisitionibus, nec earum occasione cum pluribus tribus personis, nisi cum fuerit occasione securitatum, quas facere deberent, sub pœna libr. decem pro quoque & quaque vice.

Quod accusantibus & accusatis licitum sit eligere quem tabellionem voluerint ad scribendum pro se, & quod consules mittantur per sortem. Cap. XI.

ITEM Statuimus, quod quicumque voluerit aliquam accusationem, seu denunciationem, vel querelam facere, possit eligere quem tabellionem voluerit de stantibus ad dischum maleficiorum, & similiter ille, qui fuerit accusatus, denunciatus, querelatus, vel inquisitus possit eligere notarium, quem voluerit de prædictis ad recipiendum suam defensionem & probationes, quas facere voluerit, exceptis propinquis attinentibus dicti accusatoris, seu accusati, vel inquisiti usque ad quartum gradum, secundum jus canonicum computando. Idem observetur in caussis de quasi maleficiis: & quod si duo notarii ducti fuerint, videlicet unus ex parte accusantis, & alius ex parte accusati, quod dicti tabelliones simul procedere debeant in actis, scripturis, & probationibus recipiendis concorditer scribendo. In consulibus autem mittendis pro inquisitionibus faciendis pro maleficiis, D. Potestas seu judex maleficiorum mittat unum ex dictis consulibus eligendum per sortem.

Quod notarius legat, & vulgarizet accusationem, seu denunciationem accusanti & accusato, denuncianti & denunciato, & inquisitionem inquisito. Cap. XII.

ITEM Statuimus, quod recepta accusatione vel denunciatione, seu inquisitione formata, notarius, qui eam recepit, teneatur incontinenti legere & vulgarizare dictam accusationem seu denunciationem, sive inquisitionem dicto accusatori seu denunciatori; & similiter legere & vulgarizare accusato seu denunciato, vel inquisito defensionem, quam fecerit. Idem observetur de dicto cujuslibet testis in suis dictis.

Quod locum accusator seu denunciator debeat declarare, & testes nominare, & de exemplo dando accusæ vel denunciæ, & defensione recipienda. *Cap.* XIII.

ITEM Statuimus, quod si aliquis facere voluerit aliquam accusationem seu denunciationem de aliqua injuria seu offensione sibi facta, quod incontinenti in dicta accusatione seu denunciatione, accusator ipse seu denunciator dicere & declarare teneatur locum ubi facta fuerit dicta injuria vel offensio, & nominare testes, quos sciverit vel scire potuerit tunc fuisse præsentes, per quos suam intentionem vult probare. Et accusati, seu denunciati, cum venerint incontinenti teneantur suas facere securitates, vel in carceres detrudantur, si ipsas non fecerint, & incontinenti notarius accusam pro exemplo dare teneatur, recepto prius dicto accusati seu denuncianti; & postea debeant suas facere defensiones in scriptis si voluerint. Et quod D. Potestas & judex maleficiorum possint fidantiam, seu salvum conductum concedere condemnato, seu bannito pecunialiter absque clausula *de si quo veniendi ad se defendendum, & testificandum coram ipso judice maleficiorum in caussis ad suum banchum vertentibus*: & quod nulla accusatio seu denunciatio ab aliqua persona recipiatur de aliquibus rixis, mesclantiis, seu ferutis, nisi a persona injuriata, vel a patre ejus, matre, avo, filiis, fratribus, & marito, vel ab illis, quorum singulariter interest, excepto de homicidio, & rapina, seu præda, & aliis criminibus, & in quibus quilibet ad accusandum de jure communi admittitur. Et quod D. Potestas & judex maleficiorum inquirere possint de maleficiis infrascriptis, videlicet, homicidii, & proditionis, sine datione capitulorum & sine aliqua juris solemnitate, aliquibus denunciationibus sibi factis non obstantibus: salvo quod, si de rixis sine sanguine, de quibus pena vigintiquinque librarum, vel minor imponitur per Statuta communis Veronæ, infra decem dies a tempore citationis compositio intervenerit; tunc enim in prædictis non procedatur ulterius: Et hoc Statutum non vendicet sibi locum in accusationibus, seu denunciationibus, seu defensionibus, quæ occasione possessionum fiunt, in quibus facta securitate dentur accusæ pro exemplo.

De exemplo dando accusationum, vel denunciationum. *Cap.* XIV.

ITEM Statuimus, quod judex maleficiorum, receptis securitatibus ab accusatis seu denunciatis, sive inquisitis, vel ipsis facere non volentibus suas securitates in carcerem positis, teneatur & debeat ipsis accusatis vel denunciatis, sive inquisitis dare exemplum dictarum accusationum, sive inquisitionum, si eas petierint, banno lx. sol., dicto suo super accusationibus, denunciationibus, vel inquisitionibus prius recepto.

Qui

Qui accusati, & qui testes non debent carcerari. Cap. XV.

ITEM Statuimus, quod si aliquis fuerit accusatus seu denunciatus, vel inquisitio facta fuerit contra eum de tali crimine, quo probato non ingereretur pœna sanguinis, seu alias non deberet corporaliter condemnari, & paratus sit idonee satisdare, non ponatur, nec poni possit in carcere communis Veronæ; & si aliquis judex, vel officialis contrafecerit, puniatur pro qualibet vice in xxv. libr. Et quod testes, qui vocati fuerint ad testimonium faciendum non ponantur in carcere, nec in Palatio communis Veronæ detineantur, excepto pro criminibus proditionis, robariæ, falsitatis instrumentorum & testium, & aliis criminibus, in quibus per Statuta est pœna sanguinis constituta; quibus casibus possint detineri, si facto interfuisse dicantur, & vacillent in dicto suo, & non aliter.

De securitate non percipienda, nisi prius caussa fuerit declarata, & quod securitas solum in caussa declarata valeat.
Cap. XVI.

ITEM Statuimus, quod D. Potestas, & judices consules, & alii officiales communis Veronæ non debeant aliquam personam de Verona, & ejus districtu cogere ad securitatem aliquam faciendam, nisi prius caussam, vel caussas specialem, vel speciales propter quam præcipiat, & velit securitatem debere fieri declaraverit, & expresserit illi, cui præcepit, vel præcipere intendit securitatem faciendam; & si aliter fieret, ipsa securitas ipso jure non valeat. Et si quis, vel si qua persona fecerit aliquam securitatem propter aliquam caussam, vel caussas, quod ipse & ii, qui pro dicta securitate se obligaverint, teneantur tantum pro illa caussa, vel caussis pro qua, vel quibus securitas ipsa fuerit præcepta, etiam si in securitate generalia verba fuerint apposita, vel comprehensa. Item quod D. Potestas, judex maleficiorum, & alii officiales communis Veronæ, & eorum notarii quando recipiunt aliquam securitatem, teneantur & debeant dicere & declarare fidejussoribus, qui promiserint illi securitati, & cuilibet eorum, de quo sit illa securitas, si est de attendendo præcepta, seu de præsentando, vel de solvendo, sive de aliquo alio. Et quod ipsi notarii, debeant ipsam securitatem in principio ejusdem ita rubricare, pœna arbitrio D. Potestatis: aliter autem ipsi fidejussores in nihilo teneantur.

Quod

Quod nullus sit obligatus, nec se obligare possit apud commune Veronæ ultra infrascriptas quantitates.
Cap. XVII.

ITEM Statuimus, quod notarii maleficiorum pro securitatibus, quæ fiunt coram judice maleficiorum teneantur & debeant omnes personas recipere volentes facere securitatem pro infrascriptis quantitatibus, videlicet, quod qualibet persona, quæ sit in æstimo xx. sol. debeat recipi pro fidejussore pro x. libr., & qualibet persona, quæ sit in æstimo ultra xx. sol. usque ad xxx. sol. inclusive, debeat recipi pro fidejussore pro xxv. lib., & qualibet persona, quæ sit in æstimo xxx. sol. usque ad xl. exclusive, debeat recipi pro fidejussore pro centum lib.; qui vero fuerit æstimatus xl. sol., & abinde supra, debeat recipi pro qualibet libra, & in ratione libræ æstimi sui in centum lib. in securitatem, & ultra dictas quantitates recipi non possint; quæ securitates debeant recipi de præsentando, vel solvendo: & qui præsentaverit a dicta securitate liberatus sit.

Quod Principales & eorum bona, antequam fidejussores, compellantur.
Cap. XVIII.

ITEM Statuimus, quod si aliquis fuerit fidejussor alicujus apud commune Veronæ, quod D. Potestas, & judices communis Veronæ teneantur primo constringere, & constringi facere principalem in persona, vel in rebus mobilibus, & si habuerint principalem in persona, fidejussor ipso jure non teneatur: & si in persona vel rebus mobilibus non reperiretur, postea fidejussores ejus pro rata tantum debeant conveniri, si ad solvendum sint sufficientes, alioquin sufficientes tantum pro rata teneantur.

Quod testes in defensione nominati veniant ad deponendum antequam accusatus, vel denunciatus recedat de Palatio. *Cap.* XIX.

ITEM Statuimus, quod accusati, seu denunciati de maleficiis homicidii, furti, robariæ, incendii, adulterii, incestus, stupri, falsitatis instrumentorum & testium, percussionum & vulnerationum ex quibus sanguis exierit, si in sua dixerint defensione se alibi fuisse, quam in loco ubi facta fuerit offensio sive injuria, & aliquos nominaverint per quos velint suam probare defensionem, quod ipsi accusati, vel denunciati non se debeant de Palatio communis Veronæ removere aliquo modo vel ingenio, quousque venerint testes, per quos probare voluerint suam defensionem, & ipsorum testium dicta fuerint plenarie recepta.

Quod

Quod examinationi testium D. Potestas debeat interesse.
Cap. XX.

ITEM Statuimus, quod examinationi testium faciendæ super criminalibus homicidii, furti, robariæ, incendii, adulterii, incestus, stupri, falsitatis instrumentorum & testium, & aliorum excessum, ex quibus aliis excessibus vitam aut membrum quis perdere deberet, D. Potestas debeat esse præsens simul cum judice maleficiorum. Et si occurret quod ipse judex equitaret extra civitatem pro homicidio in districtu commisso, post acceptas ibi testificationes admonere debeat dictos testes, quod infra tertiam diem Veronam veniant, ubi coram D. Potestate dictæ testificationes legi debeant, & ipsi testes etiam ab ipso D. Potestate examinentur, sive repetantur, delato sibi iterum per D. Potestatem sacramento, quod ita fuerit & sit rei veritas.

HÆC SUNT STATUTA DE POENIS.

Qui preceptum contempserit, quomodo puniatur. *Cap.* XXI.

ITEM Statuimus, quod si aliqua persona contempserit aliquod præceptum sibi legitime factum per aliquem officialem communis Veronæ jurisdictionem contentiosam habentem, vel per aliquem viatorem communis Veronæ ex parte alicujus ipsorum officialium & legitime, ad petitionem alicujus singularis personæ, collegii, sive universitatis, vel etiam motu proprio ipsius officialis, puniatur masculus in lx. sol., fœmina vero in xl. sol. & minus, arbitrio D. Potestatis & totius curiæ, vel majoris partis. Et quod occasione præcepti contempti non possit aliqua persona condemnari ultra quantitatem principaliter in præcepto contentam.

Si debitor ad commissionem tertiam vetuerit, sit condemnatus, & in duplo qui dispignoraverit. *Cap.* XXII.

ITEM, si debitor ad tertiam commissionem, tam pignorationis quam sequestri vetuerit pignus, declarato proinde, quod notarii debeant suas commissiones signare primam, secundam, & tertiam; Statuimus, quod tunc per solam viatoris relationem condemnetur, & pro condemnato habeatur ipso jure, & ipso facto, alia non expectata accusa, denuncia, vel sententia, scilicet, masculus in libr. quinque, & fœmina in lib. tribus; quæ tamen pœna in termino tantum decem dierum remitti possit

sit per creditorem, cum quo debitor in concordio fuerit, & ulterius in dicto casu non exigatur. Et si aliqua persona publica, vel privata dispignoraverit postquam viator pignus habuerit, & sibi contra ejus voluntatem fuerit acceptum, habeatur pro condemnata in duplo. *Conferatur hoc capitulum cum cap.* lxxi. *lib. secundi.*

Qui iverit in sero sine lumine post tertium sonum campanæ, quomodo puniatur. *Cap.* XXIII. *a*

ITEM Statuimus, quod nulla persona debeat ire per civitatem, & burgos Veronæ sine lumine post tertium sonum campanæ, quæ de sero pulsatur, nec extra domum stare. Et qui contrafecerit puniatur pro qualibet vice in xl. sol. Et quod quilibet tenere debeat ostia clausa de nocte post tertium sonum campanæ, pœna quinque solidorum.

De custodibus nocturnis, & quid facere habeant. Cap. XXIV.

ITEM Statuimus, quod milites D: D: Rectorum facere debeant bona fide & diligentia custodias noctis per omnes contractas in corpore civitatis, & similiter caput barisellorum cum suis barisellis in burgo sancti Zenonis, & aliud caput ultra Athesim, ne furta fiant, vel alia damna dentur, neve rixæ aut maleficia fiant. Qui custodes retinere debeant quoscunque invenerint post tertium sonum campanæ, quæ de sero sonatur, ire aut stare extra domum sine lumine, & etiam cum lumine, si habuerint arma, & non relaxare eos sine securitate de presentando se de mane sequenti coram D. Capitaneo Veronæ, qui tales multare possit secundum ordinem & Statuta, exceptis iis, quos invenirent facere rixas, seu mesclantias, aut aliquod maleficium, quos tales servare sub bona custodia debeant usque mane, & tunc præsentare illos D. Potestati, vel conducere ad carceres communis Veronæ, prout sibi videbitur, per ipsum D. Potestatem cum curia puniendos, & si fuerit homicidium, vel aliud grave delictum, illud incontinenti eadem nocte Dom. Potestati denunciare teneantur, sub pœna arbitrio ipsius Domini Potestatis.

Qui transierit schajonatas, sive fossata burgorum, vel muros civitatis, quomodo puniatur. Cap. XXV.

ITEM Statuimus, quod nulla persona debeat transire fossas, schajonatas, vel muros de die, vel de nocte, nisi per pontes, & portas earum, & qui contrafecerit in die solvat pro banno x. libras, in nocte vero xxv. libras, & plus & minus, arbitrio D: D: Rectorum Veronæ. Et eadem pœna puniatur quælibet persona, quæ inventa fuerit auferre all-

aliquod lignum nel clavum de dictis schajonatis; & nihilominus emendet damnum: & de prædictis omnibus quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni.

Qui ligna furantur, quomodo puniantur. Cap. XXVI.

ITEM Statuimus, quod quicumque inventus fuerit furari ligna a domibus, vel ab igne in ripis, seu locis ubi venduntur, vel alibi, in x. lib. pro unaquaque vice, & plus & minus, arbitrio D. Potestatis, & in restitutione damni multari debeat, inspecta qualitate facti, & personarum.

Qui verba injuriosa dixerit, quomodo puniatur. Cap. XXVII.

ITEM Statuimus, quod quicumque injuriosa verba dixerit alicui, puniri debeat ad atbitrium D. Potestatis, & totius curiæ, vel majoris partis, inspecta qualitate verborum, conditione personarnm, & loco, sive præsentia.

Qui Deum, vel Beatam Virginem, vel suos Sanctos blasphemaverit, quomodo puniatur. Cap. XXVIII.

ITEM Statuimus, quod aliqua persona non debeat blasfemare DEUM, vel Dominum nostrum JESUM CHRISTUM, nec aliqua turpia verba de eo dicere, vel dicere, *malum gratum habeat Deus*, *nec Deus possit facere*, nec alia similia dicere; nec similiter blasfemare ejus Matrem Virginem MARIAM, nec Sanctos & Sanctas Dei, nec prædicta aut aliqua alia turpia verba de ea vel eis dicere. Et qui contrafecerit puniatur de Deo L. lib., de Virgine Maria in xxv. libr., de Sanctis xv. libr., & minus xv. arbitrio D. Potestatis, & totius curiæ, vel majoris partis, inspecta qualitate personarum & facti. Et dictarum pœnarum dimidia sit accusatoris, qui etiam teneatur in credentia, & alia dimidia cameræ; & credatur uni testi bonæ famæ cum sacramento, qui non sit viator, nec baroerius, nec socius. Et si delinquens non haberet unde solveret, si fuerit in hyeme, ter suffocetur in lavello Capitelli super Platea, & si fuerit de aliquo alio tempore, fustrigetur ter circumcirca ipsum Capitellum.

Qui insultum fecerit contra aliquem, quomodo puniatur.
Cap. XXIX.

ITEM Statuimus, quod si quis de die vel de nocte, solus vel associatus cum aliis insultum fecerit cum armis, vel sine armis contra aliquem ad ejus domum, vel alibi, puniatur arbitrio D. Potestatis & totius curiæ, vel majoris partis, inspecta qualitate, facti personarum, & loci.

Qui alapam alicui dederit, in quanto puniatur. Cap. XXX.

ITEM Statuimus, quod si quis dederit alapam alicui, puniatur in xxv. lib. & plus & minus, arbitrio D. Potestatis & totius curiæ, vel majoris partis, inspecta qualitate facti, personarum, & loci.

Qui ferunt arma, qualiter puniantur de die, & de nocte.
Cap. XXXI.

ITEM Statuimus, quod nullus portet arma ad offensionem in die per civitatem, & burgos, vel villas seu castra. Et qui contrafecerit, puniatur pro cultello a punta trivellata, in quinque libr., pro cultello a vagina longa plus una spana habente puntam communem, in viginti sol., pro daga, in quinque libr., pro ense, lancea, vel lanzono, vel lanzeta, vel giaverina, vel dardo, vel spontono, vel falzono, vel rangono, vel aza, vel plambata, vel aliis similibus armis, in x. lib. pro quolibet dictorum armorum, & qualibet vice; & quod dictæ pęnæ duplicentur in nocte, vel si portentur absconse: in villis autem, qui contrafecerit puniatur solummodo in medietate dictarum pœnarum. Si vero aliquis portaverit dicta arma, vel aliqua de prædictis in Palatio communis Veronæ, in Platea mercati fori, aut D: D: Rectorum, vel in Palatio D. Potestatis, vel D. Capitanei, vel in domo nova, ubi habitat D. Vicarius, & judices D. Potestatis, puniatur pro quolibet, & qualibet vice in duplum, & in amissione armorum; exceptis militibus equestris ordinis, & civibus habentibus publica officia cum famulis suis. Et quod qualibet persona, in domo cujus aliquis forensis fuerit hospitatus, eidem teneatur in continenti denunciare, quod arma interdicta deponat; quod si non fecerit, puniatur in lx. sol. Et si denunciaverit, & nihilominus portaverit forensterius arma interdicta, tunc forensis, ut civis condemnetur. Eo salvo, quod quilibet possit portare rangonum factum ad modum fesolæ, seu messoræ sine fraude eundo ad clusuras, sive agros, & redeundo. Eo salvo quod forensibus itinerantibus, & alienigenis ab aliis partibus accedentibus ad territorium Veronen., vel rece-

recedentibus, vel tranfeuntibus liceat arma portare, dum modo cum fuerint hofpitati ipsa arma deponant, quoufque recedere v. uerint. Similiter Nobilibus, & Civibus, & Mercatoribus, & omnibus fuis famulis confuetis, & omnibus habitatoribus civitatis Veron. eundo & redeundo de civitate ad villam, & de villa ad civitatem, & de villa ad villam, & de villa ad clufuras, campaneam five campos, liceat arma portare generis cujufcumque, & undecumque pertranfeant: non committendo tamen aliquid contra honorem regiminis D. Poteftatis. Et de prædictis quilibet fit accufator, & habeat medietatem dictarum pœnarum. Et quod prædicti contrafacientes debeant condemnari, ut fupra, & plus & minus, arbitrio D. Poleftatis & totius curiæ, vel majoris partis in omnibus & fingulis cafibus, & pœnis in Statuto præfenti comprehenfis.

Qui arma ad defenfionem portaverit, quomodo puniatur. Cap. XXXII.

ITEM, quod nullus portet arma ad defenfionem in die per civitatem, & burgos Veronæ, villas, feu caftella diftrictus Veronæ. Et fi quis contrafecerit, condemnetur pro quolibet, & qualibet vice, & pro quaque arma, videlicet, pro celata five cerveleria vel collario, fcuto, vel rotella, in xx. fol., & pro panceria, & coracia, in xl. fol.; & in nocte condemnetur in duplum. Salvo quod habitatores Veronæ cum fuis famulis, & forenfes in cafibus exceptatis in fupradicto proximo Statuto, poffint etiam dicta arma portare.

Quod nullus currat ad rumores cum armis, nec cridet ad arma. Cap. XXXIII.

ITEM, quod nulla perfona in civitate, & burgis Veronæ, & villis ejus diftrictus debeat currere ad rumorem cum armis, nec elevare rumores, nec cridare *ad arma ad arma*, nec aliquod aliud dicere, feu facere, ex quo tumultus poffit in populo fufcitari: & qui contrafecerit puniatur in centum libr. & plus & minus, & realiter & perfonaliter, arbitrio D:D: Rectorum, five D. Poteftatis & curiæ, vel majoris partis, attenta conditione, & qualitate loci, facti, perfonarum, & temporum.

Qui rumorem fecerit cridando heus, foras, *vel aliter, quomodo puniatur.* Cap. XXXIV.

ITEM, quod fi aliqua perfona rumorem fecerit de die vel de nocte cridando *heus foras*, vel aliter fine jufta caufsa, puniatur in x. libr. & plus & minus, arbitrio D. Poteftatis & totius curiæ, vel majoris partis, infpecta qualitate facti, & perfonarum.

Qui cum armis interdictis, vel non interdictis percusserit, vel vulneraverit, qualiter puniri debeat, & de expensis medicorum & curæ reficiendis. Cap. XXXV.

ITEM, si aliquis percusserit aliquam personam cum armis interdictis de qua percussione sanguis exierit, condemnetur pro quolibet, & qualibet vice in libr. l., & plus & minus arbitrio D. Potestatis & curiæ, vel majoris partis, inspecta qualitate vulneris, facti, & personarum: & si cum baculo vel aliter percusserit, & sanguis exierit, in xxv. lib. & plus & minus, arbitrio D. Potestatis, & curiæ, vel majoris partis, inspecta qualitate vulneris, facti, & personarum. Et si fecerit mesclantias sine sanguine, puniatur in x. lib., & plus & minus, arbitrio D. Potestatis, & curiæ, vel majoris partis: & si prædictæ percussiones, seu mesclantiæ, seu aliquæ prædictarum factæ fuerint in Palatio, vel in domo nova communis Veronæ, vel in viis, seu Platea circumdantibus Palatium & domum novam communis Veronæ, & Palatia D: D: Rectorum Veronæ, vel in mercato fori, tunc malefactor condemnetur in duplum, & plus & minus, arbitrio D. Potestatis, & curiæ, vel majoris partis, inspecta qualitate facti, & personarum, & loci. Et quod ille, qui aliquem vulneraverit, compellatur per D. Potestatem, seu judicem maleficiorum ad solvendas & præstandas vulnerato omnes expensas, quas vulneratus fecerit, vel sustinuerit in medicis, medicinis, & aliter occasione vulnerationis; de quibus expensis stetur sacramento vulnerati, præmissa judicis taxatione, & pro ipsis expensis possit realiter & personaliter pignorari. Eo tamen salvo & reservato, quod si accusatus vel inquisitus, seu denunciatus comparuerit coram D. Potestate, vel judice maleficiorum ad excusandum se a dicta accusatione, inquisitione, seu denunciatione, & confessus fuerit crimen, sive delictum, sive in totum, sive in partem, de quo procederetur contra eum, tunc quarta pars ejus, in quo condemnari debuisset secumdum formam juris & Statutorum, pro eo toto, sive pro ea parte pro qua confessus fuerit, sibi remittatur. Et si ultra ejus confessionem pacem ab offenso habuerit ante condemnationem, & ipsam in judicio produxerit, & per duos dies ante ipsam sententiam, tunc alia quarta pars ejus in quo condemnari debuisset, ut supra, eidem remittatur, ut præmium portet qui veritatem dixerit.

De ponendis & non ponendis ad tormenta, & in quibus casibus possint poni ad tormenta. Cap. XXXVI.

ITEM Statuimus, quod D. Potestas possit inquirere, & ponere ad tormentum prout ei videbitur suo arbitrio quamlibet personam. Videlicet pro homicidio, furto, robaria, incendiis, ac adulterio, & falsitate in-

instrumentorum, & testium, & aliis maleficiis ingerentibus pœnam sanguinis, vel pecuniariam centum vel l. libr., vel abinde supra: & in prędictis casibus, pracedentibus judiciis, cum consilio & voluntate omnium judicum consulum communis Veronæ vel majoris partis, & in prædictis maleficiis, D. Potestas liberum habeat arbitrium puniendi cum consilio & voluntate omnium judicum, & consulum communis Veronæ, vel majoris partis.

Quod de uno vulnere, de quo quis mortuus fuerit, non possit nisi unus tantum ad mortem condemnari. Cap. XXXVII.

ITEM Statuimus, quod si acciderit aliquem vulnerari, sive percuti uno vulnere, seu percussione, & ex dicto vulnere seu percussione mortuus fuerit, & ob id plures fuerint accusati, denunciati vel inquisiti, D. Potestas & judex maleficiorum teneantur diligenter inquirere, quis fecerit dictum vulnus vel percussionem, & eum, quem magis verisimile fuerit probationibus, præsumptionibus, & indiciis dictum maleficium commisisse, debeant tamquam vulnerantem, seu percutientem de homicidio condemnare: Cęteris autem pœna inferatur, prout unusquisque inventus fuerit culpabilis. Ita tamen quod unus tantum de homicidio, sive de morte condemnetur, ubi tantum fuerit unum vulnus mortale, vel plura ab uno illata. Salvo quod hoc Statutum non habeat locum in homicidiis pensate & præmeditate commissis. An vero homicidium fuerit pensatum, vel non pensatum, hoc fit in determinatione D. Potestatis & totius curiæ, vel majoris partis.

Qui dolose sagittaverit, vel de cujus domo aliquis fuerit sagittatus, quomodo puniatur. Cap. XXXVIII.

ITEM Statuimus, quod si aliquis dolo malo aliquem sagittaverit cum balista, vel arcu, condemnetur communi Veronæ in centum libris, plus & minus, arbitrio D. Potestatis & totius Curiæ, vel majoris partis, inspecta qualitate personarum, & facti. Et si de domo alicujus prędicta commissa fuerint, Domino domus sciente, condemnetur communi Veronæ in centum libr., salvo jure mortis, & membri debilitati.

Qui membrum alicujus absciderit, vel inutile fecerit, quomodo puniatur. Cap. XXXVIX.

ITEM Statuimus, quod qui membrum, vel partem membri alicujus absciderit, vel penitus inutile fecerit, puniatur realiter & personaliter arbitrio D. Potestatis & totius curiæ, vel majoris partis.

Qui

Qui homicidium fecerit, quomodo puniatur, & de assassinis & multis aliis circa hæc; & pœnis eorum. Cap. XL.

PRO bono & pacifico statu communis Veronæ, Statuimus, quod si aliquis, vel aliqua persona de cætero fecerit homicidium, in amputatione capitis condemnetur, si fuerit in fortia communis Veronæ; & si non fuerit in fortia, ponatur in banno perpetuo de homicidio, si non comparuerit coram judice ad terminum Statutum. Et si quo tempore postea pervenerit in fortiam communis Veronæ, D. Potestas, qui est vel pro tempore fuerit cum curia faciat ipsum quæstionibus subiici, & si repertus fuerit culpabilis, puniatur secundum formam Statutorum. Eo salvo, quod si quis, vel si qua interficeret aliquem bannitum de maleficio, ex quo pœna mortis veniret inferenda, vel aliquem repertum in domo sua de nocte furantem, vel cum uxore, nuru, matre, filia, vel sorore male conversantem, talis interficiens non puniatur. Et si aliqua persona de civitate, & districtu Veronæ, sive aliunde pro pecunia vel aliqua re, seu promissione recepta vel recipienda, aliquem interfecerit, vel venerit ad civitatem, vel districtum Veronæ caussa aliquem interficiendi, licet illud maleficium quod attenuaverit, non perfecerit, puniatur ad mortem, ordinandam arbitrio D. Potestatis & totius curiæ, vel majoris partis: & omnia bona dicti malefactoris publicentur in communi. Et si maleficium perfecerit, hęredibus mortui assignentur & dentur; & si non perfecerit, remaneant in communi. Eadem pœna puniatur quicumque dictum maleficium fieri procuraverit. Si vero aliquis de civitate, vel districtu, sive aliunde, non pro pecunia, seu alia re recepta sive recipienda, sed forte vindictæ seu inimicitiæ suæ caussa aliquem interfecerit, vel ad civitatem, vel districtum Veronæ venerit de alieno districtu forte ex dicta caussa vindictæ seu inimicitiæ suæ ad aliquod homicidium faciendum, & illud perfecerit personaliter, puniatur ad mortem; si autem non perfecerit, sed facere tentaverit seu præsumpserit, tunc ei una manus & unus pes debeant amputari. Eadem pœna puniatur quicumque prædictos scienter receperit, vel tenuerit in domo sua. Et quod testamenta, codicilli, donationes causa mortis, & quæcumque aliæ ultimæ voluntates facta vel factę per aliquos malefactores, qui ad mortem fuerint condemnati, & quorum bona non debeant publicari, ut supra, sive prædicta facta fuerint ante condemnationes sive post, valeant & teneant, ac si aliquod crimen non fecissent, seu facere non tentassent.

Qui

Qui casu, & non præmeditate hominem occiderit, realiter puniatur.
Cap. XLI.

ITEM, quod si quis aliquo casu, & non præmeditate hominem occiderit, si in culpa aliqua reperiatur, pro qualitate culpæ puniatur realiter, arbitrio D. Potestatis & totius curiæ, vel majoris partis, inspecta qualitate facti, & personarum.

Qui cognoverit carnaliter aliquam mulierem, quomodo ipse, & mulier puniatur. *Cap.* XLII.

ORDINAMUS, quod si quis cognoverit carnaliter aliquam mulierem habentem maritum de voluntate ipsius mulieris, & non per violentiam, puniatur in trecentis libr. & ad standum sex menses in carceribus communis Veronæ, & plus & minus, arbitrio D. Potestatis & totius curiæ, vel majoris partis, inspecta conditione, & qualitate personarum; & mulier ipsa condemnetur marito in amissione dotis; quæ deveniat ipsi marito, vel ejus hæredibus, vel si non habet dotem condemnetur in trecentis libr. & plus & minus, arbitrio D. Potestatis & totius curiæ, vel majoris partis, quæ similiter ipsi marito deveniant; & in utroque casu condemnetur insuper, ad voluntatem tamen mariti, ad standum sex menses in carceribus communis Veronæ. Et qui stuprum commiserit cum aliqua muliere de voluntate ipsius mulieris, & non per violentiam, condemnetur in trecentis libr. denar. & ad standum sex menses in carceribus communis Veronæ, & plus & minus, arbitrio D. Potestatis & totius curiæ, vel majoris partis, inspecta qualitate facti & conditione personarum; & hoc etiam si matrimonium sequatur inter eos. Et si matrimonium non sequatur, condemnetur insuper ad emendationem injuriæ proximiorum ipsius mulieris. Et qui commiserit incestum cum aliqua muliere de voluntate ipsius mulieris, & non per violentiam, puniatur realiter & personaliter usque ad mortem inclusive, arbitrio D. Potestatis & totius curiæ, vel majoris partis, inspecto gradu, & qualitate personarum. Et quæcumque persona, quæ accusationem fecerit, & dixerit prædicta per violentiam fuisse commissa, & repertum fuerit fuisse de voluntate mulieris, tunc accusator condemnetur in centum libr. & plus & minus arbitrio D. Potestatis & totius curiæ, vel majoris partis, inspecta qualitate personarum & facti; & insuper ad standum in carceribus pro tempore, & arbitrio prædicto. Et quod quælibet persona volens accusationem facere de adulterio, stupro, vel incestu commissis in civitate Veronæ vel districtu, possit dictam accusam facere infra unum mensem, si fuerit in civitate & burgis, & si fuerit in districtu, infra duos menses: & hoc ab eo tem-

tempore, quo malefactor in dicto crimine fuerit repertus vel publicatus; vel notorium fuerit seu manifestum, vel fama publica prædicta fuisse commissa: ultra autem prędictum tempus nulla persona postea de prędictis audiatur. Et quod aliter in dictis criminibus non procedatur intra prædictum tempus, nec ultra dictum tempus, per inquisitionem vel alio modo. Et quod hoc Statutum non habeat locum in mulieribus malæ famæ, & malæ opinionis, seu malę conversationis vel conditionis. Nec habeat locum in monialibus, sed de ipsis juri communi stetur. Si vero per vim quis aliquam mulierem honestam carnaliter cognoverit, capite puniatur.

Quod contra accusatum cognovisse carnaliter, non per vim, mulierem, si infra mensem eam desponsaverit & pacem habuerit, ulterius non procedatur. Cap. XLIII.

ITEM, quod si quis accusatus fuerit cognovisse carnaliter aliquam mulierem, non per vim, cum qua posset contrahere matrimonium, & post accusationem factam infra mensem habita pace cum proximiore vel proximioribus mulieris, & inter eos matrimonium fuerit subsecutum, non condemnetur, nec contra ipsum ulterius procedatur.

De sponsalibus furtivis, & qualiter contrafacientes, & notarii, & testes puniantur. Cap. XLIV.

ITEM Statuimus, quod si aliquis desponsaverit, seu duxerit in matrimonium aliquam mulierem habentem patrem vel aliquem ex ascendentibus, vel habentem fratrem vel fratres, occulte & sine eorum scientia & consensu, condemnetur realiter, vel personaliter arbitrio D. Potestatis & totius curiæ, vel majoris partis, inspecta qualitate facti, & conditione personarum. Et eadem pœna puniatur quælibet persona, quæ dederit, seu fecerit aliquam suam filiam, sororem, neptem, vel propinquam guadiare occulte, vel palam ab aliquo habente patrem seu avum, nisi foret emancipatus. Et quod testes, qui fuerint ibi præsentes, & notarius, qui confecisset de prædictis instrumentum puniantur, testes pro quolibet in centum libr., & notarius in ducentis, & plus & minus, arbitrio D. Potestatis & totius curiæ, vel majoris partis.

Qui binas uxores eodem tempore habuerit, quomodo puniatur. Cap. XLV.

ITEM, quod si quis habens uxorem, & ea vivente cum alia de facto sciemer contraxerit matrimonium, puniatur in trecentis libr. denar. & plus & minus, arbitrio D. Potestatis & totius curiæ, vel majoris partis, & in restitutione totius ejus, quod nomine dotis recepisset. Fœmina vero,

vero, quæ prædicta committeret, puniatur in amissione dotis applicanda marito.

Quod nulla domus pro aliqua caussa, vel maleficio diruatur.
Cap. XLVI.

ITEM Statuimus, quod nulla de caussa, nec pro aliquo maleficio aliqua domus diruatur in civitate, & burgis, & districtu Veronæ, sed ipsa domus in communi Veronæ permaneat, si pro aliqua caussa, vel maleficio contigerit publicari. Et quod hoc Statutum locum habeat & observetur præcise, aliquo Statuto in contrarium loquente non obstante.

Qui offenderint D. Potestatem, suos milites, & familiam suam, seu Judices communis Veronæ, quomodo puniantur.
Cap. XLVII.

ITEM, si quis offenderit, seu injuriam fecerit D. Potestati Veronæ, suis militibus, sive ejus familiæ, vel judicibus communis Veronæ, aut alicui eorum, puniatur arbitrio D. Potestatis & totius curiæ, vel majoris partis, inspecta qualitate facti, personæ, & loci.

Qui scienter falsum fecerit instrumentum, quomodo puniatur.
Cap. XLVIII.

SICUT veritate, quæ Deus est, totum stare orbem nemo dubitat; ita falsitate nihil est, quod magis Deo, naturæ, hominibus, justitiæ, judicioque repugnet. Propterea Statuimus primo, quod si quis falsum instrumentum scienter fecerit, falsificaverit, vel fabricaverit ei manus amputetur dextera, perpetuaque notetur infamia; & omnia instrumenta, quæ per aliquem notarium de falso condemnatum fierent, ipso jure non valeant. Idem intelligatur de scripturis, & actis publicis in notariis. In aliis autem personis non notariis falsificantibus instrumenta, vel scripturas, & acta publica in præjudicium alterius, dicta talis persona condemnetur, primo in amissione caussæ. quantumcumque justam foveret. Item si præjudicium fuerit ducentarum libr. & abinde infra, dicta talis persona condemnetur in quadruplnm, & mitriata in publicum perducatur, & ter circa Plateam mercati fori conducatur. Et si fuerit a ducentis libr. supra, usque a duo milia libr., in amputatione manus, vel in abscisione linguæ puniatur, arbitrio D. Potestatis & totius curiæ, vel majoris partis, inspecta qualitate facti, & conditione personarum. Sed si mitigabitur, ut lingua tantum abscindatur, tunc etiam mitrietur, & per Plateam conducatur, ut supra. Si vero fuerit a duabus millibus libr. supra, tunc & mi-

mitrietur, ut supra, & ei manus dextera amputetur. Et in omnibus prædictis casibus tam notarius, quam non notarius in falsitate repertus, ut supra, condemnetur parti læsę etiam ad refectionem omnis damni, expensarum, & interesse. Eisdem pœnis puniatur quicumque fabricari, seu falsificari fecerit instrumentum falsum, seu scripturas, & acta publica, & qui mandaverit & procuraverit, si falsitas secuta fuerit, singula singulis referendo.

Qui scripturam privatam falsam fecerit, & falsificaverit, quomodo puniatur. Cap. XLIX.

ITEM, quod quęlibet persona, quæ scripturam privatam scienter falsam fecerit, vel falsificaverit, vel fabricaverit, ut buletas, vel apocas, vel librum rationum, vel chyrographum, vel similia in damnum & pręjudicium alterius, si illud fuerit ducentarum libr. vel infra, dicta talis persona condemnetur in quadruplum; abinde vero supra, condemnetur in quadruplum, & ultra realiter vel personaliter, arbitrio D. Potestatis & totius curiæ, vel majoris partis, inspecta qualitate facti, & conditione personarum. Et in omnibus pręd ictis casibus dicta talis persona condemnetur etiam in amissione caussæ quantumcumque justam foveret, & ad reficiendum parti læsę omne suum damnum, expensas, & interesse. Eisdem pœnis puniatur quicumque fabricari, seu falsificari fecerit dictam scripturam privatam, & qui mandaverit & procuraverit, si falsitas secuta fuerit, singula singulis referendo.

Qui falsum testimonium dixerit, quomodo puniatur. Cap. L.

ITEM, quod si aliqua persona reperta fuerit falsum dixisse testimonium in aliqua caussa, quęstione, seu lite in civitate Veronæ, vel ejus districtu coram quocumque judice ordinario vel delegatos Ecclesiastico vel sęculari, sive etiam arbitris vel arbitratoribus dolose circa merita substantialia causæ vel facti, in damnum alterius, si dicta talis persona fuerit masculus, & id fecerit pecunia vel pręmio, mitrietur, & ei manus amputetur; si vero id fecerit sine præmio vel pecunia, mitrietur, & producatur in publicum, & ei lingua abscindatur: & in utroque casu condemnetur parti lęsæ ad refectionem totius damni expensarum, & interesse. Si autem sit fœmina, & id pecunia vel pręmio fecerit, mitriata fustigetur semel circa Plateam mercati fori, & ei lingua abscidatur. Sed si absque pecunia vel pręmio, mitriata fustigetur, ut supra, & in utraque genua buletur. Et eisdem pœnis puniatur, qui instruxerit, & induxerit falsum testem ad falsum testificandum, sive ut taceat veritatem in aliqua causa, quęstione, vel lite, singula singulis referendo.

Qui produxerit falsum instrumentum, vel testem, qualiter puniatur.
Cap. LI.

ITEM, quod si aliqua persona suo nomine vel alieno, scienter produxerit falsum testem, vel instrumentum, aut acta, sive aliter scripturam privatam trino teste notatam, vel eo aut eis usa fuerit ubicumque in civitate Veronę, vel ejus districtu coram quocumque judice ordinario vel delegato, Ecclesiastico vel sęculari, seu etiam arbitris seu arbitratoribus in aliqua caussa, quęstione, seu lite, puniatur eisdem pœnis, & eisdem modis, quibus per suprascripta Statuta quis puniri debet de falso instrumento, & scriptura facta, seu falso testimonio lato, singula singulis referendo. Et intelligatur scienter produxisse, vel usum fuisse, qui interrogatus post productionem instrumenti, sive scripturæ, & publicationem testium, dixerit *velle uti*, cui respondere clare, & simpliciter teneatur ad terminum per judicem statuendum. Et si dixerit *nolle uti*, non adhibeatur tali testi, vel instrumento, sive scripturæ fides. Et si ad terminum Statutum non responderit simpliciter & clare, ut supra, intelligatur *nolle uti*, & teneatur per sacramentum dicere caussam propter quam ab usu talis instrumenti, seu scripturę, vel testimonii desistit. Intelligendo tamen, quod si quis alieno nomine comparuerit, & principalis persona responderit, vel respondere parata sit cum effectu, tunc responsio ipsius principalis sufficiat.

Qui accusationem de falso fecerit, & in probatione defecerit, quomodo puniatur. Cap. LII.

ITEM, quod si aliqua persona voluerit accusationem facere de falso teste, vel instrumento, aut scriptura publica, vel privata, vel de producente falsum testem, aut instrumentum seu scripturam, vel de utente eo vel ea, teneatur prius securitatem facere contra notarium de trecentis libr. & dicere ac exprimere in accusatione caussas omnes falsitatis; & si in probatione defecerit contra notarium, condemnetur in trecentis libr. denar. & plus & minus, arbitrio D. Potestatis & totius curiæ, vel majoris partis, inspecta qualitate facti, & personarum, nisi prędictum instrumentum, vel testis suspectum vel suspectus fuerit, & tunc in l. libr. condemnetur. Contra vero aliam personam non notarium, teneatur prius facere securitatem de centum libr. & dicere ac exprimere in accusatione caussas omnes falsitatis; & si in probatione defecerit, condemnetur in centum libr. nisi prædicta scriptura privata suspecta fuerit, & tunc in xxv. libr. condemnetur: & qui securitatem prędictam contra notarium vel non notarium facere non poterit vel noluerit, ponatur in carceribus communis Veronæ, & procedatur ac si

 facta

facta foret securitas. Et quod pendente accusatione falsi testis, vel instrumenti, vel scripturæ privatæ, sive etiam contra producentem falsum testem, vel instrumentum, aut scripturam privatam, supersedeatur quæstioni civili, in qua dicta talis productio facta fuerit: ita quod instantia causæ nullatenus currat a tempore accusationis factæ, donec ipsa causa falsitatis fuerit terminata. Et quod de cætero non fiant, nec recipiantur accusationes de suspecto teste, vel instrumento, vel scriptura privata, in quibus essent evidentes causæ falsitatis. Item, quod principalis possit accusari de productione facta per procuratorem suum, si prius ipse principalis fuerit interrogatus, ut supra in proximo Statuto continetur, & responderit *velle uti*.

Qui interpellaverit aliquem notarium de falso instrumento, vel testem de falso dicto, aut notarius, vel testis sit interpellatus, quomodo puniatur.
Cap. LIII.

ITEM, quod si aliqua persona interpellaverit aliquem notarium, quod falsum instrumentum faciat, & factum fuerit, aut testem, quod falsum testimonium dicat, & ita dixerit, debeat eadem pœna puniri cum notario vel teste, secundum formam Statutorum prædictorum: si autem solum interpellaverit, & instrumentum falsum non fuerit confectum per notarium, vel testimonium falsum non fuerit dictum per testem, condemnetur de interpellando notarium in trecentis libr., & de interpellando testem in centum libr., & plus & minus, arbitrio D. Potestatis & totius curiæ, vel majoris partis, inspecta qualitate facti, & personarum. Et eadem pœna puniatur tabellio, qui aliquem interpellaverit, ut ei falsum instrumentum ipse tabellio conficiat, aut falsum testimonium ipse testis deponat. Et hæc omnia sibi vendicent locum ex sola interpellatione facta de falso, non derogando per hoc pœnis in superioribus Statutis appositis.

De pœna notarii, qui circa diem, mensem, annum, vel indictionem per imprudentiam peccaverit. Cap. LIV.

ITEM Statuimus, quod si aliquis notarius peccaverit in instrumento conficiendo per imprudentiam vel errorem, circa diem, mensem, annum, vel indictionem, puniatur pecuniaria pœna arbitrio D. Potestatis & totius curiæ, vel majoris partis, inspecta qualitate personarum & facti; & quod idem notarius compellatur per judices, & Prætores Veronæ ipsum errorem corrigere.

De

De pœna viatoris facientis falsam ambasciatam, vel relationem.
Cap. LV.

ITEM Statuimus, quòd viator, qui fecerit falsam ambasciatam, sive relationem, condemnetur in x. libr. & plus & minus, arbitrio D. Potestatis & totius curiæ, vel majoris partis, inspecta qualitate personarum, conditionis, & facti; & in refectione totius damni & expensarum facienda damnum passo; & non possit esse amplius viator in Verona, nec ejus districtu, neque baroerius D. Potestatis: quas si solvere non poterit fustigetur ter circa Capitellum, & postea bulletur in fronte.

De puniendis bannitoribus saltuariis, & aliis officialibus falsas accusas vel manifestationes facientibus. Cap. LVI.

ITEM Statuimus, quod si aliquis bannitor saltuarius, & quilibet alius officialis aliquam falsam accusationem seu manifestationem fecerit, puniatur pro quolibet, & qualibet vice arbitrio D. Potestatis & totius curiæ, vel majoris partis, & emendet expensas manifestato sive accusato, quas fecerit dicta accusatione.

Qui falsam monetam fecerit, quomodo puniatur, & de cridatu faciendo per D. Potestatem superinde. Cap. LVII.

STATUIMUS, quod si aliqua persona fecerit, vel fieri fecerit falsam monetam magnam vel parvam, igne cremetur. Et quod D. Potestas infra xv. dies ab introitu regiminis sui præcipi & clamari faciat, quod omnes denarii falsi in Verona, & ejus districtu cerni debeant & curari. Et quod unusquisque civitatis, & districtus Veronæ omnes denarios falsos suos & alienos, qui ad manus ejus pervenerint, frangere teneantur. Et omnes qui frangere vetaverint D. Potestati manifestare debeant. Et qui non fregerit, & frangere vetaverit, puniatur in sexaginta sol. Et quod omnes campsores, & discipuli sui a tredecim annis superius, & similiter omnes mercatores teneantur frangere omnes denarios falsos, tam suos quam alienos, qui ad eorum manus pervenerint, pœna centum sol. pro quolibet, & qualibet vice; & quilibet sit de prædictis accusator, & habeat medietatem banni. Et omnes campsores teneantur denunciare D. Potestati, vel judici maleficiorum omnes personas, quæ sibi portarent denarios falsos grossos ad cambiandum ultra sex, pœna prædicta: salvo quod pro quolibet denario aureo illud idem denunciare teneantur.

Qui

Qui monetam totondisset, quomodo puniatur. Cap. LVIII.

ITEM, quod si aliqua persona inventa fuerit totondisse, vel alio modo diminuisse denarium aliquem, vel monetam, ejus forma manente, ei manus dextra amputetur.

Quod aliqua moneta non pineletur, bolzonetur, balanzetur nec trabuchetur, & de artificiis ad ea non tenendis. Cap. LIX.

ITEM, quod nullus campsor, nec aliqua persona de familia sua, nec aliquis ejus discipulus, nec aliqua alia persona terreria vel forensis, & cujuscumque sit conditionis aut status, audeat vel præsumat pinelare, trabuchare, balanzare, vel bolzonare, publice vel occulte aliquam monetam grossam vel minutam, accursatam seu quæ accursabitur in futurum in civitate Veronæ ad expendendum, nisi publice hoc fecerit caussa permutandi seu cambiandi ipsam monetam personis volentibus ipsam cambiare, vel permutare in aliam monetam. Et quod nulla persona vendat, nec emat dictam monetam alicui personæ, vel ab aliqua persona ad pondus, seu marchiam, nisi esset injusta. Et quod nullus teneat aliqua artificia ad prædicta facienda: & qui contrafecerit, condemnetur in centum libr. pro quolibet, & qualibet vice, & plus & minus, arbitrio D. Potestatis & totius curiæ, vel majoris partis. Et de prædictis quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni, & D. Potestas ac judex maleficiorum teneantur de prædictis inquirere solicita cura, & vinculo sacramenti.

Qui scienter expenderit falsam monetam grossam, quomodo puniatur. Cap. LX.

ITEM, quod qualibet persona, quæ scienter expenderit aliquam monetam grossam falsam, puniatur realiter & personaliter, arbitrio D. Potestatis & totius curiæ, vel majoris partis, inspecta qualitate, & conditione personæ, & quantitate pecuniæ, & facti conditione.

Qui conduxerit, vel conduci fecerit monetam falsam, vel reprobatam, quomodo puniatur. Cap. LXI.

ITEM, quod si aliqua persona terreria, vel forensis conduxerit seu conduci fecerit in Verona vel ejus districtu aliquam monetam falsam, seu reprobatam per commune Veronæ, sciens eam esse falsam vel reprobatam, expendendi caussa, seu cambiandi, & eam expenderit, seu cambiaverit, punia-

puniatur in centum libr. denar. pro qualibet vice, & in amissione ipsius pecuniæ, & plus & minus, arbitrio D. Potestatis & totius curiæ, vel majoris partis. Et qui eam receperit, teneatur infra tertiam diem prædicta denunciare D. Potestati seu judici maleficiorum, sub pœna prædicta.

Qui ruperit pacem Bannito, quomodo puniatur. Cap. LXII.

ITEM Statuimus, quod si aliquis præmeditate occiderit, vel percusserit eum, cui pacem fecerat, sive a quo mendum acceperit, ex qua percussione membrum aliquod amittat, quamvis sit bannitus, cogatur mendum illud quod susceperit, ipsi si vivit, sin autem hæredibus ejus reddere; hæredibus autem non existentibus, deveniat in communi Veronæ: & quod D. Potestas teneatur facere restitui quod receperit, & aliud tantundem, & facere rationem de prædicto mortuo vel vulnerato, ac si esset in treuga, omnibus supradictis observatis: & quod de pace rupta puniatur rumpens pacem arbitrio D. Potestatis & totius curiæ, vel majoris partis.

De non danda audientia bannitis, sive exemptis de treuga pro maleficiis. Cap. LXIII.

ITEM Statuimus, quod si aliqua persona est vel fuerit bannita, sive exempta de treuga communis Veronæ cum certo banno pro homicidio, vel alio crimine seu delicto, ex quo vel ex quibus inferatur, seu inferri debeat pœna capitis, seu personæ, & talis bannitus fuerit mortuus, vel offensus in persona, vel in rebus, quod de ipso mortuo, vel offenso D. Potestas, vel judex maleficiorum teneatur denunciationem, vel accusationem non recipere, nec inquisitionem facere de commisso, sed omnibus conquerentibus audientiam denegare: salvo Statuto *de pœna illius, qui rumperit pacem bannito* proxime supra relato. Si autem fuerit bannitus, vel extra treugam communis Veronæ exemprus occasione alicujus maleficii, propter quod debeat sibi aliquod membrum auferi, vel occasione adulterii, stupri, vel incestus, vel occasione ferure unde sanguis exierit, & talis bannitus vulneretur, vel sine sanguine offendatur, dumtamen non occidatur, tali vulnerato sive offenso omnis ratio per D. Potestatem, & judicem maleficiorum denegetur, nisi talis vulneratus, vel offensus solverit bannum, pro quo extra treugam communis Veronæ reperiretur exemptus; & tunc soluto banno & cancellato, plena audientia præbeatur: & hoc intelligatur si postea de novo fuerit offensus, & eo existente in treuga communis Veronæ. Alii vero banniti aliter quam ex caussis superius nominatis, si fuerint in personis vel rebus sine sanguine offensi, de ipsorum injuria per D. Potestatem, & judicem maleficiorum nulla querimonia audiatur, nisi talis banni-

bannitus damnum solverit; quo soluto ad jus plenarie audiatur: & intelligatur si postea de novo fuerit offensus, & eo existente in treuga communis Veronæ. Et hoc intelligatur, & locum habeat in illis bannitis tantum, qui essent extra treugam occasione injuriæ illatæ alicui privatæ personæ, & alteri cuicumque communi, collegio, & universitati.

De illis, qui non intelliguntur esse extra treugam communis Veronæ, licet exempti reperiantur. Cap. LXIV.

ITEM Statuimus, quod si aliqua persona fuerit extra treugam communis Veronæ exempta ex aliqua caussa, ex qua non fuerit talia, vel condemnatio subsecuta, quod talis non sit, nec intelligatur esse extra treugam communis Veronæ. Idem intelligatur, quod non sit extra treugam, si talia, seu condemnatio data occasione dictæ treugæ fuerit persoluta, vel relaxata fuerit amore Dei: quod Statutum non habeat locum in illis, qui essent extra treugam pro debitis, & reclamis, vel occasione debiti, seu sententiæ.

De eo, qui positus fuerat in banno, & postea pecunialiter condemnatus. Cap. LXV.

ITEM Statuimus, quod si aliquis positus fuerit in banno communis Veronæ, & postea pecunialiter condemnatus, illico bannum in condemnationem devenisse intelligatur, etiam si dictum non fuerit *computato banno in condemnatione.*

Qui ceperit aliquem malefactorem ipsum ducat directe ad Palatium communis Veronæ, & non alio. Cap. LXVI.

ITEM Statuimus, quod si aliquis de cætero captus fuerit pro maleficio, seu occasione alicujus maleficii in civitate, seu burgis, aut districtu Veronæ, ille vel illi, qui eum ceperint, sive cui vel quibus designatus fuerit, & datus custodiendus & conducendus in fortiam communis Veronæ, teneantur & debeant ipsum captum, seu designatum directe ducere ad Palatium communis Veronæ, & ipsum præsentare D. Potestati, seu judici ad maleficia deputato: & quod talem captum nullo modo conducant ad domum alicujus singularis personæ Ecclesiasticæ, seu sæcularis in civitate Veronæ, seu burgis & ejus districtu. Et qui contrafecerit, puniatur pro quolibet cap o, & qualibet vice in xxv. libr. & plus & minus, arbitrio D. Potestatis & totius curiæ, vel majoris partis, inspecta qualitate facti, & personarum, & delicti. Et quod quælibet persona requisita ab eo vel eis, qui ipsum cepissent vel captum haberent, teneatur & debeat dare auxilium, consilium, & juvameu ad ipsum

captum

captum taliter conducendum, pœna & banno, arbitrio D. Poteſtatis & totius curiæ, vel majoris partis, inſpecta qualitate facti, & perſonarum, & delicti.

Qui acceperit malefactorem de manibus aliquorum, quomodo puniatur. Cap. LXVII.

ITEM Statuimus, quod quicumque auferre præſumpſerit de manibus aliquorum, qui cepiſſent aliquem malefactorem, vel bannitos, ad conducendum in fortiam D. Poteſtatis, vel prohibuerit quo minus dicti malefactores capiantur, puniatur & condemnetur pro quolibet malefactore, & bannito ſine homicidio in l. lib. & plus & minus, arbitrio D. Poteſtatis & totius curiæ vel majoris partis, inſpecta qualitate perſonarum, & facti. Si vero eſſet malefactor, vel bannitus pro homicidio, ex quo pœna mortis, vel membri veniret inferenda, puniatur & condemnetur pro quolibet, & qualibet vice realiter & perſonaliter, ad voluntatem D. Poteſtatis & totius curiæ, vel majoris partis, inſpecta conditione perſonarum, & facti.

De præmio dando illis, qui ceperint aliquem bannitum pro maleficio. Cap. LXVIII.

ITEM Statuimus, quod ſi quis ceperit, & in fortiam communis Veronæ conduxerit aliquem, qui bannitus fuerit pro homicidio, vel robaria, ſeu pro aliqua cauſſa, qua ſecundum formam Statuti mori deberet, D. Poteſtas teneatur, & faciat infra octo dies dare ei, vel eis, qui eum ceperint libr. centum Veronen. de bonis banniti, ſi habet unde &c. & ſi non habet unde &c., de camera Illuſtriſs. Dominii noſtri. Cæterum ille vel illi, qui ceperint ex aliis bannitis ſuperius comprehenſis non dignis morte, habere debeant xxv. libr. modo ſupradicto. Et quod hoc locum habeat ſi bannitus fuerit condemnatus a centum lib. ſupra uſque ad quingentas libr., ſi autem ultra quingentas libr. fuerit condemnatus, habere debeant l. lib. Si autem a centum libr. infra uſque xxv. libr., habere debeant x. libr., quas ſolvere faciat D. Poteſtas, ut ſuperius continetur. Et quicumque aliquem bannitum capere voluerit, non debeat hoc facere ſine licentia D. Poteſtatis, vel judicis maleficiorum, vel D. camerarii, & cum commiſſione: & ſi aliter fecerit, non debeat habere a Camera, quæ ſuperius ſtatuta ſunt.

De præmio dando illi, qui præsentaverit in fortiam communis Veronæ aliquem malefactorem. Cap. LXIX.

ITEM Statuimus, quod quicumque præsentaverit in fortiam communis Veronæ aliquem malefactorem, habere debeat a Camera Illustrifs. nostri Dominii pro malefactore, qui debeat mori, centum libras; si vero debeat membrum amittere, vel pecunialiter condemnari ultra centum libr., habere debeat xxv. libras; si vero debeat condemnari quinquaginta libr., vel abinde fupra ufque ad centum libr., habere debeat x. lib. de bonis malefactoris, si habet unde &c., & si non habet unde &c. a Camera prædicta. Et hoc si ceperit cum licentia & commiffione, fecundum formam fuprafcripti proximi Statuti.

Quod quilibet requifitus teneatur capere malefactorem, & ad ipsum capiendum favorem & auxilium præstare. Cap. LXX.

ITEM Statuimus, quod quilibet requifitus cum armis, vel fine armis teneatur capere malefactorem, & auxilium, favorem, & confilium præstare ad ipfum capiendum, pœna arbitrio D. Poteftatis, & totius curiæ vel majoris partis. Et si malefactor fugiendo defenfionem fecerit cum armis, & contingeret ipfum malefactorem percuti a perfequente vel perfequentibus occafione prædicta, non teneantur perfequens vel perfequentes ad pœnam communis Veronæ ex dicta percuffione, & dictis armis.

Qui aliquem malefactorem fcienter acceptaverit, quomodo puniatur, & de auxilio non præstando malefactori. Cap. LXXI.

ITEM Statuimus, quod si malefactor aliquis fugerit in domum habitationis alicujus, & ab ejus habitatoribus vel habitatore fuerit fcienter vel fraudulenter acceptus, ille qui ipfum malefactorem fic receptaverit, teneatur illum D. Poteftati, vel judici maleficiorum præfentare, pœna & banno, arbitrio D. Poteftatis & totius curiæ, vel majoris partis, infpecta qualitate perfonarum, & maleficii ipfius malefactoris. Similiter puniatur ille vel illa, qui vel quæ fcienter vel fraudulenter dederit alicui malefactori auxilium, confilium, & favorem, dicto & facto.

Qui

Qui receptaverit aliquem bannitum, aut ei juvamen dederit, quomodo puniatur. Cap. LXXII.

ITEM Statuimus, quod nulla persona de civitate, vel districtu Veronæ cujuscumquæ conditionis existat, nec commune alicujus villæ audeat, vel presumat scienter tenere, seu receptare in domo sua in civitate, villa, seu castello, seu quolibet alio loco Veronen. districtus aliquam Personam bannitam per commune Veronæ pro maleficio, seu occasione maleficii habentis clausulam, *de si quo*, vel aliter corporaliter condemnatam, nec ei aliquod auxilium, vel juvamen scienter dare aliquo modo vel caussa; & qui contrafecerit puniatur in centum libr. Et si fuerit commune villæ in ducentis libr., & plus & minus, arbitrio D. Potestatis & totius curiæ, vel majoris partis, inspecta qualitate villæ, personarum, & facti. Eadem pœna puniatur quæcumque persona haberet jurisdictionem in villa seu castello, postquam ei fuerit denunciatum per D. Potestatem vel ejus nuncium, ne permittat bannitum, seu condemnatum pro maleficio prædicto, proprio nomine designatum, morari in dicta villa, vel castello, si postea publice moratus fuerit: & de hoc sit in arbitrio D. Potestatis & totius curiæ, vel majoris partis, an habuerit potestatem expellendi bannitum seu condemnatum, necne.

Qui carceratis dant consilium ad exeundum de carceribus, & qui eos receptant, quomodo puniantur. Cap. LXXIII.

ITEM Statuimus, quod nulla persona, vel universitas, vel collegium dare debeat alicui exire volenti de carceribus communis Veronæ auxilium, consilium, & juvamen contra voluntatem D. Potestatis, & communis Veronæ; nec de prædictis scienter in domo tenere aliquem, nec receptare; & qui contrafecerit, puniatur in l. libr., & plus & minus, arbitrio D. Potestatis & totius curiæ, vel majoris partis, inspecta qualitate facti, & personarum.

De columbis non capiendis, & retibus atque artibus ad illos non tendendis. Cap. LXXIV.

ITEM Statuimus, quod nulla persona terreria, vel forensis audeat capere columbos ad retia duarum alarum, sive alia retia, laqueos, formulas, zambellos, vel alia fraudulentia, aut artes, vel alio quocumque modo; nec sagittare ad columbos columbariarum in toto territorio Veronensi, sub pœna lx. sol. pro quoque pari columborum, & emendandi damnum passo: de quo quidem damno, & damnatore ste-

E e 2 tur

tur juramento domini columbariç usque ad summam x. librarum; abinde vero supra stetur juramento illius, si & prout videbitur D. Potestati & toti curiæ, vel majori parti, inspecta quantitate damni, & conditione personarum.

Item, quod nulla persona tenere debeat retia duarum alarum, neque retia, quæ coopertoria vocantur, neque formulas pro capiendo columbos, sub pœna libr. x. pro quoque, & quaque vice, nisi officio cancellariæ D. Potestatis idoneam præstiterit securitatem de non capiendo columbos; formulas autem nunquam ullo modo tenere possit.

Item, quod quilibet massarii quarumcumque villarum inquirere, & denunciare debeant officio prædicto omnes & singulos tenentes de dictis retibus, formulis, & artibus, & capientes columbos in pertinentiis suis, in pœna librarum decem.

Item, quod vicarii villarum, capitanei ad vetita, milites communis Veronæ, & alii quicumque officiales inquirere possint & debeant de prædictis omnibus & singulis, & omnia incontinenti denunciare D. judici maleficiorum; auferendo tamen interea dicta omnia retia, formulas, & artes, quæ etiam sint prædicta, & habeant medietatem bannorum suprascriptorum ipsi, & quilibet alii accusatores.

HÆC SUNT STATUTA DE DAMNIS DATIS.

De damnis absconse datis in villis. Cap. LXXV.

ITEM Statuimus, quod si in aliqua villa districtus Veronæ, sive in ejus pertinentia aut guardia, aliquod damnum absconse fuerit datum per aliquam personam terreriam vel forensem, exceptis casibus fortuitis, in aliquibus domibus, vel in, & de rebus in eis existentibus, hortis, terris, pratis, molendinis, seu fullis, arboribus fructiferis vel non, vineis, olivis, nemoribus, pascuis, piscantiis, aquis, aquarum ductibus, & in aliis quibuscumque possessionibus, vel in, & de aliquibus rebus, quæ essent in prædictis, & quolibet prædictorum, seu bestiis vulneratis, aut mortuis; exceptis euntibus ad traynum, scil. sine custodia, de quibus nulla fiat ratio; sive illud damnum datum fuerit per incendium, sive per furtum, sive quocumque alio modo, & in quibuscumque aliis bonis, & rebus datum fuerit, quod tunc commune illius villç damnum passo restituere teneatur, secundum quod probatum fuerit vel juratum; cui quidem juramento damnum passi stetur de illatione damni, de æstimatione vero, dicto juramento stetur usque ad quantitatem lib. x., abinde vero supra, stetur dicto juramento, si & prout videbitur D. Potestati, & toti curiæ, vel majori parti, inspecta qualitate facti, & conditione personarum. Et quod illa persona, cui datum fuerit dictum damnum, teneatur, & debeat dicere, & jurare

rare in sua accusatione, quod nescit, quis dederit dictum damnum, nec ipsum fecit nec fieri fecit, nec adjutorium nec consilium ad id faciendum dedit, & bona fide operam dabit ad inveniendum eum, qui illud fecerit; & cum invenerit, illud D. Potestati, seu judici maleficiorum incontinenti denunciabit, & illas probationes & indicia, quæ vel quas inde habere poterit, bona fide monstrabit, & dabit. Et quod si facta accusatione comparuit aliqua persona idonea, quæ possit esse in dicto judicio, & præstiterit bonam & idoneam securitatem de damno dato restituendo, si hoc pronunciabitur debere restitui; & confessa fuerit se fecisse vel fieri fecisse, aut dedisse dictum damnum, quod tunc contra commune ipsius villæ ulterius non procedatur, sed contra illum, qui confessus fuerit prędicta, procedatur, ex virtute dictæ accusationis, ad solutionem vel condemnationem, tam communi Veronæ, quam damnum passo in eo, quod esset confessus, vel contra eum probaretur, aut juraretur, ut supra. In eo vero, quod ille non confireretur, vel contra ipsum non probaretur, aut non juraretur ut supra, commune condemnetur ad dandum secundum quod probabitur, aut jurabitur, ut supra, contra commune: eo etiam salvo, quod si commune illius villæ dederit damnatorem & probaverit, tunc ad emendationem damni minime teneatur, sed ille de quo probatum fuerit ipsum damnum dedisse teneatur, & condemnetur tam communi Veronæ, quam damnum passo, eo prius citato, & requisito. Et quando commune villę fuerit accusatum occasione damni dati, cujus custodia pertinebat ad Saltuarios illius villæ, vel sortis, vel regulæ, quod ex officio judicis maleficiorum, ipsi Saltuarii requiri debeant, tunc, quando massarius villę citabitur, ut debeat dare damnatorem, & probare ipsum damnum dedisse; quod si non fuerit probatum, commune villæ post condemnationem statim habeat regressum ad sortem & expensas contra Saltuarios ipsius sortis vel regulæ, in qua dictum damnum datum est, qui ad custodiam illarum rerum tenerentur, in quibus dicitur esse dictum damnum. Et quod dicti Saltuarii, qui ad dictam custodiam sive emendationem tenentur, non possint produci in testes in prędictis, nec tamquam testes admitti. Et quod judex maleficiorum ex suo officio teneatur, & debeat diligenter inquirere, an dolo alicujus incendium sit factum, an inhabitantium culpa; & si per probationes, & indicia debita, seu per judicis inquisitionem apparuerit incendium culpa inhabitantium contigisse, commune illius villę ad emendationem damni ex dicto incendio minime compellatur. Et quod si damnum datum fuerit in confinio plurium communitatum, propinquior communitas ad ipsius damni refectionem condemnetur, & magis teneatur. Et si commune vel legitima persona pro eo citata ad defensionem non comparuerit, quod pro contumacia condemnetur in centum sol. communi Veronę, & in restitutione damni, secundum quod probabitur, aut jurabitur, ut supra, lite contestata vel non. Et quod possit quilibet de communitate con-

condemnata realiter & personaliter pro toto damno conveniri, habendo regressum contra suam communitatem, & damnum dantem de eo, quod coactus solverit pro damni refectione.

De damnis absconse datis circa civitatem Veronæ. LXXVI.

ITEM Statuimus, quod si contigerit aliquod damnum absconse dari circa civitatem Veronæ in suburbiis, in aliquibus possessionibus seu rebus, de quibus supra in proximo Statuto facta est mentio, & contrata sive vicinia illius suburbii accusata fuerit de dicto damno, tunc procedatur, & fiat contra ipsam contratam & viciniam ad dicti damni emendationem in omnibus & per omnia, sicut in supradicto Statuto *de damnis absconse datis in villis* ordinatum est, singula singulis referendo,

Reformatio pro Statuto de damnis absconse datis. Cap. LXXVII.

SPECTABILES viri D. Leonardus de Peregrinis, & D. Christophorus de Bandis Provisores communis Veronæ, tulerunt ad hoc consilium infrascriptam dicti Statuti cum rigore & justitia practicati reformationem, compilatam quidem in pluribus sessionibus plurium generis civium, tenoris infrascripti, videlicet.

CHRISTOPHORUS Mauro Dei gratia Dux Venetiarum &c. Nobilibus & sapientibus viris Alexandro Marcello de suo mandato Potestati, & Aloysio Bembo Capitaneo Veronæ, & successoribus suis fidelibus dilectis salutem, & dilectionis affectum. Venientes ad conspectum nostri Dominii fidelissimi nostri Tebaldus de la Capella & Franciscus de la Turre Oratores istius fidelissimę Communitatis nostræ, infrascripta capitula, seu Statutorum reformationes nomine communitatis ipsius porrexerunt, supplicantes, ut illa confirmare dignemur. Nos itaque, qui pro devotione & fide communitatis ipsius ad nostrum Dominium in illam propensi sumus cum nostro Collegio, a Rogatorum Consilio auctoritatem habentes, ea approbavimus, atque confirmavimus, volentes, vobisque mandantes, ut illa servetis, ac servare faciatis.

Reformetur autem hoc Statutum *de damnis absconse datis*, quod est in tertio libro voluminis Statutorum ad capitulum lxxv., ut debeat amodo intelligi, practicari, & observari cum correctionibus, modificationibus, & additionibus infrascriptis, videlicet.

Primo, quod quicumque voluerit de damno sibi absconse dato accusam, denunciam, vel querelam facere, teneatur & debeat illam facere in termino dierum xx. a die scientiæ, & jurare non ante scivisse, ultra quod tempus nullatenus audiatur.

Item

2. Item, quod dictus talis accusator teneatur & debeat in dicta sua accusa, denuncia, vel querela tunc declarare quod, & quale damnum sit sibi datum, & simul de quanta quantitate rei, ac de quanto valore ipsius damni ipse potest & est paratus jurare ad sacramentum sibi deferendum, ut infra, & hoc ut adversæ parti sit facultas ante tale juramentum probaodi contrarium de toto, vel de parte. Quod si fecerit, idest, si probaverit dictum damnum fuisse citra dimidiam ejus, quod ille obtulerit se jurare, ipse accusatus in expensis condemnetur. Et ut facilius pro utraque parte veritas habeatur, teneatur accusator, cui damnum sit datum in frugibus terræ, vel fructibus arborum pendentibus, videri fecisse dictum damoum per personas idoneas, antequam aliquid aliud de ipsis frugibus, aut fructibus moveat, aliter autem non audiatur.

3. Item, quod de illatione cujusque damni stetur sacramento damnum passi, ut in Statuto lxxv. h. lib. De quaotitate vero, & de æstimatione stetur juramento illius usque ad summam taotum librarum trium denariorum; abinde vero supra, tam de quantitate quam de æstimatione, observetur idipsum Statutum mox relatum. Et si tale juramentum aliter, quam per D. Potestatem & curiam delatum fuerit, a dictis libr. tribus supra non valeat neque teneat, & nullum adversæ parti inferat præjudicium.

4. Item, quod super hujusmodi accusis, denunciis, vel querelis, & similiter super aliis quibuslibet de quasi, D. judex, sive & notarii maleficiorum procedere non possint nec debeant, nisi ad iostantiam accusantis, vel querelantis, & ejus expensis, juxta Statutum octavum in tertio lib. Et quod oon possint nec debeant mittere ultra quam duas citationes ad defeosiooem; quæ quidem signari debeant in principio commissionis intitulando *de quasi*, & primam *pro prima*, & secundam *pro secunda*, sub pœna notario qui contrafecerit, privationis ab officio per illum annum.

Qua quidem reformatiooe sic lecta, & disputato pro & contra super ipsa, posita fuit pars & capta de ballottis lix. pro, 1. contra Publicata die sabbathi xxii. Febr. Mccccl xvi.

Data in nostro Ducali Palatio, die xxviii. mensis Julii. Indictione xiv. Mccccl vi.

De maleficiis, seu damnis datis a bannitis.
Cap. LXXVIII.

SED, si bannitus aliquod maleficium, seu damnum fecerit in villa aliqua vel ejus pertinentia, per incendium, per incisionem vioearum, olivarum, aut aliarum arborum, seu bladorum, vel aliarum rerum; seu aliter damnum dederit de iis, quæ in superiori Statuto lxxv. *de damnis absconse datis in villis* comprehenduotur, & de quibuscumque aliis, seu per violentiam, seu quocumque alio modo, de die, vel de nocte, quod com-

commune illius terræ, in cujus curia factum fuerit, sive propinquius commune, si esset factum in confinio plurium, ut supra in citato Statuto lxxv. continetur, compellatur ad voluntatem D. Potestatis & totius curiæ, vel majoris partis dictum damnum emendare secundum quod probatum vel juratum fuerit, ut supra, in dicto Statuto continetur. Si vero villa fuerit parva, quæ a bannitis se defendere nequiverit, sit arbitrio D. Potestatis & dictæ curiæ, an ipsa villa debeat emendare, vel non. Et hoc modo servato, quod illa persona, cui mendum factum fuerit per aliquod commune alicujus villæ, dare debeat omnes suas rationes, quas contra malefactores habuerit, illi communi quod mendum fecerit.

Quod communia villarum teneantur dare malefactores in fortiam communis Veronæ. Cap. LXXIX.

ITEM Statuimus, quod si quis fecerit maleficium, aut damnum dederit aliquod de prædictis in tribus superioribus Statutis comprehensis, sive sit bannitus, sive non, & steterit in villa tempore quo fecerit maleficium, sive damnum, & post illud perpetratum, quod commune & homines teneantur eum & eos capere, & dare ac consignare D. Potestati Veronen. & ejus nunciis; quod si non fecerint, damnum restituere teneantur, si malefactor solvendo non esset.

Qualiter deprædatis in districtu Veronæ satisfieri debeat. Cap. LXXX.

ITEM Statuimus, quod si aliqua persona in aliqua villa districtus Veronæ fuerit deprædata, & homines terræ fuerint negligentes ad prosequendum, & capiendum malefactores, quod tunc commune ipsius villæ ad emendationem damni, si prædictis resistere potuerint, omnimode teneatur. Et si prædicta extra villam fuerint perpetrata, tunc sit in arbitrio D. Potestatis & totius curiæ, vel majoris partis, utrum velint eos, qui fuerint in agris vicinis seu proximis dictæ robariæ, sive eos, qui audiverint aut audire potuerint rumorem, condemnare ad damni restitutionem; an commune villæ.

Ut massarii villarum teneantur ponere custodes ad merces, ad havere, & *ad naves expensis mercatorum. Cap. LXXXI.*

ITEM Statuimus, quod si alicui villæ districtus Veronæ de cætero aliquis nauta cum navi, seu mercator cum mercibus, vel *havere* in die applicuerit, & ibi hospitatus fuerit, & a massario illius villæ petierit in die, ut navis vel *havere* custodiatur in nocte per homines illius

illius villæ, idem massarius & commune teneantur idoneos custodes dare ad expensas petentis. Et si facere recusaverit massarius, aut commune, & damnum datum fuerit de navi, seu *bavere*, D. Potestas cogat illum massarium requisitum, & suum commune damnum prædictum restituere, & reficere: & unusquisque dictorum custodum habere debeat pro sua mercede sex solidos.

HÆC SUNT STATUTA DE REBUS PROHIBITIS CONDUCI EXTRA, ET INTRA DISTRICTUM VERONÆ.

De lignamine non conducendo extra districtum sine licentia. Cap. LXXXII.

LIGNAMEN nulla persona extrahere possit, neque conduci facere extra districtum Veronæ sine licentia D. Potestatis, sub pœna ejus arbitrio.

De stracils, & vitris non extrahendis. Cap. LXXXIII.

ITEM Statuimus, quod aliqua persona non audeat extrahere, nec extrahi seu conduci facere, extra districtum Veronæ aliquas stracias a chartis, neque vitra rupta a fornasiis, sub pœna perdendi illas & illa, & tantundem, quantum valent: cujus dimidia sit accusatoris, si accusator fuerit, & reliquum domus mercatorum.

De blado, & alis victualibus non portandis extra civitatem sine licentia D. Potestatis; & quæ, ac quantæ res portari possint per districtum Veronæ sine bulleta. Cap. LXXXIX.

ITEM Statuimus, quod nulla persona deferat, seu portari faciat extra civitatem & burgos Veronæ sine licentia D. Potestatis, bladum, farinam, & legumen, vinum, oleum, sal, & carnes, seu alia victualia; & si detulerit, seu deferre inventa fuerit usque ad duo minalia bladi, vel farinæ, seu leguminis, rem amittat, & pro minali quolibet, & in ratione minalis in x. sol. communi Veronæ condemnetur. Et si ultra duo minalia bladi, vel farinæ, seu leguminis deferre inventa fuerit, seu detulerit, rem ipsam amittat, & pro quolibet minali, & in ratione minalis communi Veronæ in xx. sol. condemnetur: & hoc habeat locum usque ad x. minalia. Si vero ultra decem minalia detulerit, sive deferre inventa fuerit, rem ipsam amittat, & in xl. sol. pro quolibet minali, & in ratione minalis communi Veronæ condemnetur. Et prædicta locum habeant, si prædictæ res non portentur extra districtum, vel apud confinia districtus Veronæ. Eo salvo quod molendinarii, qui habent mo-

molendina in suburbiis, vel apud civitatem, vel burgos Veronæ, possint ipsum bladum, vel legumen portare ad ipsa molendina pro macinando, cujus bladi, seu leguminis farinam reducere teneantur in civitate, seu burgis Veronæ, unde acceperint; quod si non fecerint, solvant pro quolibet minali lx. sol. Et prædictum Statutum, & pęnæ, & omnia quæ continentur in eo habeant locum super facto olei, ita quod ubi dicit *unum minale*, intelligatur, quod idem juris sit in una baceta olei. Eo salvo, quod unaquæque persona sine bulleta portare possit per totum Veronen. districtum infrascriptas res: videlicet, unam bacetam olei, medium modium vini albi, & medium modium vini vermilii, etiam super eodem plaustro unum minale fructuum arborum, exceptis mandulis, unum minale farinæ, unum starium leguminis, unum starium salis, duos caseos, allia, cępe, semulas, & carnes siccas usque ad unam mezenam; lectum vero, sive lectos per totum districtum Veronæ licet portare, exceptis ad villas, quæ sunt ad confinia districtus Veronæ. Et quod D. Potestas possit & debeat dare licentiam portandi lectos, qui sunt ad confinia cuilibet petenti, & facienti bonam securitatem de ipsis lectis reducendis ad civitatem Veronæ, ad voluntatem ipsius D. Potestatis.

De blado, vel legumine non conducendo extra districtum Veronæ.
Cap. LXXXV.

ITEM Statuimus, quod nulla persona de civitate Veronæ & ejus districtu, aut forensis possit, vel debeat per se vel alium emere in districtu Veronæ bladum, vel legumen caussa portandi extra districtum Veronæ, nec ipsum bladum, vel legumen emptum vel non emptum, nec aliquod aliud bladum, vel legumen de civitate, vel districtu Veronæ portare extra ipsum districtum: sed nec per ipsum districtum versus confinia, ad duo milliaria prope ipsa confinia, nec per Lacum Gardæ sine licentia D. Potestatis. Et qui contrafecerit, amittat ipsum bladum, & legumen. Et si conduceret extra districtum, amittat etiam bestias, plaustra, boves, ac naves, in quibus seu super quibus illud portaretur; & insuper peculianiter condemnetur, arbitrio D. Potestatis & totius curiæ, vel majoris partis, inspecta qualitate negotii, & conditione personarum; quarum pœnarum dimidia sit accusatoris, vel inventoris.

De carnibus recentibus, vel salitis extra districtum non conducendis.
Cap. LXXXVI.

ITEM, quod nulla persona civis, vel forensis audeat, vel præsumat extrahere, vel extrahi facere extra districtum Veronæ aliquas carnes recen-

ventes, vel salitas, sine licentia D. Potestatis, pœna centum sol., & amissionis dictarum carnium.

De bestiis extra districtum non conducendis. Cap. LXXXVII.

ITEM Statuimus, quod nulla persona civis, vel forensis audeat, vel præsumat conducere vel conduci facere extra districtum Veronæ, etiam cum licentia datiariorum, sine speciali licentia D. Potestatis aliquas bestias, pœna & banno x. libr. pro bestia grossa, & pro bestia minuta xx. sol. & amissionis ipsarum bestiarum. Et quilibet sit accusator, & habeat tertium dicti banni, unum tertium sit cameræ Illustriss. nostri Dominii, & aliud communis Veronæ, vel domus mercatorum, & artis lanæ, si officialis dictæ domus, vel artis fuerint inventores. Salvo quod si aliqua persona iverit extra districtum Veronæ cum aliquibus bestiis, utputa ad invernandum, animo redeundi domum, & ipsas bestias retroduxerit, vel per eum non steterit quominus retroducantur, sed per aliquem casum fortuitum, vel aliquam justam caussam, tunc non teneatur, nec in aliquo puniatur, nec ad aliquod datium redditus vel exitus teneatur, dummodo prius specialem licentiam habuerit a D. Potestate, & securitatem præstiterit pœnes cancellarium communis de reconducendo ipsas bestias. Et salvo quod cives, & habitatores Veronæ, ejusque districtus possint cum runcinis, & runcinabus suis, & aliis jumentis, ac pulledris ire, & redire pro libito voluntatis.

De pecudibus Veronensibus non extrahendis. Cap. LXXXVIII.

ITEM Statuimus, quod de territorio Veronensi non extrahantur, nec extrahi possint pecudes Veronenses in magna vel parva quantitate, & quod contrafacientes & consentientes perdant ipsas pecudes sive earum valorem, & viginti sol. pro quaque: & datiario qui talem licentiam fecisset, sit pœna perdendi datium, & centum libr. denar. pro quoque datiario, & quaque licentia, sive bulletta. Et quilibet sit accusator, & habeat tertium dicti banni, unum tertium sit cameræ Illustrissimi Dominii nostri, & aliud communis Veronæ, vel domus mercatorum Veronę, & artis lanæ, si officiales dictæ domus, vel artis fuerint inventores.

De pecudibus forensibus non conducendis. Cap. LXXXIX.

ITEM, quod pecudes forenses in magna vel parva quantitate non conducantur, nec conduci possint ad civitatem, vel districtum Veronæ, neque pro remanendo, neque pro pasculo, seu hybernando, neque pro eas tondendo. Et qui conduxerit, vel conduci fecerit, aut eme-

rit, aut alio modo habuerit de illis, vel earum lana, perdat illas & illam, & tantundem, quantum fuerit valor earum vel ejus. Et qui dederit eis pascua vel fœnum, cadat in pœna l. lib. dena., & perdat pretium pascuorum & fœni dati. Quæ pœnæ dividantur, & applicentur pro tertia parte accusatori, vel inventori, & pro alia tertia cameræ Illustriss. Dominii nostri, & pro alia communi Veronæ, vel domui mercatorum Veronę, & arti lanę, si officiales dictę domus, vel artis fuerint inventores.

De pecudibus Veronensibus non insocidandis, vendendis, donandis, vel aliter alienandis extra districtum.
Cap. XC.

ITEM Statuimus, quod nulla persona civitatis & districtus Veronæ debeat insocidare, vendere, donare, nec aliter alienare aliquas bestias pecudinas in magna vel parva quantitate alicui personę, quę velit eas conducere extra districtum Veronensem, & quę non stet & habitet in civitate & districtu Veronæ, in, & sub pœna xx. sol. pro quaque bestia pecudina, & amissionis dictarum bestiarum, sive earum valoris. Cujus pœnæ tertia pars sit accusatoris, (& quilibet possit esse accusator, vel inventor, & quilibet officialis possit inventor esse) & tertia camerę Illustriss. Dominii nostri, & alia tertia communis Veronæ, vel domus mercatorum, & artis lanę, si officiales dictæ domus, vel artis fuerint inventores. Quinimo, quod omnes vendentes, donantes, vel aliter alienantes pecudes, sive bestias pecudinas in civitate, vel districtu Veronæ teneantur, & debeant accipere ab emptore, donatario, vel alias acquisitore bonam cautelam, seu securitatem, quod ipsas pecudes, seu bestias pecudinas non conducet extra districtum Veronensem, aliter si extra conducerenrur, dicti vendentes vel aliter alienantes sint & esse intelligantur in culpa, & teneantur ad pœnam prędictam.

De pecudibus forensibus non accipiendis, nec tenendis in socidum.
Cap. XCI.

ITEM, quod nulla persona civitatis & districtus Veronæ debeat accipere, nec tenere in socidum directe vel indirecte pecudes alicujus personæ forensis, & quæ non habitet in Verona, vel ejus districtu, & faciat factiones & onera cum communi Veronę, sub pœna tam danti, quam accipienti perdendi pecudes, & xxv. libr. denar. pro quaque parte pecudum. Et notario qui tale instrumentum confecisset, libr. decem pro quaque parte pecudum; & testibus, libr. quinque pro quoque & quaque parte pecudum. Quarum pœnarum tertia pars sit accusatoris, vel inventoris, (& quilibet possit esse accusator, & quilibet officialis possit esse

esse inventor,) alia tertia sit cameræ Illustrifs. Dominii nostri, & alia tertia communis Veronæ, vel domus mercatorum, & artis lanæ, si officiales dictæ domus, vel artis fuerint inventores. Et quilibet officialis communis Veronæ possit inquirere, & adstringere ad sacramentum quemlibet, qui sibi videbitur adstringendus pro inquisitione veritatis.

De pellibus crudis non extrahendis sine licentia, & contralittera.
Cap. XCII.

CUM multę pelles crudę extrahantur aliquando de civitate, & districtu Veronæ sub nomine pellipariorum de Venetiis, qui facultatem habent extrahendi illas de omnibus terris Dominii per partem Ducalem captam anno Mccccxxxvii. & conducantur Vicentiam, & alio ad moltizandum & confectandum, cum magno interesse civitatis & artis pelliparíorum Veronæ; Ideo ad obviandum huic fraudi, & pro meliori observatione, & executione dictæ partis Ducalis, Statuimus, quod aliquæ pelles crudæ non possint extrahi, vel conduci extra districtum Veronæ sub nomine pelliparíorum Venetorum, nisi cum licentia D. Potestatis de sua cancellaria scripta, & sigillata, & nisi dicto officio cancellariæ illa talis persona idoneam dederit securitatem de reportando ab officio communis Venetiarum ad quod spectat, in termino xx. dierum, contralitteram, *quod dicta quantitas pellium sit conducta, & præsentata Venetiis crudarum, & non laboratarum*. Quod si non fecerit, quicumque in aliquo de prædictis contrafecerit, cadat in pœnam duplicati valoris dictæ quantitatis pellium; cujus pœnæ tertia sit accusatoris vel inventoris, tertia artis pelliparíorum Veronæ, & tertia communis Veronæ. Salvis omnibus Statutis, & prohibitionibus in reliquis.

De lanis nostranis non extrahendis. Cap. XCIII.

ITEM Statuimus, quod de territorio Veronensi non extrahantur, nec extrahi possint lanæ Veronenses in magna vel parva quantitate; & quod ementes, & vendentes, & conducentes, & aliter contrafacientes perdant lanam, & ipsius lanæ valorem duplicatum; & datiario, qui talem licentiam fecisset, sit pœna perdendi datium, & centum libr. denar. pro quoque datiario, & quaque licentia, sive bulleta; & quilibet sit accusator, & habeat tertium dicti banni, aliud tertium sit cameræ Illustrifs. Dominii nostri, & aliud communis Veronæ, vel domus mercatorum, & artis lanæ, si officiales dictæ domus, vel artis fuerint inventores: intelligendo lanas nostranas illas tantum, quæ natæ sunt in territorio Veronensi.

De

De lanis, telis, & flaminibus forensibus non conducendis.
Cap. XCIV.

ITEM, quod lanę forenses, telæ, vel flaminia forensia in magna vel parva quantitate non conducantur nec conduci possint ad civitatem, vel districtum Veronæ; & quod qui conduxerit, seu conduci fecerit, aut emerit, vel alio modo habuerit, perdat illas & illa, & tantundem, quantum valent: quæ pœna dividatur & applicetur, pro tertia parte accusatori vel inventori, & pro alia tertia cameræ Illustriss. Dom. nostri, & pro alia communi, vel domui mercatorum & arti lanæ, si officiales dictæ domus, vel artis fuerint inventores, exceptis lanis de Flandra, & de Sancto Matthæo: intelligendo lanas forenses omnes, quę non sunt natæ in territorio Veronensi.

De alienationibus rerum immobilium prohibitis fieri alicui forensi.
Cap. XCV.

ITEM Statuimus, quod aliqua persona, cujusvis conditionis & status existat, non possit nec debeat vendere, permutare, legare, donare, dotare, aut in testamento, vel alia ultima voluntate, nec etiam usumfructum relinquere, non locare ultra x. annos, nec ad renovandum, nec in feudum dare, nec aliquo alio modo qui dici, vel excogitari possit proprietatem, vel usumfructum transferre, seu aliquo alio modo caussa, vel titulo alienare aliquam rem immobilem positam seu sitam in aliqua parte seu loco civitatis, aut districtus Veronæ alicui, qui non sit civis, & habitator civitatis Veronæ, vel ejus districtus, & de jurisdictione communis Veronæ, & cum communi, & hominibus Veronæ non subeat, & faciat onera, datias, collectas, & alias quaslibet factiones, & non vadat cum hominibus, & communi Veronæ prædictis in exercitum, cavalcatas, & alias quaslibet andatas. Quicquid autem contra hujus Statuti prohibitionem quocumque modo, vel caussa fuerit attentatum, sit ipso jure irritum & inane. Res quoque alienata, vel relicta ipso facto publicata intelligatur, & in communi Veronæ officio Provisorum deveniat, in ipsius communis proprietate, ac dominio permansura. Insuper quod venditor prætium amittat, & veniat in commune. Et notarius, qui inde fecerit instrumentum, scilicet, venditionis, legati, donationis, aut testamenti, aut alterius ultimæ voluntatis, vel alterius de prædictis, condemnetur in dimidia valoris rei, & testes in dimidia ejus, quo notarius fuerit condemnatus, pro quolibet & qualibet vice, qua fuerit contrafactum. Et de prædictis omnibus & singulis, quilibet sit accusator, & habeat tertium dicti banni, & teneatur in credentia, & unum aliud tertium habeat camera Illustrissimi nostri Dominii, & aliud

aliud tertium remaneat in communi. Et si accusator non intervenerit, provisor, vel provisores communis Veronæ, aut alius officialis communis, qui prædicta fieri fecerit, habeat dictum tertium, quod accusator habuisset. Et hoc Statutum non habeat locum in rusticis forensibus venientibus cum eorum massaritia, & familia ad standum, & habitandum in districtu Veronæ pro laborando terras de dicto districtu: & salvo, quod clerici succedere possint conjunctis personis, tam ex testamento quam ab intestato, prædicto Statuto non obstante,

De castellis, villis, & podere in confinio positis non alienandis. Cap. XCVI.

ITEM, quod nulla persona de civitate, vel districtu Veronæ habens castellum, villam, seu aliud podere in confinio districtus Veronæ possit illud vel illam alicui personæ, vel communi, collegio, vel universitati alterius districtus totum vel totam, partem, vel particulam, vendere, impignare, infeudare, locare, dotare, vel aliquo alio modo, seu quovis ingenio alienare. Et si contrafactum fuerit, nullius sit momenti, & sit irritum ipso jure. Et insuper, qui contrafecerit, in l. libr. Veronen. condemnetur, & plus & minus, arbitrio D. Potestatis, seu Illustriss. D. nostri, & curiæ, inspecta qualitate facti, & personarum. Et prædicta locum habeant, tam in preteritis, quam in futuris. Et de prædictis D. Potestas & judex maleficiorum inquisitionem quolibet anno facere teneantur. Et Provisores communis Veronæ, ac vicarii dictorum confinium, & massarii villarum singulariter advertant, & denuncient D. Potestati, & consilio deputatorum Veronæ, pœna & banno, ipsis Provisoribus & vicariis, arbitrio ipsius D. Potestatis, & curiæ, ipsis autem massariis x. libr. de suis propriis bonis; & quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni.

De possessionibus non laborandis, nec dandis ad laborandum alicui, qui non stet cum familia in civitate vel districtu Veronæ. Cap. XCVII.

ITEM, quod aliqua persona, quæ non habitet cum sua familia in civitate, vel districtu Veronæ, non possit laborare, nec laborari facere per aliquam personam, quæ similiter non habitet, prata, terras, seu vineas in districtu Veronæ modo aliquo, vel ingenio: & quod aliqua persona non possit ei dare terras, prata, seu vineas ad laborandum, sive ad mercedem, vel ad fictum. Et qui contrafecerit fruges, & redditus amittat, & in communi Veronæ condemnetur in decem libr., & plus & minus, arbitrio D. Potestatis & totius curiæ, vel majoris partis, inspecta qualitate personarum, terræ, & facti. Et massarii villarum, & cujus-

cujuslibet loci teneantur & debeant prædicta denunciare infra mensem D. Potestati, pęna decem libr. pro quolibet & qualibet vice de suis propriis bonis: & quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni.

Qui venditionem duobus fecerit, & qui rem vendiderit præstationi subjectam sine domini licentia, vel aliter alienaverit, qualiter puniatur.
Cap. XCVIII.

ITEM Statuimus, quod si aliqua persona de Verona & ejus districtu venditionem, vel aliam alienationem fecerit alicui personæ de aliquibus terris, domibus, vel possessionibus seu possessione, de quibus vel de qua in aliam personam antea fecisset venditionem, vel aliam alienationem, condemnetur pro qualibet vice communi Veronæ in l. lib. & plus & minus, arbitrio D. Potestatis & totius curiæ, vel majoris partis, inspecta facti qualitate. Et secundus emptor, vel alius acquisitor primum emptorem, seu acquisitorem impedire non possit in possessione dictarum possessionum & terrarum, si primus emptor, vel aliter acquisitor ipsam alienationem sibi factam fecerit publicari in arengo communis Veronæ infra mensem, vel postea quandocumque ante secundam alienationem; vel ea non publicata, habuerit pęnes se corporalem possessionem de facto ante ipsam secundam alienationem. Venditor autem, vel alienator publicata prima venditione, seu alienatione in arengo, vel non publicata, sed tradita de facto possessione primo emptori, sive acquisitori, teneatur, & debeat restituere incontinenti prætium, vel id quod recepisset secundo emptori, vel acquisitori cum omni suo damno, expensis, & interesse: quod si non fecerit, quia non potuerit vel noluerit, in carceribus communis Veronæ detrudatur, ibique permaneat, donec secundo emptori vel acquisitori plenius fuerit satisfactum. Eadem pęna puniatur quęcumque persona domum, terram, vel aliam possessionem, de qua, vel pro qua, livellum, fictum, vel drictum, vel aliam præstationem dare teneatur alicui personæ, sine licentia domini vendiderit, vel aliter alienaverit. Et quod ipsa alienatio, tam jure proprietatis quam possessionis, ipso jure non valeat; & quod D. Potestas, judices, & alii officiales communis Veronæ teneantur ipsum, cui dictum fictum, livellum, drictum, seu quælibet alia pensio præstabatur, inducere de facto in possessione ipsarum rerum, sine aliqua scriptura facienda, vel aliqua juris solemnitate, & inductum defendere, omni detentore expulso.

Qui

Qui intraverit possessionem ab aliquo possessam, quomodo puniatur. Cap. XCIX.

ITEM Statuimus, quod si aliqua persona sua auctoritate sine licentia possidentis intraverit domum seu possessionem ab alio possessam, caussa laborandi, vel quid aliud faciendi, condemnetur, communi Veronæ in x. libr., & amittat laborerium; & ulterius non turbet possessorem in possessione, & restituat fruges, si quas acceperit. Eadem pœna puniatur quælibet persona, quæ prædicta fieri mandaverit, aut fieri fecerit, & quod ille vel illa, quæ mandaverit, aut fieri fecerit prædicta, puniatur, & condemnetur ex virtute primæ accusationis communi Veronæ, & actori.

Qui in possessione rei alienatæ intraverit, quomodo puniatur. Cap. C.

ITEM Statuimus, quod si aliqua persona de cætero intraverit possessionem, seu tenutam alicujus petiæ terræ, domus, vel alterius possessionis, de qua ipse, vel ii, quorum hęres esset, venditionem, vel aliam alienationem in aliquam personam fecissent, postquam emptor vel alio titulo acquisitor, vel eis successor rei acquisitæ possessionem, vel tenutam apprehenderit sine licentia ejus, qui eam rem acquisierit, vel hæredis ejus, aut successoris, puniatur pro qualibet vice, qua hæc commiserit, in x. libr., & restituat possessionem.

De terris vigris non laborandis sine licentia. Cap. CI.

PROVIDERE volentes indemnitati Ecclesiarum, pupillorum, viduarum, & aliorum, qui per injuriam, vel per novitates occursas, sua forte jura, & instrumenta perdiderunt, & obviare malitiæ, & usurpationi maxime rusticorum; Statuimus, quod nulla persona audeat vel presumat laborare, nec laborari facere aliquam petiam terræ vigram in districtu Veronen. quæ fuerit vigra per x. annos, antequam in ea sit facta cultura, vel laborerium; & hoc absque licentia D. Potestatis speciali. Qui D. Potestas in præbendo licentiam eamdem, debeat primo bonam informationem habere cum civibus & consortibus illius villæ, in cujus pertinentiis fuerint dictę petię terræ, vel cum majori parte ipsorum consortium, prius citatis cohęrentibus; & cum ipsis bene informari de ipsa licentia danda, vel non danda ipsi petenti velle laborare petiam terrę vigrę. Et si quis contrafecerit, pro quoque campo & quaque vice in l. libr. denar. parvorum, & in ratione campi condemnetur, cujus pœne medietas sit accusatoris. Et quilibet possit esse accusator, & teneatur in credentia. Et insuper, quod dicta talis persona

 ex

ex dicto laborerio non intelligatur aliquam possessionem civilem vel naturalem acquisivisse, vel jus aliquod habere in dictis terris; & ultra amittat omnes expensas, & laborerium, & melioramentum factum, nullo obstante temporis cursu. Et hoc locum habeat in præteritis, præsentibus & futuris.

Die Jovis XIV. Decembris MCCCC LVIII. in Consilio XII. & L. Deputatorum, præsente magnifico D. Potestate.

Pro Statuto de terris vigris non laborandis sine licentia, supra posito.

CUM videatur dictum Statutum nimiam continere difficultatem, & rigorem, vadit pars, quod illud reformetur. Primo ut citari sufficiat cohærentes nominatim, si sunt, & si non sunt, tunc sufficiat in villa illius pertinentiæ, vel loco fieri proclamatio, per quam in genere citentur sua interesse putantes. Item quod pœna minuatur, & sit in libr. X. pro quoque campo, & plus & minus, arbitrio D. Potestatis & curiæ, inspecta qualitate loci, & facti, ac conditione personarum.

Et quod hæc reformatio locum habeat in præteritis, præsentibus, & futuris. Posita per d.d. provisores communis Veronæ, & capta de ballottis XXXVII. pro, & XI. contra.

Subinde per Joannem Donatum de Odonibus unum de XII. super dicto Statuto cum reformatione suprascripta, posita fuit pars, quod addatur, *quod istud Statutum, & reformatio non habeat locum in disvigrantibus terras proprias vel condititias, quantum ad licentiam petendam, & ad pœnam*. Capta de ballottis XXXII. pro, & XVI. contra.

De pœna cavantis seu extirpantis terminos de confinibus alicujus.
Cap. CII.

ITEM Statuimus, quod si aliqua persona cavaverit seu extirpaverit, vel extirpari seu cavari fecerit manualiter de confinibus terminos alicujus, emendet pro qualibet vice XXV. libr. pro quolibet termino, & terminus in suo statu redigatur. Si vero cum aratro & non fraudulenter, cavaverit aut extirpaverit, tunc dicta talis persona teneatur ea die, vel sequenti denunciare illis personis tenentibus, & laborantibus terras confinantes dicto termino, vel ad domum suæ habitationis, qualiter dictum terminum cum aratro extirpaverit non fraudulenter, & quod ipsum terminum sive terminos parata est reponere suis expensis in suo pristino statu; quod si non fecerit, puniatur in centum sol., & nihilominus dictum terminum, sive terminos in suum pristinum statum suis expensis reducere teneatur.

Ne

Ne aliquis Colonus pervertat possessionem domini, sed teneatur illam domino demonstrare. Cap. CIII.

ITEM Statuimus, quod nulla persona, quæ manifestaverit tenere, & possidere aliquam possessionem, vel domum, vel rem aliquam ab aliqua persona, seu quomodolibet ipsam teneat, aut tenuerit ab aliqua persona, audeat, vel præsumat manifestare, tenere, & possidere eamdem domum, seu possessionem, vel rem pro aliqua persona; nec etiam audeat quotiescumque coram judice fuerit requisita denegare, se tenere & possidere possessionem, vel domum, vel rem pro eo, pro quo tenebat, vel pro eo, pro quo manifestavit tenere & possidere; & quod ipsam possessionem, domum, vel rem teneatur sibi demonstrare, vel judicare cum novis, & veteribus cohærentiis suis, quotiescumque de hoc fuerit requisita. Et qui contrafecerit, puniatur in amissione omnis juris quod haberet in ea, si dominus voluerit; & insuper in vigintiquinque lib. & minus, arbitrio D. Potestatis & totius curiæ, vel majoris partis. Insuper denegatio, vel secunda manifestatio nullum faciat præjudicium ei, a quo primo tenebat, nisi hoc fecerit voluntate ejus a quo tenebat, vel præcepto D. Potestatis, seu judicum, vel consulum communis Veronæ, facta per eum prius denunciatione possessori.

Quod laboratores terrarum teneantur denunciare dominis, quando possessiones fuerint occupatæ. Cap. CIV.

ITEM Statuimus, quod si aliqua persona laboraverit, seu tenuerit aliquas terras, possessiones, domos ab aliqua persona ad fictum, drictum, seu livellum, & dicta domus, terra, seu possessio fuerit occupata in totum, vel in partem ab aliqua alia persona, communi, capitulo, seu universitate, vel si aliqua tenuta accepta fuerit, de prædictis incontinenti, infra xv. dies, ex quo idem laborator prædicta sciverit seu scire potuerit, idem laborator teneatur hoc domino, a quo tenet dictas terras, domos, seu possessiones, denunciare, pœna & banno x. lib. pro quolibet & qualibet vice: insuper, & damnum quod domino exinde evenerit, restituere teneatur. Si vero dictus laborator quocumque modo occupaverit de aliena terra, & possessione sibi cohærente, condemnetur in x. lib. & plures & minus, arbitrio D. Potestatis & totius curiæ vel majoris partis, inspecta qualitate negotii, & personæ.

De designatione facienda per massarios, & homines villarum de terris & possessionibus, cum fuerint requisiti. Cap. CV.

ITEM Statuimus, quod quotiescumque D. Potestas, judices communis Veronæ, vel alii officiales miserint præcipiendo ad postulationem alicujus vicariis, sive massariis, seu hominibus alicujus villæ, vel loci, quod debeant designare aliquas terras, vel possessiones alicui, vel aliquibus, quod eas eidem, vel eisdem debeant designare, in pœna, & banno x. libr. pro quolibet, & qualibet vice, & plus & minus, arbitrio D. Potestatis & totius curiæ, vel majoris partis, inspecta qualitate personarum, & facti.

Ne occasione alicujus designationis impediantur, vel devastentur possessiones, vel arbores alicujus. Cap. CVI.

ITEM Statuimus, quod communia alicujus villæ, seu alia quævis persona non impediat nec devastet terram, possessionem, vel arbores in totum vel in partem, alicujus personæ occasione designationis, quæ fieret pro suo communi, sed quiete eam personam possidere permittat. Et quod non fiat aliqua designatio in aliqua villa, seu ejus pertinentia, in qua ponantur aliquæ possessiones, & arbores alicujus singularis personæ; quod si contrafieret, ipso jure non valeat; & contrafaciens puniatur pro quaque vice, in xxv. libr. Eo salvo, quod si commune illius villæ in terris, domibus, possessionibus, & arboribus, quæ ab aliquo detinentur, dicere voluerit se aliquod jus habere, quod tunc in jure ordinario teneatur petere jura sua. Idem observetur in fortibus circumstantibus civitatem, & suburbia Veronæ.

De arboribus, & vineis non incidendis, seu extirpandis per laboratores earum sine licentia Domini. Cap. CVII.

ITEM Statuimus, quod nulla persona tenens, seu laborans aliquam terram, seu possessionem ad drictum, vel ad fictum ab aliquo, in qua terra, seu possessione sint arbores, seu vineæ, audeat vel præsumat ipsas arbores, seu vineas, vel aliquam earum incidere, devastare, seu extirpare, per se vel per alios aliquo modo, caussa, vel ingenio, sine licentia Domini, a quo teneret ipsam petiam terræ, seu possessionem. Et qui contrafecerit, puniatur ad arbitrium D. Potestatis & totius curiæ, vel majoris partis, & restituat damnum Domino. Salvo quod hoc Statutum non habeat locum in nemoribus; & credatur de dicto damno dato sacramento Domino, usque ad quantitatem decem librarum.

Qui

Qui tenuerit aliquem, qui cum alio ad certum tempus ſtare promiſerit, quomodo puniatur. Cap. CVIII.

ITEM Statuimus, quod ſi aliqua perſona promiſerit alicui perſonæ ſtare ſecum uſque ad certum tempus pro ſerviendo ei, & ante tempus completum ſine licentia ejus receſſerit ab eo, quod nulla alia perſona ipſam perſonam, quæ receſſerit, debeat recipere, nec tenere, ſi admonita fuerit, ſub pœna x. librarum, & nihilominus tenere non debeat; & licitum ſit ei, a quo ſine ſui licentia receſſerit, ipſum vel ipſam perſonaliter facere capi & detineri, habita prius licentia a D. Poteſtate, vel ejus judicibus.

De alienis laboratoribus non conducendis, nec retinendis. Cap. CIX.

ITEM Statuimus, quod ſi aliquis laborator agricola alicujus civis Veronæ ab ipſo cive recedens alteri ad ſerviendum adhæreat præter voluntatem & conſenſum primi patroni, ſi talis laborator agricola eidem primo forte remanſerit obligatus, & ipſe primus patronus alteri ſecundo, cui ille adhæſerit, ut præferatur, denunciaverit quod ipſum laboratorem non acceptet, & tamen ipſum in retinendo perſeveraverit, tunc & eo caſu, ipſo primo patrono jurante dictum talem laboratorem, ſeu aliquem de ſua familia ſibi eſſe ac fore debitorem, & declarante ſummam debiti; ipſe ſecundus acceptans intelligatur pro ipſo laboratore, & quolibet de ſua familia debitum ſubintraſſe, & pro ipſo debito remaneat, & compellatur in totum. Et ſi poſtquam ſibi ſecundo patrono fuerit facta de hoc Statuto denunciatio, dictum laboratorem acceptaverit, vel acceptatum tenuerit, ut ſupra, per tres dies poſtquam ſibi fuerit denunciatum, teneatur ad prædicta, & inſuper ad pœnam centum libr. communi Veronæ, & plus & minus, arbitrio D. Poteſtatis & totius curiæ, vel majoris partis.

Qui Canem alterius retinuerit, quomodo puniatur. Cap. CX.

ITEM Statuimus, quod ſi penes aliquam perſonam inventus fuerit aliquis canis alterius perſonæ, emendet pro quolibet cane lx. ſolidos, & reſtituat canem illi perſonæ, cujus fuerit. Et de hoc quilibet ſit accuſator, & habeat medietatem banni.

De

De Pecorariis, quod tenere non possint oves cum ovibus domini sui.
Cap. CXI.

ITEM Statuimus, quod nullus pecorarius, sive custos ovium, qui stet cum aliis, possit vel debeat habere vel tenere oves cum ovibus domini, quod si contrafecerit, amittat ipsas oves, vel ęstimationem, & deveniant in dominum aliarum pecudum. Et quod ipse pecorarius sive custos, vel ille qui habet pecudes in socidum, non possit vendere, vel alienare dictas oves, vel aliquam earum sine licentia domini: quod si contrafecerit, condemnetur communi Veronæ in centum solidos, pro qualibet vice, & plus & minus, arbitrio D. Potestatis & curiæ, inspecta qualitate facti, & personarum; & teneatur oves alienatas, vel earum æstimationem domino restituere. Ad quam restitutionem D. Potestas & officiales communis Veronæ teneantur sine aliqua exceptione prædictos realiter & personaliter incontinenti compellere.

Quod regatii non currant equos per civitatem. *Cap.* CXII.

ITEM Statuimus, quod aliquis regatius, vel aliter famulus non debeat currere aliquem equum in civitate, seu burgis; & qui contrafecerit, puniatur pro quolibet, & qualibet vice in lx. sol., & de hoc quilibet sit accusator, & medietatem habeat banni. Et si non habuerit unde solvere, ponatur ad catenam capitelli, vel in carceribus, & ibi moretur ad arbitrium D. Potestatis & curiæ.

Qui debitum petierit, vel aliud de quo fuerit satisfactum, quomodo puniatur. *Cap.* CXIII.

ITEM Statuimus, quod quicumque petierit debitum, vel aliquid aliud, de quo fuerit satisfactum, puniatur in xxv. libr. & plus & minus, arbitrio D. Potestatis, & totius curiæ, vel majoris partis, inspecta qualitate facti, & personarum.

Qui succubuerit in accusis & denunciationibus, quomodo puniatur.
Cap. CXIV.

ITEM Statuimus, quod si aliqui de civitate & districtu Veronæ, tam terrerii, quam foresterii de cætero aliquas caussas, seu denunciationes fecerint de aliquo seu aliquibus maleficiis, vel quasi, vel vetitis per Statuta, & maxime de caussis homicidii, furti, robariæ, adulterii, stupri, & incestus, & falsitatis instrumentorum & testium, & de percussionibus, & ferutis, de quibus sanguis exierit, (in quibus casibus D. Pote-

Potestas arbitrium habet inquirendi, & puniendi), & in ipsis accusis sive denunciationibus succubuerint; quod puniantur occasionibus prædictis arbitrio D. Potestatis & totius curiæ, vel majoris partis: salvo quod sit in mandato D. Potestatis & ipsius curiæ, an ille, qui fecerit accusationem, fecerit eam fraudulenter, an non.

De pœnis criminum non determinatis per Statuta, in quibus D. Potestas, seu Judices communis Veronæ habeant arbitrium puniendi: & de ordine interrogandi in absolutionibus, & condemnationibus faciendis. Cap. CXV.

ITEM Statuimus, quod D. Potestas, judices, & consules communis Veronæ in criminalibus, in quibus pœna non esset terminata per Statuta, liberum habeant arbitrium puniendi, & non teneantur punire, seu judicare in prædictis secundum leges, & quod illud arbitrium servari debeat, quod placuerit D. Potestati, & majori parti curiæ. Et quod in absolutionibus vel condemnationibus faciendis, primo D. Potestas suum dicat apparere, & si hoc ei placuerit sit primus qui dicat, secundo ejus Vicarius interrogetur, tertio Judices communis Veronæ, & postea judices consules, & quarto consules laici. Et quilibet de prædictis ordine successivo, quid sibi videbitur super prędictis dicere teneatur, banno centum sol. pro quolibet contrafaciente; quod bannum ipse D. Potestas ab eis, & quolibet eorum exigere teneatur.

Quæ intelligatur curia, & quot voces concurrere oporteant in absolvendo, vel condemnando. Cap. CXVI.

ITEM Statuimus, quod ubicumque dictum est *de D. Potestate, & curia*, sive *cum curia*, intelligatur curia de D. Vicario, & aliis judicibus D. Potestatis, & de judicibus consulibus laicis communis Veronæ: & ubicumque *de majori parte* dictum est, intelligatur continue, etiam si *de majori parte* non esse dictum, quod in omnibus absolutionibus, & condemnationibus concurrere oporteat *septem voces*.

De visitandis carceratis bis in mense per D. Potestatem, & judicem maleficiorum. Cap. CXVII.

ITEM Statuimus, quod D. Potestas & judex maleficiorum teneantur in principio regiminis sui, & deinceps bis in mense visitare carceres communis Veronę & carceratos in eis, & procurare, salva justitia, absolvere, & dimittere, seu condemnare. Et postquam eos, vel aliquem eorum in suam fortiam habuerint, infra xv. dies, publice faciant per civitatem præconizari, & per villam, de qua ille fuerit oriundus, & in con-

contrata, in qua morabatur, & per villam, in cujus territorio maleficium commissum fuerit, quod si aliquis sit, qui velit aliquid dicere vel opponere ei, qui captus fuerit, coram ipso D. Potestate veniat infra dictum tempus. Et quod ipse D. Potestas, vel judex maleficiorum habeat arbitrium faciendi prædicta, ut sibi melius videbitur, inspecta qualitate personarum, & facti.

Ut D. Potestas infra duos menses condemnare, vel absolvere teneatur. Cap. CXVIII.

ITEM Statuimus, quod D. Potestas, sive Rector teneatur infra duos menses de illis maleficiis, de quibus cognoverit ex officio, vel per denunciationem factam ab aliquo, vel per accusam factam de aliquo, reum condemnare, si videbitur condemnandus, vel absolvere, si videbitur, quod condemnatio non sit facienda, juxta formam Statuti tertii decimi præsentis libri. Et hoc nisi compositio facta fuerit cum consilio & voluntate totius curię, vel majoris partis.

De iis, qui amore Dei de carceribus relaxantur. Cap. CXIX.

ITEM Statuimus, quod si quis de cætero ob Dei reverentiam bis de carceribus fuerit relaxatus, & postea contingat ipsum tertio similiter relaxari, quod tunc debeat fustigari, & expelli de civitate Veronę, & ejus districtu, & toties debeat fustigari, & banniri, quoties deinceps repertus fuerit in ipsa civitate, vel districtu.

Laus Deo, ejusque Genitrici Mariæ.

Die Veneris xxv. Novembris Mccccixviii. in Consilio xii. ad utilia communis Veronæ deputatorum, præsentibus magnificis Rectoribus.

Pro officio maleficiorum reformando. Cap. CXX.

PRIMAS Prætoris partes esse criminalium administrandorum curam, ut in qua potissimum cum honore Dei & Justitiæ consistat pax civium, & omnis Reipublicæ salus. Cum igitur magnificus & generosus vir D. Marinus Maripetro Veronæ Potestas hoc esset exorsus, & significasset non esse super officium maleficiorum circa processus, tam pendentes quam expeditos, debitam diligentiam, &c. Electi fuerunt infrascripti, qui cum Magnificentia sua, & magnifici D. Capitanei, & cum eorum bono consilio intelligant, & forment capitula reformatoria, & illa huic Consilio presentent.

Spectabilis miles D. Antonius de Nogarolis.
Egregius legum doctor D. Bernardus de Brenzono.
Nobilis vir, Ser Leonardus de Peregrinis.

Egre-

Egregius vir, Ser Joannes Franciscus de Cepollis.

Item in die Dominico XVIII. Decembr. Mcccclxviii. In Consilio XII. & l. Deputatorum, præsente Magnifico D. Potestate, præfati electi die XXV. Novembris tulerunt iterum ad Consilium infrascriptas reformationes. Et supra unaquaque de per se facta disputatione, pro & contra, posita fuit pars, & capta de singulo capitulo in singulum, ut unicuique adscriptum est.

Tenor reformationis. Cap. CXXI.

IN nomine Domini nostri JESU CHRISTI. Sicut oportet ex sententia Aristotelis judicantibus pauca relinquere propter fragiles & proclives hominum passiones, quæ non sine omni lege & censura facile cohibentur; ita, & ipsa judicia scribentibus multo pauciora sunt relinquenda: notariis scil. officii maleficiorum, in quibus maxime totum etiam ipsum officium apud nos multa inordinatione laborare ac labi inventum est. Quamvis enim sint Statuta, unum in III. lib. ad capitulum III. sub rubrica, *quomodo acta scribi debeant in quaternis per notarios maleficiorum*; & aliud in lib. primo ad capitulum lxxxI. sub rubrica, *quod omnes scripturæ ad commune pertinentes, consignari debeant officio Provisorum per omnes officiales communis, eorum officio finito infra mensem*; & tamen, nec ipsa Statuta ad remedia sufficiunt, nec ipsi notarii in eorum stant observatione: quoniam multi inveniuntur processus, non modo per folia, ac cedulas divisi, sed in multis etiam substantialibus mutilati, & (quod plus est) quod libri non consignantur, nonnulli processus inveniuntur deficere, & in manibus notariorum esse totaliter perditos, defectu etiam illorum, qui ejus rei curam suscipere debuissent; & hoc quidem cum læsione justitiæ, & derogatione honoris regiminis non mediocri. Providente hæc propterea, & mandante pro sua sinceritate, diligentia, & rectitudine, Magnifico, & Generoso Viro Domino Marino Maripetro Veronæ Potestate, sicut in aliis plerisque rebus nostris sua magnificentia tam sapienter, quam favorabiliter ad bonum publicum se gessit; simul quidem cum Magnifico & Generoso equestris ordinis Viro D. Petro Mauroceno Capitaneo, qui & ipse sapientissimus, ac nostræ rei atque honori quam facilis huic plurimum caussæ tribuit; addendo ad Statuta prædicta nostra, hæc alia etiam de aliquali imitatione Statuti Paduani ordinantur: neque enim Romana Respublica Athenienſium leges fuit dedignata.

PRIMO, addendo ad Statutum secundum tertii libr. *de uno notario ad memoriale maleficiorum eligendo* ordinatur, quod ipse notarius vinculo sacramenti, & sub pœna arbitrio D. Potestatis, teneatur & debeat omni & qualibet die sessionis in Palatio semel se præsentare cum suo memoriali ad banchum maleficiorum, & ibi sedere tanto, quod ipse in suum memoriale transcribat de singulis libris illorum notariorum o-

mnes & singulas accusas, denunciationes, querelas, & inquisitiones illa die vel etiam præcedenti factas apud quemcumque de illis notariis maleficiorum, & hoc in effectu earum sicut solet, & fit; quoniam præsens etiam ordo, sicut & Statutum intendit & mandat, quod nulla de prædictis mittatur citatio, nisi prius ad hunc librum positis prædictis ponendis, ubi aliter veniret ipsa citatio retardata.

2. Item, quod de sex notariis, qui per officiales venerabilis Collegii notariorum omni anno in principio anni deputantur ad dictum banchum secundum formam Statuti lxviii. in primo libr., tres designentur specialiter & nominatim ad scribendum in casibus mere criminalibus, & alii tres in caussis de quasi maleficiis: & illi *de quasi* non se implicent ullo modo *de mero*, nec e contra. Sed tamen omnia lucra, & emolumenta dicti utriusque membri sint inter ipsos sex communia, & æqualiter inter ipsos sex, sicut ex uno corpore, dividantur; & proinde sibi constituant massarium unum ex seipsis super omni perceptione solutionum prædictarum. * Hoc idem habetur in cap. lxviii. ad calcem.

3. Item, addendo ad Statutum tertium ejusdem tertii libr. ordinatur, quod quilibet dictorum trium notariorum deputatorum *ad merum* habere debeat suis expensis singulum librum de chartis trecentis, nec pluribus nec paucioribus, signatis, unaquaque per numerum ordinarium, & insuper etiam bullam impressam D. Potestatis ab initio dandam Provisoribus communis, qui dictam stampam fieri faciant & imprimant. Et in principio ipsius libri debeant ipsi notarii ante omnia ipsum intitulare, apponendo millesimum, nomen, & pronomen Magnifici Potestatis, & sui judicis maleficiorum, & nomen ipsius notarii cum suo signo, prout faciunt in publicis instrumentis; & subsequenter de quaterno in quaternum debeant scribere in fine cujuslibet quaterni primum verbum sequentis quaterni, ut vera intelligatur continuatio. Et super illis tantum scribere debeant omnes & singulas accusas, denunciationes, querelas, & inquisitiones, defensiones etiam, ac omnia & singula acta ad illas occurrentia, & similiter etiam testimonia quorumcumque testium, quos examinari contigerit, faciendo & signando reportationes & remissiones actorum sequentium, quæ essent in aliis chartis, scribendo videlicet in fine illius paginæ, quum alia pagina de alia caussa sequeretur, in hac forma, videlicet, *sequitatur infra in chartis tot*: & hoc sub pœna lib. x. pro unoquoque & unaquaque vice, & unoquoque prædictorum omisso.

4. Item, addendo ad Statutum secundum tertii libri ordinatur, quod dicti notarii accipere non præsumant aliquam accusam, denunciam, vel querelam *de mero*, nisi præsente judice maleficiorum, vel Magnifico D. Potestate, sub pœna sol. centum pro quolibet & qualibet vice.

5. Item, quod in fine cujuslibet accusæ, denunciationis, querelæ, & inquisitionis, & similiter defensionis, & cujuslibet etiam testimonii vel ante

ante post recepti, notarius debeat ducere lineam ab ultima syllaba usque in finem lineæ, quæ restaret vacua, & sub ultima linea in totum scripta, ita prope, quod inter extremam lineam scripturæ & lineam subductam, plus scripturæ addi non possit. Et similiter etiam in fine cujuslibet lateris chartæ ducat dictam lineam, si ex illo latere attestatio, vel alia de prædictis non fuerit completa, sub pœna centum sol. pro qualibet tali linea neglecta, & incontinenti non facta, ut dictum est. Nullam vero abrasuram facere debeat, neque cancellaturam talem, sub qua littera cancellata non possit legi, sub pœna solidorum centum, pro quolibet modo prædicto facta, & qualibet vice. Et tamen de omni tali cancellatura, & similiter de quacumque interlineatura, & quacumque additione quæ sit facta in margine libri, debeat subtus lineam prædictam subductam facere mentionem, sub pęna prædicta. Cui tamen subscriptioni & mentioni D. judex debeat se subscribere. Et ipse judex prędicta procurare & inquirere teneatur, ac punire notarium, qui prædicta non servaverit, sub pęna ipsi judici librarum decem.

6. Item, quod judex maleficiorum recipere debeat accusationes, denunciationes, querelas, & eorum defensiones, & magis dicta testium, non in camera, sed ad banchum tantummodo maleficiorum, aut in capella notariorum, sub pęna librarum centum, ipsi judici recipienti, & librarum l. tabellioni scribenti, pro unoquoque & unaquaque vice; salvo quando judex & aliqui de curia vadunt ad loca maleficiorum pro investigandis maleficiis ad instruendam causam. Sed post formatam inquisitionem secundum formam Statutorum, vel post institutam accusationem, denunciam, & querelam, si alii testes erunt recepti, examinentur in loco judicii, ut supradictum est: salvo etiam quod propter justam infirmitatem approbatam per medicos communis possint prædicta recipi etiam alibi secundum necessitatem, tamen in præsentia judicis. Idem fit in matronis, & fęminis honestis. Dummodo tamen prædictæ omnes & singulæ testificationes sumptæ extra locum officii transcribantur postea incontinenti in librum ordinarium; ita quod non habeant ad remanendum aliquo modo, nec per aliquod tempus in foliis: quod facere teneantur, sub pęna notario negligenti librarum x. pro quaque vice. Sed tam de ipsis foliis testificationum, quam de defensionibus, capitulis, & de aliis, quæ producerentur in scriptis, facere debeant filciam, quæ & ipsa suo tempore in armario deponatur: intelligendo, quod etiam ipsæ aliæ quæcumque scripturæ productæ ad librum incontinenti transcribantur, & incontinenti postea insilcentur, sub pœna prædicta.

7. Item, addendo ad Statutum XII. in tertio lib., & ad XX. in eodem, ordinatur, quod judex, & notarius maleficiorum scribens facere debeat cuilibet testi regulariter has saltem interrogationes super quolibet capitulo affirmato per testem, videlicet *qualiter scit ipse testis id, quod ipse*

 dixit.

dixit. *Ubi fuit*, de certo loco quærendo, de loco loci, *quando fuit*, de tempore, anno, mense, die, & hora diei, *& quibus præsentibus*. Quas singulas interrogationes judex diligenter scribi faciat cum singulis responsionibus testis per notarium, & per illum subduci incontinenti virgulam rectam, quod nihil abinde addi possit, ut supra in v. reformatione: & hoc, lecta prius ipsi testi tota scriptura ad ejus claram intelligentiam testificationis suæ, antequam inde recedat. Et tunc postea incontinenti judex ipse debeat se subscribere in fine cujuslibet testificationis testis, & in subscriptione sua facere mentionem, si aliqua additio in margine, vel interliniatura, seu cancellatura in aliquo loco per errorem facta erit, sub pœna judici, & notario omittenti centum sol. pro qualibet vice, & quolibet de prædictis omisso. Et ea die vel sequenti, qua testes se præsentaverint coram judice, & notario, teneatur ipse judex, & notarius ipsos audire, & eorum dicta scribere, & ipsos expedire, sub pęna sol. centum pro quolibet teste non audito & non expedito, & pro quolibet eorum contrafaciente, quaque vice.

8. Item, pro majori sinceritate habenda ordinatur, quod omni & quolibet sero, d. judex maleficiorum de manibus notariorum suorum reponat dictos tres libros in uno scrinio tenendo in capella venerabil. Collegii notariorum sub clave ipsius scrinii, quam ipse judex teneat penes se, & omni mane resignet eisdem notariis suum librum. Et similiter quando itur ad prandendum, colligat & claudat, & post prandium resignet, & successive in sero claudat, ut supra, sub pœna cuilibet notario retinenti & non consignanti ad scrinium suum librum, ut supra, librarum decem, & judici totidem non colligenti & non claudenti dictos libros, ut supra.

9. Item, quod finitis dictis libris, & expeditis omnibus processibus illius regiminis in illis, tunc ipsi libri collocati debeant in armario de pluribus caltis fabricando in capella prædicta notariorum cum uno brevi de nomine Potestatis, & de tempore sui totius regiminis, super quolibet calto per Provisores communis: & super dicto armario sint duæ claves; quarum una stet apud D. Potestatem, & altera penes Provisores communis, qui teneantur, & debeant memoriter in mutatione regiminis procurare, quod D. Potestas exiens consignet intranti dictam clavem.

Verum, quia annus, sive tempus regiminis D. Potestatis non compatitur cum anno deputationis notariorum, ordinatur quod dicti notarii de muda in mudam pro tempore succedentes possint ac debeant sequi, & continuare libros suorum præcessorum usque in finem illius regiminis. Et tunc sub novo succedentes regimine habere & facere novos libros signatos, & stampatos, ut supra: quia præsens ordo intendit dictos libros regulari ad armarios de regimine in regimen, pro meliori ordine eorum, & faciliori inventario processuum sub nomine cujuslibet Pote-

Potestatis de per se. Sed notarii existentes in fine actorum sui libri concludere debeant cum suo signo & nomine suos libros authentice scribendo *finitum esse suum librum*; & notarii succedentes debeant subsequenter intitulare continuationem dicti libri, sub nomine ejusdem D. Potestatis, & ejusdem d. judicis, & ipsius notarii cum suo signo. Et sic procedere & continuare debeant dictos libros suorum prædecessorum, scribendo in illis tam acta de processibus pendentibus usque ad finem eorum, quam alia suo tempore venientia usque ad finem regiminis illius.

Pro forma autem præsentis temporis ad futurum notarii proximæ mudæ venientis incipiant habere libros, de quibus supra, & illos intitulare sub nomine Magnifici D. Potestatis præsentis per modum superius dictum. Et postea similem intitulationem in eisdem faciant sub nomine successoris; & sic continuent usque per tempus deputatum ipsorum notariorum, post quos alii succedentes prosequantur usque in finem regiminis.

10. Item, quod omnes, & singulę condemnationes, tam de *mero*, quam *de quasi*, antequam in arengo publicentur, debeant incontrari per notarium concionum cum memoriali D. Potestatis. De quo quidem incontro & ausculatione facta, dictus notarius memorialis scribere debeat super libro notarii debentis publicare ad unamquamque condemnationem legendam, *quod sit incontrata*, sub pœna legenti pro quaque condemnatione non incontrata, sexaginta solidorum.

11. Item, quod alii tres libri *de quasi maleficiis* debeant similiter regulari, quantum est ad scribendum in illis, per notarios, qui, & prout sub unoquoque regimine veniunt deputati, & quantum est ad consignandum illos in fine regiminis ad armarium servatorium cum aliis libris *de mero*, sub pœna non consignanti libr. x.

12. Item, quod cum omni possibili diligentia recuperentur omnes & singuli processus, ac libri de officio maleficiorum omnium temporum præteritorum, quotquot inveniri, & haberi potuerunt, auferendo illos de manibus quorumcumque notariorum olim dicti officii, & aliorum quoruncumque habentium de illis: & ipsi reponantur in dicto armario, collocando illos per caltos cum brevibus illorum regiminum, ut supra, & de ipsis fiat inventarium, quod stet pœnes Provisores communis.

Die Veneris xx. Octobris Mccccxix. In Consilio xx1. & l. Deputatorum præsente Magnifico D. Potestate.

Pro reformatione officii maleficiorum. Cap. CXXII.

DOMINUS Joannes Franciscus de Cepollis provisor communis intimavit isti Consilio, qualiter ipse videns non fuisse per notarios maleficii, neque etiam de præsenti, in practica positos ordines reformationis factæ sub regimine proxime præcedenti, convocavit in sessionem illos cives reformato-

matores, & gastaldionem, ac sacristam notariorum pro intelligendo defectus, & difficultates sive impedimenta, & pro renovando illa, si possibile videbatur; & qualiter eis videtur, quod magnificus D. Potestas possit infrascriptum adjungere mandatum: & ita ipse D. Potestas de voluntate hujus Consilii commisit ipsum mandatum tenoris infrascripti, videlicet.

LEONARDUS Contareno Veronæ Potestas pro Illustriss. Ducali Dominii Venetiarum, &c. Cum Consilio XII. ad utilia communis Veronæ deputatorum, & ex requisitione spectabilium virorum 3. Joannis Francisci de Cepollis, & S. Tebaldi a Capella communis Veronæ provisorum intendentium ad observationem, & practicam reformationis factæ sub regimine Magnifici D. Marini Maripetro per Consilium XII. & I. Deputatorum, die XVIII. Decemb. Mcccclxviii. super libris, & processibus officii maleficiorum &c. Colligentes, & dirigentes ipsos ordines in suam veram & propriam practicam, quæ magis intentioni respondeat; hoc insuper Edicto mandamus tenore præsentium d. judici nostro maleficiorum, & successoribus suis, egregiisque & prudentibus viris venerabilis Collegii notariorum Veronæ, quod, salvis omnibus aliis ordinibus dictæ reformationis, faciant specialiter cum omni cura & diligentia observari & practicari, ut infra.

Primo apud notarios dicti officii ex una parte, & notarium memorialis ex altera, quod ipse notarius solicite colligat omni die, & in suo memoriali habeat reportatas omnes & singulas accusas, denunciationes, querelas, & inquisitiones. Et quod ipsi notarii de ipsis non mittant foras citationes, nisi de prius positis ad dictum memoriale &c. sicut in primo capitulo ejusdem reformationis continetur.

Item, quod tres notarii ad processus *de mero maleficio* facere, & habere debeant unum alium librum, super quo separatim ponant casus *de mero atroci*, idest de criminibus importantibus pœnam sanguinis, vel perpetui banni, sicut est de furto, robaria, rapina, raptu mulieris, homicidio, incendio, incestuo, sodomia, sacrilegio, & falso; & in ipsis libris extendere omnes suos processus. Alium autem singulum librum habeant de aliis casibus de per se non atrocibus, secundum formam capituli sui in eadem reformatione contenti. * ad numerum tertium.

Finis Libri Tertii Statutorum.

STA-

STATUTORUM MAGNIFICÆ CIVITATIS VERONÆ.

LIBER QUARTUS.

HÆC SUNT STATUTA PERTINENTIA AD OFFICIUM PROCURATORUM COMMUNIS VERONÆ.

De officio Procuratorum communis Veronæ, & ejus forma. Cap. I.

STATUIMUS, & ordinamus, quod officium Procuratorum communis Veronæ sit, & esse debeat principaliter de, & super blado, pane, vino, oleo, caseo, carnibus, & piscibus, & quibuscumque aliis victualibus, ac de, & super quibuscumque pertinentibus ad grassam, & ponderibus, ac mensuris victualium, sive grassæ, ac de, & super misteriis, personis, & rebus ipsius grassæ, & ad grassam pertinentibus. Item de, & super omnibus viis, & stratis, & porticibus, & locis publicis civitatis & burgorum Veronæ. Et similiter de, & super ponticellis, stillicidiis, & omnibus ædificiis. Et generaliter de, & super omnibus & singulis, quæ per Statuta hujus quarti libri ordinantur. Pro forma autem, & executione dicti officii Statuimus, quod singulis sex mensibus in Consilio XII. & L. Deputatorum eligi debeant per scrutinium, & plures ballottas more solito infrascripti officiales, videlicet, unus judex Procuratorum communis Veronæ, duo ejus Consiliarii, duo Milites procuratores, & per venerabile Collegium notariorum quatuor Notarii, & per ipsos judicem & socios cum Provisoribus communis, unus Massarius.

De judice procuratorum, & ejus officio. Cap. II.

JUDEX Procuratorum sit de collegio jurisconsultorum communis Veronæ, & hic habeat & habere debeat eam jurisdictionem, & potestatem, quæ sibi per Statuta communis Veronæ est tradita; & ita, quod in

in judicando nulla pœnes Milites procuratores remaneant. Et insuper habeat etiam eam, quæ in Privilegio Illustrissimi nostri Dominii continetur, dato die ultimo Septembris indictione tertia Mccccxxxix. Bis omni die sedere debeat ad tribunal suum in palatio communis Veronæ, saltem per unam horam de mane, & tantundem in vesperis, sub pœna amissionis xx. sol. de suo salario, pro quaque vice irremibbiliter auferenda, & officio provisorum communis applicanda.

Personaliter, & non per substitutum, dictum officium debeat exercere, & si aliter factum fuerit, ipso jure non valeat, nisi justa & legitima caussa intercesserit discutienda, & approbanda per D. Potestatem.

Summarie, & expedite cognoscere, & procedere possit ac debeat omni die ac tempore, feriato & non feriato, præterquam in honorem Dei, placitis locatis & non locatis, pulsata campanella & non pulsata, tam pro jure reddendo, quam alia caussa.

Pro signandis autem, & deliberandis condemnationibus, absolutionibus, & cancellationibus teneatur & debeat, saltem bis in mense, & toties quoties opus fuerit, convocare per unum ex viatoribus consiliarios suos, & inter ipsos tres examinare processus. Et sic in absolvendo, cancellando, & condemnando sequi teneatur consilium illorum, vel saltem alterius eorum, qui secum concordet, & concurrat in sententia; aliter autem quicquid ab eo factum fuerit, sit irritum & inane. Expedivisse quoque per absolutionem vel condemnationem, vel cancellationem teneatur ante terminum sui officii omnes invocationes militum communis saltem factas usque ad xv. dies proxime præcedentes finem officii, sub pœna solvendi de suo pro processibus non expeditis, applicanda communi Veronæ ad officium provisorum.

Ultra admonitionem factam per Militem ei, contra quem facta fuerit inventio, si ad eam non venerit, teneatur ipse judex citari facere ipsum reum per unum ex viatoribus, quod veniat ad se defendendum a tali & tali inventione, & quicquid aliter fieret, non valeat ipso jure: pro qua quidem citatione in urbe & burgis non possit viator ultra unum marchetum habere; in districtu vero pro quolibet milliari unum solidum, & minus, arbitrio judicis, inspecto numero personarum citandarum, aut pignerandarum. Vachetam habere debeat, in cujus principio sit scriptum manu Provisoris communis Veronæ, quot chartas habet, & cum signo parvo communis omnes illæ chartæ sint signatæ, super qua tali vacheta in consonantia de manu propria & non per alium, in summa rei scribere teneatur omnes inventiones, denunciationes, accusationes, & similiter condemnationes, & absolutiones sive cancellationes: & finito ejus officio dictam suam vachetam dicto Provisori præsentare teneatur infra octo dies incepturos post syndicatum, sub pœna xxv. libr. denar. applicanda ut supra. Curare debeat sub eadem pœna, quod præsentatis sibi inventionibus, denunciationibus, & accusationibus, eodem

eodem die præsentationis vel sequenti, unus de notariis stabilibus eas ordinate sua manu & non per alium, scribat in memoriali. A sententiis absolutionum, aut condemnationum factis per dictum judicem, cum duobus consiliariis suis, vel uno ex eis, ut supra, appellari non possit, vel de iniquitate dici, maxime cum ante præsentes ordines non appellabatur. Sed ipsi judex & consiliarii syndicari possint per magnificum D. Potestatem singulis diebus, & toties quoties voluerit, usque per unum mensem post finem officii. Executioni autem mittere possit dictas sententias, & condemnationes suas, & omnes jussiones, & multationes suas, pignera tamen quæ auferri faciet, vendere non possit suo arbitrio; sed ea consignari faciat massario pignerum Veronæ, & vendi secundum ordines dicti officii usque ad integram satisfactionem. * Adeantur capitula clxxiv., & clxxviii. lib. primi. Jurare debeant in manibus D. Potestatis suum officium administrare bona fide & sine fraude, secundum ordines suprascriptos & Statuta communis Veronæ. Salarium habeat xvi. libr. denar. in mense, quas sibi ipsi solvere non possit, sed solutionem accipere debeat a massario dicti officii, sub pœna amissionis salarii, & insuper xxv. libr. denar., applicanda ut supra. Finitum sit, & esse intelligatur ejus officium finitis sex mensibus suis, nec ulterius pretendatur, sed de novo judice per consilium provideatur. Vacare autem debeat ab eodem tantum officio per xviii. menses.

De duobus consiliariis judicis procuratorum eligendis, & de eorum officio.
Cap. III.

CONSILIARII judicis procuratorum sint duo cives scientes legere & scribere, quorum officium incipiat, duret, finiat, & vacet cum judice suo ab hoc officio tantum. Jurare similiter debeant, salariumque habere octo libr. denar. in mense pro quoque eorum. Delegare sese invicem non possint, quovis modo, nec per substitutum dicto officio inservire, sed personaliter venire teneantur ad tribunal dicti judicis saltem bis in mense, & toties, quoties opus esset, & sibi per dictum judicem, vel ejus parte mandaretur: & in examinandis processibus inventionum, accusationum, denunciationum, querelarum, seu inquisitionum perseverare, & in illis expediendis, & signandis fidele consilium bona fide, & sine fraude præbere. Curent in primis, & inspiciant diligenter, an inventiones sint præsentatæ notario stabili, & judici secundum ordines dicti officii, & an concordent vachetæ, seu originaria & scripturæ notariorum ipsorum militum cum memoriali. Subscribant sese ambo, seu ille, qui cum opinione judicis concordaverit, omnibus condemnationibus, & absolutionibus, & cancellationibus in vacheta ipsius judicis, ad hoc ut constet, uter requiri debeat tempore syndicatus, aut querelæ, quotiescumque fieret.

De duobus Militibus procuratorum communis Veronæ eligendis, & de eorum officio. Cap. IV.

MILITES procuratores communis Veronæ sint duo cives bene apti & experti, quorum officium duret per sex menses, & vacare debeant per XVIII. tam ab illo, quam ab aliis, secundum ordines aliorum officiorum intus, quæ per sex menses conferuntur. Circuire autem, & per urbem discurrere teneantur & debeant singulis diebus, saltem bis in die, videlicet ante tertiam, & post, suum officium exercendo, associatus uterque suo notario, & apparitore, seu famulo, & omnes defectus & vetita, bona fide, sine fraude, toto suo posse invenire; inventionesque in scriptis in sua vachetta, & non in cedulis redigere; redactas ea die vel sequenti, si in urbe factæ fuerint, & si in districtu ea die vel sequenti, qua ad urbem redierint, denunciare, & præsentare dicto judici, & notario stabili, ut eas in memoriali ordinate describat; & descriptas secum incontrare, vel in consonantiam auscultare, ad tollendas omnes suspiciones, & errores, qui occurrere possent; sub pœna in singulis prædictis libr. x. denar. applicanda communi Veronæ officio Provisorum. Si per unum militem inventio alicui facta fuerit de aliquo vetito, non possit eodem die, vel de eadem re vel defectu, eidem per alterum militem fieri inventio. Itaque inter eos in dicto casu aut simili, locus sit præventioni. Equitare teneantur & debeant per districtum, suum officium exercendo, ne fraudes committantur, cum licentia tamen dicti judicis & mandato, & quo voluerit dictus judex, & pro quot diebus ipsi judici videbitur, & non aliter, sub pœna in singulis prædictis x. libr. applicanda ut supra. Et ita quod se invicem intelligant de tempore, ne aliqualiter ambo extra urbem reperiantur. Pro quolibet autem die dictæ cavalcatæ habeant pro uno milite cum uno notario & famulo tres libr. XII. sol. Veronen. parvorum suis expensis, videlicet XXIV. sol. pro quoque equo. Curent diligenter, quod notarius incontinenti facta inventione eam scribat in vachetta sua, ne fraus aliqua per intervallum excogitari, aut fieri possit. Jurare debeant in manibus D. Potestatis suum officium administrare bona fide & sine fraude, secundum ordines suprascriptos, & Statuta communis Veronæ. Salarium habeant uterque eorum, pro se & famulo XXIV. lib. Veronen. parvorum in mense, quas recipiant, non ex se, sed a Massario dicti officii, sub pœna amissionis salarii, & insuper XXV. lib. den. applicanda communi Veronæ ad officium Provisorum. Syndicari possint per magnificum D. Potestatem singulis diebus eodem modo & forma, quibus & judex.

De

De quatuor Notariis dicti Officii. Cap. V.

NOTARII quatuor eligantur, & deputentur omni anno per venerabile Collegium notariorum Veronæ, prout ipsum Collegium suscepit attendere; quorum duo vadant cum militibus ad circas, & alii duo sint nomine, & restabiles. Qui singulis diebus ante tertias & postea, debeant continue venire ad banchum, & illic sedere, & residentiam facere, ut ad mandata judicis parati esse possint, & ad cætera pro officio expedienda. Duret eorum officium per annum; vacare, ab eodem tantum debeant per unum alium. Memoriale habeant, & teneant, in quo cum omni diligentia & fide, singulis diebus scribant sua manu, & non per alium, omnes inventiones militum, denunciationes, & accusationes & querelas quascumque, et quarumcumque personarum, et inquisitiones dicti judicis, et similiter omnes condemnationes, et absolutiones, et cancellationes, et cum dictis militibus suas inventiones incontrent incontinenti, et in consonantia auscultent. Librum actorum habeant et teneant, in quo omnes defensiones, capitula, examinationes testium, acta, et actitata pertinentia ad dictum officium militum, et connexa, et dependentia scribant ordinate, prout fieri debet. Commune sit dictum officium inter ipsos quatuor notarios, per modum, quod omnia lucra et emolumenta provenientia ex scripturis, et laboribus ipsorum notariorum, perveniant ad manus alterius dictorum notariorum, qui astare debeat coram judice procuratorum, et postmodum dividenda inter ipsos quatuor notarios, scil. quemlibet eorum pro sua virili portione. Qui notarius recipiens dictas solutiones sit massarius et de ipsis computum ordinatum tenere teneatur, ut res melius, et sine fraude procedat. Et liceat ipsis notaris accipere pro fidejussionibus, quæ fiunt in principio anni, v. sol. pro quaque, attento quod sic est de consuetudine, et quod onerosæ sunt: et de aliis scripturis tantum accipere pro suo lucro et mercede, quantum eis permittitur, et taxatur per Statuta communis Veronæ, et non plus. Moderando tamen, quod de illis inventionibus, de quibus absolutio, aut cancellatio sequatur, nihil accipere debeant, sed solummodo de illis, de quibus condemnatio sequetur, videlicet tres sol. pro qualibet tantum. Et similiter pro quaque accusa, et denunciatione, et de dicto testis, videlicet tres sol. pro quaque et quoque, sive ex dictis denunciationibus, vel accusationibus sequatur absolutio, sive condemnatio, attento quod in dictis casibus interveniat partis alterius interpositio. Salarium insuper habere debeant ultra dicta emolumenta ipsi quatuor notarii libr. v. denar. pro quoque singulo mense, percipiendarum a massario dicti officii de condemnationib. ejusdem officii.

De Massario, & de ejus officio. Cap. VI.

MAssarius dicti officii sit, & constituatur alter ex notariis stabilibus, qui videbitur dicto judici, & consiliariis, & militibus, & provisoribus communis Veronæ, vel alteri eorum cum prædictis. Qui massarius tenere debeat bonum, & ordinatum computum de omni intrata, & expensa dicti officii, & nihil exbursare sine mandato dicti judicis, & consiliariorum subscripto per eos, sub pœna solvendi de suo. Ita tamen, quod liceat dictis officialibus dividere inter se condemnationes, & nomina debitorum, usque ad summam crediti cujuscumque, si hoc facere maluerint, in præsentia tamen Provisorum communis, vel alterius eorum. Ratiocinatores autem communis deputentur per Consilium prædictum, qui singulis sex mensibus calculent, & concludant rationes dicti officii, & residuent debitores dicti officii, qui non solverint, aut non remanserint alicui ex ipsis officialibus assignati, super uno libro specialiter deputando, ac deinde officio Provisorum communis Veronæ consignando. Si vero pecuniæ exactæ non sufficerent, ita quod non possint pro salariis, vel aliis expensis dicti officii satisfieri, tunc finito tempore dicti officii solvi debeat cuilibet ex dictis officialibus pro rata; & de eo quod habere restarent, remaneant dicti officiales in tali casu creditores dicti officii, & ipsis satisfieri debeat in sequenti tempore de pecuniis dicti officii, quæ superent, solutis primo officialibus, & expensis dicti temporis.

HÆC SUNT STATUTA DE IIS, QUÆ SPECTANT OFFICIO PROCURATORUM COMMUNIS.

Dies festos custodiri oportere. Cap. VII.

CUM reliquis justitiæ partibus, tum maxime religionis ac pietatis cultu nostra civitas stabit. Propterea Statuimus, quod nullus audeat dies festos majestati Altissimi dedicatos ullis manualibus operibus prophanare; hos intelligimus quicumque sunt dies de præcepto Ecclesiæ populo indicti, & eos quos Reverendissimus D. Episcopus cum Clero, vel cum consilio civitatis, vel ipsum consilium cum D. Potestate ordinaverit, sicut in primis sunt dies Sancti Zenonis protectoris nostri, & dies Sancti Petri Martyris Veronensis; in quibus singulis diebus ita dedicatis, nulla persona præsumat suas stationes tenere apertas, nec in apertum laborare in civitate, aut burgis, sub pœna cuicumque masculo xl. sol., mu[illegible] xx. sol. & quilibet possit esse accusator, & habeat medieta- & mulie[illegible] Salvo quod liceat teneri unam de beccariis pontis novi apertem banni. S[illegible] mam Statuti cxxvii. h. lib. Et pro necessitate infirmorum tam secundum for[illegible]

liceat

liceat cuicumque speciario ad requisitionem medicorum aperire ejus stationem caussa dandi & faciendi medicinalia, & non aliter, sub pœna prædicta xl. sol. Et si contigerit aliquam diem ex prædictis celebrandis venire in diebus mercati, videlicet, Jovis vel Sabbathi, quod liceat merzariis & apothecariis tenere apertum medium ostium suarum stationum usque ad horam nonam, & non ultra: non exponendo tamen aliqua mercimonia. Et si etiam habitarent in domibus ubi eorum stationes tenent, liceat eis tenere ostia stationum, seu domorum aperta pro usu domus. Et illud idem intelligatur de districtualibus Veronæ, qui dictis diebus solemnium festivitatum laborare, vel carrizare non præsumant, sub dicta pęna.

De Confallonis artium, sub quibus quilibet de misterio ire debeat. Cap. VIII.

ITEM, quod qualibet misteria, sive artes habere teneantur & debeant unum confallonum ad suum insigne, sub quo quilibet de dicta arte & misterio debeat se reducere, & ire in processionibus, & in aliis quotiescumque ex parte D. Potestatis admoniti fuerint gastaldiones venire cum confallonis suis; sub pęna ipsi gastaldioni, & arti, sive misterio non habenti confallonum suum, centum sol. pro quaque vice; & cuilibet de dicta arte non existenti sub dicto suo confallono, sol. quinque, & gastaldioni non existenti, sol. xx. Quæ omnes pęnæ exigantur per officium procuratorum communis Veronæ.

De donariis non portandis alicui sponsæ, nec repetendis a marito. Cap. IX.

ITEM Statuimus, quod aliqua persona non debeat invitare aliquas personas ad portandum dona alicui sponsæ, pęna & banno decem librarum pro qualibet persona contrafaciente. Eadem pęna puniatur qualibet persona invitata, quæ iverit ad portandum dicta dona: & de prędictis quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni, & teneatur in credentia. Et jurati contratarum Veronæ, & massarii villarum teneantur judici maleficiorum eodem die vel sequenti denunciare, si fiat in civitate, & infra quintum diem, si fiat in villis, pęna centum solidorum pro quolibet jurato, & massario de eorum propriis bonis. Et D. Potestas & judex maleficiorum per sacramentum teneantur de prædictis facere inquisitionem omni studio & solicitudine sua. Et quod aliqua mulier, vel ejus hæres non possit petere a marito, vel ejus hærede restitutionem de aliquibus donariis eidem mulieri factis, seu portatis, tam ex parte viri, quam ex parte mulieris; sed ipsa donaria sint, & esse intelligantur mariti, vel ejus hæredis, matrimonio dissoluto. Excepto anulo

nulo vel anulis, cum quo vel quibus semel vel pluries mulier fuerit guadiata, qui esse debeant ipsius mulieris, si per mortem mariti matrimonium fuerit dissolutum.

De funeralibus, qui ritus & expensæ vitandæ sint. Cap. X.

AD evitandum inutiles expensas, quæ plerumque etiam involuntariæ fiebant occasione corporum defunctorum: Statuimus & ordinamus, primo quod nulla fęmina vadat post aliquod corpus, nec cum aliquo corpore alicujus defuncti, exceptis corporibus puerorum septem annorum, vel abinde infra: ad quæ corpora puerorum solæ mulieres possint ire, & nullus homo vadat, nisi portantes, sub pęna lx. sol. pro quolibet, & qualibet contrafaciente, & quaque vice.

2. Item, quod nulla persona occasione alicujus defuncti debeat se lugubriter stravestire de novo, excepta uxore defuncti, & filiis masculis, & nepotibus masculis ex filio prædefuncto, pœna & banno pro quolibet *, & qualibet vice, libr. denar. Et quod non dentur velli potius vela alicui personæ, nisi uxori, & filiabus, & nepotibus ex filio prædefuncto, pœna & banno pro quolibet & qualibet vice, decem libr. denar.

3. Item, quod nullum corpus alicujus defuncti de novo vestiatur, nec discoopertum portetur, exceptis corporibus Militum, & Doctorum decretalium, legum, & physicæ, & induris habitum religionis, pœna & banno pro quolibet & qualibet vice, l. libr. denar.

De exigendis legatis, sive relictis ad pias caussas; & ad quorum officium prædicta spectent. Cap. XI.

ITEM Statuimus, quod si aliqua persona reliquerit aliquid pro anima sua pauperibus CHRISTI, vel carceratis Veronæ, vel venerabilibus locis, vel ad alias pias caussas, judex procuratorum & ipsi milites procuratores teneantur, & debeant ex suo officio bona fide & sine fraude, suo sacramento luere post mortem testatoris, vel alias ordinatoris illud relictum ab hæredibus ipsius, si inde fuerint per quamcumque personam requisiti: & postea assignare debeant illis, quibus a testatore, vel alias ordinatore commissum fuerit distribuendum. Et facere, & procurare, quod pauperibus, seu carceratis, seu Ecclesiis, vel locis suprascriptis distribuatur secundum defuncti voluntatem, prius recepta bona securitate de ipso relicto secundum voluntatem defuncti distribuendo infra unum mensem, ex quo fideicommissariis illud relictum fuerit assignatum. De qua relicti distributione ipsi fideicommissarii ostendere teneantur dicto judici, & procuratoribus publicum instrumentum, cui vel quibus dictum relictum distribuerint. Quod si non fecerint, condemnentur ipsi fideicommissarii com-

communi Veronæ pro quolibet eorum, & pro quolibet relicto in xxv. libr. den., & nihilominus distribuere teneantur, & fidem facere ut supra. Et quod ipsi judex & procuratores teneantur & debeant prædictum legatum, seu relictum distribuere, ubi fideicommissarii non fuerint instituti, inter pauperes civitatis & districtus Veronæ, sive secundum defuncti voluntatem. Et prædicta adimplere teneantur, & effectui mandare infra duos menses continuos a tempore sibi factæ requisitionis de prædictis, vel aliquo prædictorum. Et super prædictis dicti judex & procuratores procedere possint & debeant summarie, sine libelli datione, litis contestatione, & sine aliqua scriptura inde facienda, nullaque juris, & Statutorum solemnitate servata, quolibet tempore feriato & non feriato; & quod acta per eos nullo remedio appellationis, nullitatis, vel restitutionis possint infringi. Hoc etiam facere teneantur judices D. Potestatis, & alii judices, & consules communis Veronæ, a quibus hoc fuerit requisitum.

De ludo & barataria. Cap. XII.

PRO nostra in DEUM reverentia, perseverantes & exequentes partem captam die decimoctavo Novembris anni Mcccczxxv. in universali Consilio totius anni civitatis Veronæ, cum additione rasoneriorum contratarum per voces centum & septuagintaquinque in totum, nulla in contrarium existente, tempore regiminis generosi, & splendidissimi equestris ordinis viri, græci ac latini eloquii doctissimi, D. Francisci Barbari pro Illustriss. Dominio nostro Venetiarum tunc Veronæ Potestatis. Quod dum datium baratariæ, quod ab antiquo erat in communi Veronę, & creditur per Majores nostros fuisse introductum, non quidem ad turpem quæstum faciendum, sed ad corruptos mores & scandala prohibendum, modo esset turpiter degeneratum cum certis adulterinis ordinibus, & observationibus permissivis, per quas laxatæ erant habenę cupientibus ludere, permittendo sibi loca, & modum, ex quibus frequentabantur ludi: unde jacturę, rapinę, furta, blasphemiæ, homicidia plerumque proveniunt, & omnes boni mores corrumpuntur, & per consequens illicitus quæstus proveniebat in communi. Et cum ipsum datium sublatum sit de civitate & districtu Veronæ tamquam spina pestifera, & pœnitus abrogatum, nec amplius reducatur, & provideatur ne de cætero ad taxillos ludatur cum ordinibus prohibitivis & pœnalibus, unde pœnæ illę incantentur & exigantur ad licitum communis Veronæ proventum. Quærentes igitur ex nostra religione non tam simpliciter utile quam etiam honestum.

Statuimus primo, quod nulla persona terreria, vel forensis debeat per se, vel per alium ludere, vel ludi facere ad taxillos in civitate vel in districtu Veronæ, sub pœna decem solidorum denar. tam ludenti, quam

quam ludere facienti, pro quoque & quaque vice, quæ pœna in nocte duplicetur. Et hospes, & quælibet alia persona, quæ dederit receptaculum ludentibus ad taxillos, sive in civitate sive in districtu Veronæ, in ejus domo, hospitio, vel taberna, statione, sive fontico, aut in alio quocumque loco & modo, cadat in pœnam xxv. libr. denar. pro quoque & quaque vice, quæ pœna in nocte duplicetur; & quilibet, qui supra steterit ludo, condemnetur in tribus libr. denar. pro quaque vice. Et si accusaverit alios ludentes, vel suprastantes, vel aliter contrafacientes ordinibus istis absolvatur a pęna sua; & insuper participet de pęnis accusatorum, quæ secundum ordines præsentes accusatoribus applicentur, quæ pęna in nocte duplicetur. Et quicumque mutuaverit ad ludum taxillornm denarios, vel taxillos, vel aliud, cadat pro quoque & quaque vice in pęnam x. libr. & insuper perdendi denarios, & quæcumque mutuasset, quæ devenire debeant in commune Veronæ, & restituendi libere sine aliqua restitutione vel solutione, pignera, quæ recepisset, quæ pęna in nocte duplicetur. Et qui ludendo perdiderit, aut lucratus fuerit, si accusaverit eum vel eos, cum quibus luserit, vel qui receptaculum dederint, seu qui suprasteterint, seu qui ad ludendum mutuaverint, absolvatur a pęna sibi irrogata, & lucretur tertiam partem pęnæ illatæ illis, qui ab eo accusati fuerint: & si perdiderit, & accusaverit ut supra, quod perdiderit, ei restituatur per eum vel eos, qui ludendo vicerint, seu lucrati fuerint.

Et, si dictus accusator ludendo lucratus fuerit, possit retinere lucratum, & nihilominus ultra illud lucretur, & participet de pęnis contra accusatos impositis, ut supra dictum est. Et si quis recusaverit aperire ostium, sive tabernam, stationem, fonticum, aut alium quemcumque locum, qui non sit domus suæ habitationis, officialibus inquirentibus baraterios, aut ludentes ad taxillos, cadat in pęnam xxv. libr. denar. pro quoque, & quaque vice, & in nocte, in duplum. Intelligendo tamen, quod per hoc non liceat illis de nocte inquirere, quibus licentia eundi de nocte concessa non est. Et quod unusquisque teneatur aperire tempore diurno etiam domum suæ habitationis hujusmodi inquirentibus, ipsis habentibus secum juratum contratæ cum uno vicino, aut duos ex vicinis, vel similiter massarium villæ cum uno de villa, vel duos ex ipsa villa, sub pęna quinquaginta lib. denar. & standi unum mensem in carceribus communis Veronæ.

Et, qui fuerint condemnati de ludo, aut de ludendi loco dato, vel permisso, aut de suprastando, realiter & personaliter compellantur solvere. Quod si non haberent unde solveré, immergantur ter in lavello Capitelli ad sonum tubæ, aut stent in carceribus communis Veronæ per duos menses, in eorum electione.

Et, quæcumque dicta sunt de ludo taxillorum, eadem intelligantur de ludo bischatiæ, & quocumque alio ludo fortunæ, & etiam ad chatteisel-

fellas: & intelligatur ludus bischatiæ, & fortunæ ad chartefellas prohibitas, qui videbitur judici procuratorum communis Veronæ, & consiliariis suis. Et, ut ordines isti plenius observentur, ex nunc sit commissum militibus, procuratorum communis Veronæ, quod omni studio & solicitudine teneantur & debeant omni tempore, de die & de nocte, ut supra, perquirere per omnem locum & per omnem modum, omnes & singulos ludentes, & contrafacientes ordinibus tam in civitate, quam in districtu Veronæ, & contra eos inventiones facere, denunciandas judici procuratorum communis Veronæ ea die vel sequenti, si fuerit in civitate, & infra octo dies, si fuerit in districtu, a tempore inventionis factæ. Qui milites inventores lucrentur medietatem pœnæ, in qua condemnabitur quilibet inventus per eos, & alia dimidia applicetur communi Veronæ, exigenda per provisores dicti communis. Possint etiam milites D. D. Rectorum Veronæ, & domus mercatorum inquirere, & inventiones ac denunciationes facere de prædictis contra quoscumque ludentes & contrafacientes ordinibus istis. Et vicarii villarum, & capitanei ad vetita simili modo possint inquirere, & inventiones & denunciationes facere, quas ipsi milites, & vicarii, & capitanei assignare debeant præfato judici procuratorum infra dictos terminos, ut supra dictum est, singula singulis referendo. Et lucrentur etiam tertiam partem pœnarum, in quibus condemnabuntur dicti ludentes, vel aliter contrafacientes per ipsos inventi & denunciati ut supra: & aliæ duæ partes sint communis Veronæ, exigendæ per dictos provisores communis Veronæ, ut supra dictum est. Et ne dicti ludentes & contrafacientes caussam habeant pertinaciter persistendi in ludo & contrafaciendi, possint contra eos semel & pluries, eodem & diverso loco, & die, & per eundem & diversos officialrs, & diversis locis fieri inventiones, denunciationes, & accusationes, & per eumdem seu diversos denunciatores, vel accusatores; singula singulis congrue referendo.

Et, quod judex procuratorum communis Veronæ sit & esse debeat judex competens, ac cognitor & decisor super omnibus & singulis inventionibus, denunciationibus, & accusis, quæ fient de, & super prædictis; & inquisitiones contra eos denunciatos ex officio suo formare, & & punire & condemnare habeat cum duobus consiliariis suis quoscumque inquisitos, inventos & denunciatos, vel accusatos contrafacientes ordinibus prædictis, secundum præsentes ordines; & procedere summarie & de plano, & quolibet die & tempore, feriato & non feriato, usque ad sententiam, & executionem inclusive: & nullius inventi, denunciati, accusati, vel inquisiti defensionem admittat, nisi prius habita ab eis fidejussione *de judicio sisti, & de expensis solvendis*. Quam fidejussionem, si aliquis de prædictis præstare noluerit vel non poterit, carceribus intrudatur, nec admittatur ipsorum inventorum, accusatorum, denunciatorum, vel inquisitorum procurator, neque advocatus

Kk ali-

aliquo modo, vel ingenio. Et non possint aliqui condemnati pro prædictis, vel aliquo prædictorum appellare, querelare, supplicare, vel in integrum restitutionem implorare: & si fecerint non audiantur, nec aliquo remedio adjuventur contra prædicta, vel aliquod prædictorum. Et, si quis de prædictis judicibus vel officialibus ullo modo vel ingenio prædicta non observaverit, vel in fraudem prædictorum ordinum aliquid commiserit, vel contrafecerit, cadat in pœnam centum libr. denar. pro quoque, & quaque vice, irremissibiliter auferendam, applicandamque communi Veronæ, ut supra.

De Capsellariis a festa expellendis de Civitate. Cap. XIII.

ITEM Statuimus, quod nullus capsellarius a festa, de iis videlicet, qui vadunt cum capsis vendendo confortinos, schaletas, cielas, & similia, quæ pueri vocant *festam* debeant intrare, vel stare in civitate Veronæ: & quod nullus debeat eos in sua domo tenere vel hospitari, sed de ipsis debeat incontinenti expellere. Et qui contrafecerit pro quolibet, & qualibet vice in centum solidis puniatur.

Hoc idem Statutum etiam continetur in primo libro Statutorum communis Veronæ ad capitula XXXVIII.

De duodecim hominibus eligendis, qui debeant inquirere, & decernere omnia communia pertinentia communi Veronæ. Cap. XIV.

ITEM Statuimus, quod Provisores, & Syndici communis Veronæ in principio cujuslibet decennii, incipiendo de mense Januarii proxime futuri Mccccl. teneantur, & debeant cum consilio D. Potestatis, & XII. ad utilia communis deputatorum eligere XII. bonos, & legales homines civitatis Veronæ; qui Provisores cum ipsis XII. hominibus sacramento adstrictis, infra duos menses, postquam ipsi juraverint, debeant inquirere, decernere, & designare omnia, quæ pertinent communi Veronæ, in civitate, burgis, & districtu.

De pœna illius, qui occupaverit Lissinum, aut nemora Lissinorum. Cap. XV.

ITEM Statuimus, quod nulla persona occupet Lissinum, nec nemora, quæ sunt in montibus Lissini communis Veronæ: & qui contrafecerit, puniatur pro quolibet, & qualibet vice, in XXV. libr. denar., & totum id, quod occupatum fuerit, redigatur in communi Veronæ.

Quod

Quod affictationes, quæ fieri debent pro communi Veronæ, fiant ad incantum. Cap. XVI.

ITEM Statuimus, quod omnes affictationes, quæ fieri debent pro communi Veronæ de aliquibus bonis, seu rebus communis Veronæ, fieri debeant pro provisores communis Veronæ secundum suum officium, vel per procuratores communis Veronæ secundum etiam suum officium ad publicum incantum, & in tribus diversis diebus, antequam talis affictatio alicui deliberetur; & tunc in tertio incantu possit, & debeat fieri & dari plus offerenti, data prius notitia consilio xii. & l. deputatorum de duobus incantibus jam factis, & de tertio faciendo, si forte videtur ipsi consilio aliud, vel aliter esse faciendum. Quo casu servari & executioni mandari debeat per dictos provisores, vel procuratores modo, & forma in ipso consil. deliberata: aliter autem dictæ affictationes non valeant ipso jure. * Non prætereatur Statutum lxxxiv. lib. primi.

De possessionibus, & juribus communis manifestandis, & locis publicis non occupandis. Cap. XVII.

ITEM Statuimus, quod quicumque indebite tenuerit de possessionibus, vel juribus communis Veronæ, si eas & ea non manifestaverit in communi Veronæ, puniatur in duplo valore rei occupatæ; & de hoc quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni. Eadem pœna puniatur quicumque aliquid de flumine publico, aut de stratis, seu viis, aut publicis locis occupare præsumpserit. Et ultra arbitrio judicis procuratorum, & consiliariorum suorum inspecta loci qualitate, & ad relaxandum de facto locum occupatum omnibus remediis compellatur, non obstante aliquo temporis cursu; ad quæ D. Potestas suum brachium & vires dare teneatur. * Conferatur cum capitulo lxxxv. lib. primi.

De possessionibus in communi Veronæ manifestatis non auferendis sine caussæ cognitione. Cap. XVIII.

ITEM Statuimus, quod si aliqua possessio manifestata fuerit in communi tamquam communis Veronæ, sive quod debeat ipsi communi sub aliquo quocumque nomine, vel caussa pertinere, non possit nec debeat auferri ipsa possessio, nisi primo cognita fuerit ratio dictæ possessionis, ad quem spectat de jure, dummodo ille, qui teneret, seu pos-

sideret ostenderit se possidere. Quæ quidem cognitio esse debeat summaria. Et ille, qui injuste manifestaverit dictam possessionem in communi, condemnetur in x. libr. pro quoque, & quaque vice ipsis manifestatoribus prius citatis ad defendendum manifestationes per eos factas, si adesse voluerint. Et prædicta caussa agatur cum ipsis manifestatoribus, & non cum provisoribus, aut syndicis communis Veronæ: sed ipsi provisores, vel syndici possint, si voluerint, ipsi caussæ adesse. Et quod ipsi manifestatores, si convicti fuerint non juste manifestasse, condemnentur in omnibus expensis factis in judicio occasione dictæ manifestationis illi, qui obtinuerit in lite. * Hoc idem habetur in capitulo lxxxvii. lib. primi.

De præmio dando manifestantibus loca, & jura communis occupata. Cap. XIX.

ITEM Statuimus, quod provisores communis Veronæ, & milites procuratores teneantur inquirere, & inquiri facere contra quoscumque occupantes loca communis, & alios occultantes jura communis, & in tuendo, & recuperando loca & jura operam pro viribus dare. Et quilibet possit denunciare, & lucretur duos sol. pro libra pretii, vel rei ex dicta denunciatione recuperatæ, & teneatur in credentia. Et si quis de possidentibus dicta loca sentiret se gravari, possit habere recursum ad D. Potestatem pro suo jure tuendo. * Eadem ad litteram habentur ad capitulum lxxxvi. lib. primi.

De picturis Sanctorum in Portis faciendis. Cap. XX.

ITEM Statuimus, quod in Portis omnibus urbis Veronæ apertis, vel quæ pro tempore aperientur fieri, & depingi debeant imagines Dominæ sanctæ MARIÆ Virginis matris Domini, cum ipso ejus Filio in brachiis, & Sancti ZENONIS Protectoris nostri, & Sancti PETRI cum clavibus in manu, & sancti CHRISTOPHORI.

De lignamine Palatii, & Domus Novæ non incidendo. Cap. XXI.

ITEM Statuimus, quod nulla persona debeat incidere de lignamine Palatii communis Veronæ, & Domus Novæ, banno lx. sol. denar. & medietas sit accusatoris.

De

De lignamine Pontium, & rerum communium non incidendo.
Cap. XXII.

ITEM Statuimus, quod nullus debeat incidere de lignamine Pontium, & rerum communium, banno lx. sol. & quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni. Idem intelligatur de omnibus communibus sedilibus, & locis civitatis, & burgorum Veronæ, quibus publice homines utuntur, cujuscumque sint, banno prædicto: & quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni.

De salesandis, & reaptandis Plateis mercati, & pischariæ, & certis stratis. Cap. XXIII.

AD decoram faciem civitatis, & communem utilitatem; Statuimus, quod Platea mercati fori, & Platea pischariæ, & similiter infrascriptæ stratæ; videlicet strata, qua itur versus pontem navium usque ad clavicam Leonum; & strata, qua itur a mercato fori, sive a sancto Thoma versus portam braidæ; & strata cambiorum a porta bursariorum usque ad Ecclesiam sanctæ Anastasiæ; & strata a capitello versus Athesim, usque ad clavicam, debeant accurate & diligenter de quadrellis, seu lapidibus salesari, & salesatæ bene manuteneri, & reaptari de tempore in tempus, taliter, quod aquæ undique possint currere extra dictum Mercatum, & Plateam. Et similiter omnes aliæ stratæ civitatis indigentes refectione, seu reparatione refici, & reparari continue debeant. Et specialiter strata, qua itur a Ponte navium usque ad Flumesellum directe, & strata, qua itur a Ponte novo usque ad Pontem sancti Vitalis. Et quod ad officium Procuratoris communis Veronæ spectet procurare, & suprastare, ut prædicta fiant, & ut ipsis Plateis, & stratis salesatis, ipsæ & earum quælibet ad expensas communis Veronæ manuteneantur: salvo quod si culpa, vel facto alicujus ipsæ stratæ devastarentur, Procuratores ipsi debeant dictas stratas facere reaptari ad expensas illorum, quorum facto facta esset ipsa devastatio. Et quod Procuratores communis Veronæ superesse debeant omnibus laboreriis communis Veronæ, quæ fient in civitate & burgi Veronæ. Et ad prædicta omnia & singula facienda D. Potestas Veronæ suum favorem & auxilium præstare teneatur.

De beuratorio, sive vado de subtus a Ponte Novo aptando, & salesando.
Cap. XXXIV.

ITEM, quod beuratorium, sive vadum, quod est de subtus a Ponte Novo apud Plateam pischariæ vocatam antiquitus Plateam majorem, debeat

debeat bene aptari, falesari, ac manuteneri, taliter quod equi, & aliæ bestiæ commode duci, & ire possint ad bibendum ad ripam Athesis; & ad prædicta D. Potestas suum auxilium & favorem præstare teneatur.

De terreno projecto in stratis, & porticibus removendo; & de ipsis stratis, & porticibus ponendis ad livellum. Cap. XXV.

ITEM ordinamus, quod milites procuratores communis Veronæ in principio sui officii cum Provisoribus communis Veronæ, vel cum duobus de numero XII. deputatorum assumendorum de tempore in tempus, ex omni muda intrante, qui provisoribus communis Veronæ, & judici procuratorum videbuntur, & cum ingenierio si opus esset, debeant circuire urbem, & per eam undique diligenter inquirere, ac perspicere omnes defectus, qui essent in stratis, & porticibus dictæ urbis, occasione alicujus terreni projecti nunc, & in præteritum per aliquam personam quovismodo, & allivellare dictas stratas, & porticus; ac removeri facere dictum terrenum, expensis illorum qui projecissent, seu proiici fecissent, ac portari ad ripam Athesis, vel quo sibi videbitur, si poterit fides, & probatio haberi de prædictis. Quod si non posset, tunc expensis illorum, ante quorum domus esset, aut expensis contratæ, prout discretioni dictorum militum, & electorum melius de jure videbitur: procedendo in prædictis per sacramentum vicinorum, & aliarum personarum, & cum impositione pœnæ, prout sibi videbitur. Et prædicti duo electi non possint refutare, sub pœna arbitrio judicis procuratorum imponenda.

Item, quod prædicti duo electi cum militibus auctoritatem habeant inquirendi occupantes indebite jura communis Veronæ in stratis, aut locis publicis, aut aliter quovismodo, & ingenio.

Item, quod ad prædicta D. Potestas suum favorem & brachium dare teneatur.

De non proiiciendo terrenum in stratis. Cap. XXVI.

ITEM Statuimus, quod de cætero nemo audeat ponere, seu poni facere aliquod terrenum in stratis publicis, aut porticibus, sine licentia militum procuratorum, & duorum electorum, ut in Statuto supra proxime continetur, sub pœna de uno plaustro terreni, & abinde infra, XX. sol. & abinde supra, pro quoque plaustro, XX. sol. & quod omnino removeat dictum terrenum sub eadem pœna. Et hoc etiam si esset evidens utilitas reparationis stratarum: intelligendo sub vocabulo *terreni* etiam de calcinatio, & glara, & letamine; in quam pœnam incurrat etiam quicumque faciens cavare pro canipa, aut puteo dimitteret dictum terrenum supra strata ultra tres dies, aut non bene in totum levaret, & non relaxaret stratam seu porticum mundam vel mundum sicut prius.

Item

Item quod suprascriptæ pœnæ comprehensæ tam in præsenti Statuto, quam in proximo superiori applicentur pro dimidia communi Veronæ, & pro alia dimidia dictis quatuor officialibus executoribus.

Item quod ad prædicta D. Potestas suum favorem & brachium dare teneatur.

Quod Clavicæ per quas currit aqua ad Athesim, aptentur expensis Contratarum. Cap. XXVII.

ITEM Statuimus, quod Procuratores communis Veronæ faciant, & procurent, quod Clavicæ per quas currit aqua ad Athesim, fiant, & aptentur expensis contratarum & domorum sentientium commodum, quoties opus fuerit; quod si non fecerint, perdant de eorum salario x. libr. denar.

Quod de vaso Athesis a Ponte Novo superius lapides, quari, & glara non removeantur. Cap. XXVIII.

ITEM Statuimus, quod nulla persona debeat accipere, nec accipi facere, nec removere de vaso Athesis, neque de ripis a Ponte Novo superius aliquos lapides, neque quaros, neque aliquid de glara, sive glaris ipsius Athesis, neque de glara, sive vaso ubi sunt arbores a Ponte Pignolo Sanctæ Mariæ in organis superius; & qui contrafecerit, puniatur pro quolibet, & qualibet vice in centum sol. & quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni.

De Piscerlis in Athesi non fabricandis. Cap. XXIX.

ITEM Statuimus, quod nullæ Pisceriæ possint, nec debeant in flumine Athesis, nec in ejus ripis fabricari, nec teneri; & qui contrafecerit, puniatur pro quolibet, & qualibet vice in xxv. libr. denar., quarum medietas sit cameræ Illustrissimi nostri Dominii, & alia officii judicis procuratorum; & quod insuper omne tale opus, & ædificium toties quoties demoliatur, expensis ipsius contrafacientis. Et quod licentia talis fabricæ seu pisceriæ ullo, modo concedi non possit; & si concessa fuerit, non valeat, & impetrans cadat in pœnam xxv. libr. denar. applicandarum, ut supra, & nihilominus dictam pisceriam tenere non possit, sub pena prædicta, & demoliatur, ut supra; & si quæ factæ sunt, ex toto demoliantur.

Quod

Quod in flumine Athesis nulla turpitudo proiiciatur, nec coria ponantur. Cap. XXX.

ITEM Statuimus, quod nulla persona proiiciat, nec proiici faciat de die in flumine Athesis, vel in ripis ejus, a pennello Sancti Zenonis superioris infra, usque ad murum de Campo martio sanguinem, guadum, aquam guadi, vel cendratam guadi, molticium, vel savonatam; nec coria aliqua scarnare super ripis Athesis, nec coria aliqua ponere, præterquam in aqua mortua: & qui contrafecerit, puniatur pro quolibet, & qualibet vice in x. lib. denar. Et etiam prædicta locum habeant in caliariis aptantibus coria, & non debeant proiicere calcinaria, nec aquas calcinariorum in dicto flumine Athesis, pœna & banno prædicto.

Ne coria recentia siccentur, & laborentur in stratis publicis, sed in ripa Athesis; & ne morticinia in stratis proiiciantur. Cap XXXI.

ITEM ordinamus, quod nulla persona scarnet, seu scarnari faciat aliqua coria aliquarum bestiarum, nec pelles pecudum, agnorum, seu castronorum in viis publicis civitatis Veronæ, nec ipsa coria recentia laboret, nec faciat laborari in dictis viis, nec ipsa coria recentia jacere permittat in stratis publicis civitatis & burgorum Veronæ, nec tenere ea debeat super pontibus civitatis extra beccharias ad siccandum, nec stercora, seu morticinia in ipsis stratis publicis proiicere, sed ipsa coria recentia tantum siccentur & laborentur in ripa Athesis: videlicet a ponte navium, usque ad murum Campi martii, vel etiam in flumesello Campi martii, vel alibi extra civitatem, pœna & banno quadraginta sol. pro quolibet contrafaciente & qualibet vice, & amissionis dictorum coriorum; & quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni.

De aqua fluminis Portarum braidæ, & rafioli intus, non auferenda nec deturpanda. Cap. XXXII.

ITEM Statuimus, quod nulla persona possit, nec debeat impedire cursum aquæ, sive flumeselli, qui per clavicam, sive clavicas castri veteris, & Sancti Zenonis Oratorii, ex Athesi discurrens a parte exteriori muri dupli versus cittadellam intrat inter Portam castri veteris & Portam braidæ, per subterraneum archivoltum in fossam a parte interiori, & est maximo commodo multis contratis, maxime Sanctæ Mariæ ad Tractam, Feraboum, Falsugri, Sancti Nicolai, Sanctæ Agnetis intus, Sancti Petri in car. & Braidæ. Et quod pro aliqua causa non possit, nec debeat auferri, nec minui, nec lavari, nec laborari in ea ali-

aliqua coria, vel coramina, nisi lavarentur, aut laborarentur a Porta rasioli inferius, sub pœna centum sol. pro quoque, & quaque vice.

De aqua flumeselli non deturpanda, & de ejus custodia. Cap. XXXIII.

QUUM aqua flumeselli fluentis a Monte Aureo, per contratas Sancti Nazarii, & Sancti Pauli, usque Campum martium communis Veronæ, utilitatem non modicam afferat ipsi communi, & singularibus personis contratarum Sancti Nazarii, & Sancti Pauli, & Sancti Vitalis, & aliis personis, & etiam Muri novi de foris, & commune sit poculum personarum prædictarum, merito convenit ipsam aquam in sua puritate servari, & etiam a nemine deturpari. Quapropter hoc Edicto omnibus prohibemus, quod nulla persona a continentibus ædificiis contratæ Sancti Pauli, & Campo martio supra, usque per totum alveum flumeselli decurrentis a terra Montorii, & abinde citra, audeat vel præsumat in aqua ipsius flumeselli in aliquo loco ponere coria, neque pelles bestiarum, nec ipsa coria seu pelles lavare nec gestare, nec mingere, nec sanguinem salassatorum, vel bestiarum proiicere, nec pellium scarnaturas, nec aquam calcinariorum, coriorum, seu pellium, nec multiciorum in ea proiicere; nec apud ipsum flumesellum per tres perticas habere aliquod corraculum, dugale, seu fossatum, per quod possit in ipsa aqua aliquid de prædictis, vel aliud turpe decurrere; nec aliquod vas calcinatorium coriorum, seu multiciorum, nec biscotarum ponere vel habere, seu tenere vel lavare in dicta aqua, nec morticinia in ea proiicere, nec aliquod aliud turpe in ea habere seu tenere, vel jactare, de die vel de nocte, pena & banno pro quolibet, & qualibet vice, & capitulo suprascripto c. sol. denar.

Item, quod nulla persona audeat vel præsumat in ipsa aqua lavare, nec lavari facere de mane usque ad tertiam petias infantium, seu alias turpes seu inquinatas petias, nec cendratas, seu filum cendratæ proiicere nec lavare, nec savonum, nec aquam savoni proiicere, nec pannos savonatos nec lanam in ipsa lavare, nec buellas, nec stercora eorum lavare. Sed liceat cuicumque prædicta tantum facere post tertiam. Et contrafacientes puniantur pro quolibet & qualibet vice, & quolibet capitulo in quinquaginta solidis. Et quilibet de prædictis sit accusator & habeat medietatem banni, & teneatur in credentia: & credatur ei cum sacramento & uno teste, similiter celato.

Item, quod nulla persona audeat vel præsumat adstringere dictum vasum, nec illud, nec aquam illius impedire vel auferre, pena & banno librarum x. denar. pro quoque, & quaque vice; & quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni, & teneatur in credentia, & ei credatur, ut supra. Salvo jure Monasterii Sancti Nazarii, pro uno molendino quod habere possit, secundum quod habet adjacens domibus dicti

Monasterii prope pontem : & salvo jure aliorum quorumcumque habentium jura clavicarum, accipiendi certis diebus de dicta aqua. Quod Statutum D. Potestas, & judex dugalium, & fortium, & procuratorum, prout ad cujuslibet eorum officium spectabit, vinculo sacramenti faciat observari, compellendo saltuarios Montorii, & saltuarios regulæ Portæ sanctæ Mariæ in organo, & juratos prædictarum contratarum, quod per sacramentum sui officii, & pœna & banno xx. sol. eis & cuique eorum auferendo; quolibet mense bis ad minus debeant inquirere, & videre per singulas habitationes, & hortos circumstantes, si aliquod factum est vel fit contra hoc Statutum: & quos invenerint contrafacere vel fecisse, eadem die vel sequenti denunciare dicto judici. Insuper etiam teneatur ipse judex quolibet mense, semel ad minus, facere inquiri per suos officiales, & secrete per singulas habitationes, quæ sunt supra ipsum flumesellum, si aliquod factum est vel fit contra prædicta. Et generalem etiam inquisitionem faciat quandocumque opus esset vinculo sacramenti. Teneatur etiam D. Potestas, & maxime judex procuratorum admonere D. Abbatem Monasterii Sancti Nazarii, quod diebus singulis *festivis* levet omnes portas sui molendini ab ipso molendino, taliter quod aqua undecumque directe & libere fluat in Campum martium sine aliquo obstaculo.

HÆC SUNT STATUTA SUPER FONTE CIVITATIS.

De aqua rivi decurrentis a contrata Avesæ non auferenda, nisi certis diebus & noctibus. Cap. XXXIV.

QUUM fons, qui oritur in contrata Avesæ, pœnes Monasterium Camaldulense, & laudabili majorium industria atque expensa decurrit ad civitatem in Plateam mercati fori Veronæ, sit maximo commodo, & decori civitatis: Statuimus, quod quicumque acceperit, seu abstulerit aquam rivi decurrentis a contrata Avesæ ad civitatem Veronæ de alveo suo, emendet centum sol. communi Veronæ pro qualibet vice, nisi in Dominicis diebus, aut in festis Apostolorum, & Sanctæ Mariæ Matris Domini; exceptis illis, qui haberent rationem, vel potestatem auferendi caussa reficiendi molendina sua; Et illi, qui acceperint tempore concesso, accipiant cum verbo & licentia judicis dugalium, & fortium communis Veronæ: Et teneantur etiam reficere vadum, unde aquam abstulerint cum designatione, & præcepto dicti judicis dugalium & fortium, sub pœna prædicta. Ita quod ipse judex possit & debeat dare parabolam unicuique accipiendi medietatem aquæ prædicti rivi in noctibus prædictorum dierum, & festivitatum, & alia medietas decurrat per vasum

vasum illius rivi: cujus banni supradicti medietas sit communis Veronæ, & alia medietas sit accusatoris. Et de hoc quilibet sit accusator, & manifestationes fieri debeant coram judice ad officium dugalium, & fortium deputato. Salvo eo, quod illi de Sancto Georgio possint accipere aquam dicti rivi a domo qu. Marci de gentilino, usque ad domum d. Odorici de corato, sine aliqua pœna & b nno. Et nihilominus judex dugalium, & fortium accipere possit dictum bannum. Et, si ipse judex contra formam præsentis Statuti dederit alicui licentiam de dicta aqua accipiendi, exceptis diebus & noctibus dierum infrascriptorum concessis, videlicet dierum Dominicorum, Apostolorum, & Sanctæ Mariæ Matris Domini, quod ipse judex emendet de suo dictum bannum centum sol. communi Veronę. Et quod ipse judex procurari facere teneatur, ne fiat contra prędicta modis omnibus, quibus melius poterit.

De duobus Suprastantibus dicti fontis eligendis.
Cap. XXXV.

ITEM Statuimus, quod quibuslibet sex mensibus in Consilio XII. ad utilia communis Veronę deputatorum cum additione aliorum XII. civium de habentibus spinas a dicto fonte per dictos deputatos assumptorum, eligi debeant duo cives bonę conditionis, & reputationis, de iis, qui habent fontem in domo, sine aliquo salario, qui ultra milites communis specialiter superesse debeant regulationi, & manutentioni dicti fontis supravidendo, & examinando ab origine illius usque in dictam Plateam, omnes defectus & impedimenta; & providendo, ac provideri faciendo, tam per manifestationes faciendas per ipsos contra personas damnificantes vel impedientes, quam per laboreria utilia & necessaria facienda, tam in alveo, quam in canono sive canonis, pro reparatione & manutentione dictę commoditatis, & decoris: de quibus quidem laboreriis conferre prius debeant cum Provisoribus communis, & cum duobus militibus procuratoribus communis; & illa exequi, & fieri facere secundum quod per D. Potestatem, & dictum Consilium vel alios per eos deputatos fuerint deliberata. Nisi aliud & aliter ipsi D. Potestati, & Consilio XII. & l. deputatorum videretur faciendum & ordinaretur: quod tunc servari, & exequi debeat.

De uno Magistro fontium eligendo. Cap. XXXVI.

ITEM, quod in dicto Consilio XXIV. videlicet XII. deputatorum, & XII. additionis, de quo supra in proximo Statuto continetur, eligatur unus Magister peritus in regulando, aptando, & manutenendo dictum fon-

fontem, qui habere & tenere debeat apud se unum socium, sive coadiutorem etiam peritum in dicto exercitio fontium, & qui jurare debeat in manibus D. Potestatis recte & fideliter suum officium facere, & ordines fontium observare; & habere debeat pro suo salario, ultra xx. libr. quas recipit, sive ultra illud quod recipit a Camera Illustrissimi nostri Dominii in Verona; videlicet decem libr. denar. in mense, expensis civium habentium fontem in domo de x. sol. qui solvi debent quolibet anno pro quaque spina, quę spinę sunt in summa cclx. vel circa, de quibus exigentur librę cxxx. in anno.

Quod Provisores communis exigant omni anno x. sol. pro spina ab habentibus fontes, & solvant de iis, ut infra. Cap. XXXVII.

ITEM, quod per Provisores communis Veronę exigantur omni anno per totum mensem Martii dictę cxxx. libr. denar. ab habentibus spinas in ratione x. solidorum pro quaque spina, de quibus solvant dicto Magistro fontis, cum ejus socio seu coadiutore v. libr. denar. in mense, ultra illud quod recipit, vel recipiet a Camera, ut dictum est: & restum quod erit lxx. libr. expendatur in aptando, & manutenendo dictum fontem de plumbo, lignaminibus, muris, lastis, ac cisternis, & aliis.

De modo tenendo per Magistrum fontis in aptando canonum magnum, & canonos communes. Cap. XXXVIII.

ITEM, quod dictus Magister fontis & socius seu coadiutor teneantur & debeant pro salario suo, bene & diligenter aptare & manutenere canonos dicti fontis, tam videlicet canonum magnum, quam alios canonos communes a pluribus domibus apprehensos in dicto canono magno, in cavando, cooperiendo, saldando, & de novo reficiendo, ac emendando, & plumbum laborando, & alia quęque faciendo, sine alio lucro, provisione, vel salario, quotiescumque & ubicumque, & quandocumque opus erit. Eo salvo, quod si expedierit aliquando in aliquo loco aliquid fieri pro reficiendo aliquam partem dictorum canonorum de plumbo novo, seu de muris, vel lastis pro reficiendo cisternam, vel de lignaminibus pro lecto canoni super Ponte petrę, vel pro magisterio murorum, & lastarum, pro ponendo lignamina & lastas in opere; quod illud plumbum, lignamina, muri, lastæ, et magisteria solvantur expensis dictorum civium habentium fontes de resto dictorum decem sol. recuperandorum pro quaque spina, ut supra. Eo salvo, quod si aliqui cives haberent opus refici facere, vel emendare aliquem suum canonum proprium a suo galeto intra, usque ad spinas suas, qui forte essent marcidi vel

vel scissi, vel fracti, vel aliter, quod illud fiat per dictum Magistrum, vel coadiutorem expensis eorum, qui tali laborerio indigerent.

Quod Magister vel coadiutor non cooperiant aliquod laborerium a se factum, nisi prius visum, & laudatum. Cap. XXXIX.

ITEM, quod dictus Magister & coadiutor postquam fecerint aliquod laborerium in dictis canonis & fonte, illud non cooperiant, nisi prius visum fuerit, & laudatum per milites communis Veronæ, vel alterum eorum, & per dictos duos cives suprastantes, vel alterum eorum; & si contrafecerint, teneantur suis expensis discooperiri & recooperiri facere ad omne mandatum dictorum militum, & suprastantium.

Ne aliquis alius, quam dictus Magister & coadiutor, de magisterio dicti fontis se impediat. Cap. XL.

ITEM, quod nullius alius magister, neque alia aliqua persona possit, aut audeat aliquo modo vel ingenio laborare, nec laborari facere circa dictum fontem & canonos, nec de aliquo laborerio dicti fontis & canonorum, nec de galetis seu spinis, & canonis singularium personarum se aliqualiter impedire, sine dicti magistri, & dictorum suprastantium, & militum procuratorum licentia, pœna & banno decem libr. denar. pro quoque & quaque vice: cujus dimidia sit dicti magistri, & alia dictorum suprastantium, sive militum, qui fuerint inventores.

De non concedenda spina fontis alicui personæ, vel domui, nisi per duas partes Consilii: & de pœna Magistri contrafacientis, & Domini domus inducentis. Cap. XLI.

ITEM Statuimus, quod aliqua spina dicti fontis concedi non possit nec debeat alicui personæ, vel domui non habenti illam, nisi per D. Potestatem, & per duas partes Consilii XII. & L. deputatorum. Et tunc dicta talis persona solvere debeat officio provisorum communis in utilitatem communem canoni majoris & dicti fontis, XXV. libr. denar. Et, si præter contradictam formam, vel modum aliqua persona conduxerit, seu conduci fecerit in domum suam aliquam spinam dicti fontis; cadat in pœnam libr. centum denar. applicandam pro uno tertio communi Veronæ officio Provisorum, & pro alio tertio duobus suprastantibus fontium, & pro alio tertio ad reparationem dicti fontis, etiam exigendam per dictos Provisores: & quod dicta spina de facto abscindatur, & auferatur a dicta domo. Magistro autem, qui dictum opus fecis-

ſet, ſit pęna perjurii, & aliarum centum librarum applicandarum, ut ſupra: Et Magiſter pro diſcipulo, ſive coadiutore teneatur.

Quod omnes ſpinæ fontis ponantur ad livellum. Cap. XLII.

CONSORTIBUS fontium paria debent eſſe commoda, ſicut & onera. Propterea Statuimus, quod omnes & ſingulæ ſpinæ fontis quarumcumque domorum poni debeant ad juſtum livellum. Et qui abbaſſaverit dictum livellum, vel aliunde aquam abſtulerit, vel aliter fraudaverit, cadat in pœnam lx. ſol. pro prima vice; & centum ſol. pro ſecunda vice; & x. libr. denar. pro tertia: & quod inſuper ad ipſam tertiam vicem ſpina, & canonus dicti fontis totaliter abſcindatur, & auferatur de dicta domo, numquam de cętero reponenda, niſi per novam conceſſionem Conſilii xii. & l. deputatorum, & cum ſolutione ordinaria tamquam de novo fonte. Et quod dictum eſt de prima, ſecunda, & tertia vice, intelligatur cum intervallo trium dierum inter unam condemnationem & aliam, ſive unam inventionem & aliam. Et hoc tam dicti ſupraſtantes fontium, quam dictus magiſter, & milites procuratores communis Veronæ vinculo ſacramenti inquirere teneantur: & qui eorum inventor fuerit, vel alius qui extiterit accuſator, habeat medietatem dictarum pœnarum, & alia medietas cadat ad utilitatem dicti canoni magni ipſius fontis. Et ad prædicta D. Poteſtas ſuum brachium & favorem dare teneatur.

De foratoriis faciendis in dicto fonte. Cap. XLIII.

ITEM, quod fiant foratoria in locis neceſſariis, expenſis communibus ſpinarum, ſcil. de collecta x. ſol. pro ſpina, ut ſupra, ipſis magiſtro & coadiutore laborantibus plombum, tam pro foratoriis faciendis, quam pro ſpinis ponendis ad livellum, quam etiam pro quocumque laborerio utili vel neceſſario pro dicto fonte, ſine aliquo alio ſalario.

Quod habentes fontes non permittant aquam exire ex eis, niſi quantum ſibi ſufficiat. Cap. XLIV.

ITEM ordinamus, quod nulla perſona habens fontem in domo permittat aliquo modo exire aquam ex dicto ſuo fonte, niſi quantum ſit conveniens & ſit neceſſarium, ad hoc ut etiam alii conſortes ſui poſſint omni hora & tempore de aqua ſufficienter habere, ſub pœna xx. ſol. denar. pro quoque, & quaque vice, applicanda pro tertia parte officio procuratorum, ſive magiſtro fontium, ſi magiſter fuerit inventor, & pro alia tertia ad utilitatem canoni magni, & pro alia tertia dictis ſupraſtantibus.

Quod

Quod aqua non permittatur exire super stratas per habentes fontes.
Cap. XLV.

ITEM, quod nulla persona civitatis & burgorum Veronæ habens spinam, sive spinas fontis permittat aquam dicti fontis aliquo modo vel tempore exire e domo suæ habitationis, & decurrere in stratam publicam: & qui contrafecerit, condemnetur pro prima vice in sol. xx., pro secunda in sol. xl., & pro tertia in sol. centum. Et quod dictum est de prima, secunda, & tertia vice, intelligatur cum intervallo trium dierum inter unam condemnationem & aliam, sive unam inventionem & aliam. Et de hoc milites procuratores vinculo sacramenti inquirere teneantur; & prædictarum pœnarum tertia sit officij procuratorum, & alia cadat ad utilitatem canoni magni prædicti fontis, & alia dictis suprastantibus. Et ad prædicta D. Potestas suum brachium & favorem dare teneatur.

De puteis curandis per juratos contratarum per totum mensem Aprilis.
Cap. XLVI.

ITEM ordinamus, quod quilibet jurati contratarum civitatis & burgorum Veronæ habentium puteos teneantur & debeant ipsos puteos bene curare & purgare, & curari & purgari fecisse per totum mensem Aprilis, taliter quod aqua dictorum puteorum sit bene purgata, & clara, & bona, expensis suæ contratæ; & immediate de ipsa purgatione & curatione fidem facere per rasonerios dictæ suæ contratæ ad officium Procuratorum communis, pœna & banno xx. sol. pro quoque jurato, & quaque vice. Et si post dictam curationem & purgationem aliqua morticinia, vel stercora, vel aliquid putridum in dictos puteos deiiceretur, teneantur ipsi jurati sub eadem pœna iterum facere curari dictos puteos, & purgari, & mundificari dictam aquam expensis illorum, qui taliter deturpassent, si sciri non poterit; ita quod parentes, & alii pro suis liberis, & omnibus de sua familia teneantur: & si sciri non poterit, tunc prædicta fiant expensis dictæ contratæ, ut supra.

Quod in lavello apud sanctum Georgium nulla persona debeat lavare pannos, vel aliquam facere turpitudinem. *Cap. XLVII.*

ITEM ordinamus, quod nulla persona debeat lavare pannos, vel proiicere, seu facere aliquam immunditiam sive turpitudinem in lavello, sive beuratorio facto apud sanctum Georgium, pena & banno x. sol. pro qualibet persona, & qualibet vice. Et de prædictis quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni.

De

De molticiis non tenendis circa plateam mercati, & de pellibus similiter non squassandis. Cap. XLVIII.

ITEM Statuimus, quod nullus pellliparius, nec chartarius, nec alius conficiens pelles possit, nec debeat molticium facere, nec tenere in stationibus, neque in domibus positis, quantum est a porta Borseriorum, usque ad Ecclesiam Sanctæ Anastasiæ, & quantum est ab Ecclesia Sanctæ Euphemiæ, usque ad clavicam broili Sanctæ Anastasiæ, & quantum est a longum Plateæ per stratam regalem versus pontem navium, usque ad clavicam Leonum, & quantum est per transversum Plateę super bina pellipariorum, usque ad clavicam contratę clavicę et ad pontem novum, nec similiter super aliquibus aliis stratis regularibus: & qui contrafecerit, puniatur pro quolibet, & qualibet vice in centum sol., & plus & minus, arbitrio judicis procuratorum cum consiliariis suis. Nec etiam squassare, nec battere pelles in aliquibus de prænominatis viis, sub pœna x. sol. pro quolibet, & qualibet vice; & magister pro discipulo teneatur. Et de prædictis quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni.

De sanguine a beccariis ad tinctorias non portando de die, nec tenendo in apertum. Cap. XLIX.

ITEM, quod nulla persona portet, nec portari faciat, nisi in diluculo, aut crepusculo, sanguinem a beccariis ad tinctorias, nec tinctores illum tenere debeant in apertum, sed taliter in secessum locum, quod visum, vel olfatum hominum non offendat, sub pœna x. libr. denar. pro quoque, & quaque vice; de quibus quilibet sit accusator, & lucretur tertiam partem dictæ pœnę, & teneatur in credentia.

De fenestris, sive busis a canipa cooperiendis. Cap. L.

ITEM ordinamus, quod quælibet persona civitatis & burgorum Veronæ habens aliquam fenestram, sive busam luminariam a revolto, vel canipa super stratam, seu viam communem, aut etiam vicinalem, vel introitum, teneatur & debeat ipsam fenestram, sive busam cooperire, & coopertam tenere cum una grada de ferro, vel de lignamine forti, taliter quod pueri, vel alii non possint in eis cadere, nec aliquis in eis se abscondere, pœna & banno centum sol. pro quoque, & quaque vice.

Ut

Ut sedilia, & latrinæ cooperta maneant. *Cap. LI.*

ITEM Statuimus, quod nulla persona civitatis, castelli, vel suburbiorum iu civitate Veronæ, castello, & burgis habeat, & habere debeat latrinam, vel sedile aliquod, nisi fuerit coopertum, exceptis sedilibus & latrinis, quæ sunt supra flumen Athesis: & qui contrafecerit, puniatur in x. libr. denar. communi Veronæ, pro qualibet vice, & quolibet termino elapso, quo eadem non fecerit cooperiri, si fuerit denunciatum, vel præceptum.

De scanciis faciendis, taliter quod aqua ipsarum vadat subtus terram. *Cap. LII.*

ITEM ordinamus, quod scanciæ, sive seclaria domus novæ communis Veronæ per quæ descendit aqua coquinæ, taliter ordinetur, quod aqua vadat subtus terram; & omnes aliæ scanciæ civitatis Veronæ aptentur modo supradicto per illos, quorum sunt domus, sub pœna centum sol. pro quolibet, & qualibet scancia.

De eodem. *Cap. LIII.*

ITEM, quod nulla persona habere debeat, nec teneat aliquam scanciam, seu aquarolum, unde proiiciatur aqua, vel alia turpitudo super aliqua strata civitatis & burgorum Veronæ; & qui contrafecerit, & aquam per dictos aquarolos proiicerit, puniatur pro quolibet, & qualibet vice in lx. sol.; & de hoc quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni.

Quod Urbs Veronæ bis in anno purgetur. *Cap. LIV.*

ITEM, quod Milites procuratores communis Veronæ operam dare debeant, quod bis in anno omnes stratæ, viæ, & Plateæ totius urbis Veronæ a cœno & luto purgentur, scilicet semel in hyeme, & semel in æstate. Et strata, quæ incipit a capite pontis Sancti Vitalis, & inde directe extenditur per viam novam usque ad Portam Episcopi, & etiam strata, quæ incipit a Porta muri novi, prout extenditur, usque ad dictam Portam Episcopi, per sex vices in quolibet anno mundetur, levando & asportando ex eis lapides, cœnum, & lutum, expensis illorum, qui domos habent super dictis stratis: & qui contrafecerit, puniatur pro quolibet, & qualibet vice in xx. sol. Et prædicti procuratores communis Veronæ sacramento teneantur prædicta inquirere, & dare operam ut sic attendatur; quod si non fecerint, perdant de suo salario

pro quolibet centum sol., & de hoc quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni. Et quod cœnum, vel lutum, quo urbs purgabitur, portetur in Campum martium; quod si factum non fuerit. Milites procuratores amittant pro quolibet de suo salario centum sol. Qua eadem pœna Suprastans plaustrorum puniatur. Et in singulis prædictis D. Potestas favorem & subsidium præstare teneatur.

De lætamine Palatii, & Mercati Fori proiiciendo in Campum martium. Cap. LV.

ITEM, quod D. Potestas, et procuratores communis Veronæ procurare, et facere teneantur, quod totum lætamen Mercati, et Palatii deferatur, et conducatur in Campum martium, vel alio: et infra xv. dies per ipsum Campum martium spargatur.

Ut Theatrum, sive Arena clausum, vel clausa permaneat; & de pœna illius, qui portas, vel murum fregerit; & ne quid in ea turpe fiat. Cap. LVI.

QUUM multa hactenus maleficia in Theatro, sive Arena commissa sint, et ipsa Arena sit ædificium memoriale, et honorificum civitati, quod propterea mundum tenendum est; Statuimus, quod dictum Theatrum, sive Arena claudi debeat, et clausum teneri, et claves portarum ejus in massaria communis Veronæ apud massarium communis ponantur, et stent. Et si quis fregerit portas, vel murum ipsius Theatri per vim, puniatur in xxv. libr. denar. pro quoque, et quaque vice. Eadem pęna puniatur quicumque destrueret aliquem de gradibus, sive schalinis, vel moveret, aut faceret cadere aliquem quarum, vel alias petras, pro asportando ex ipsa Arena; et quod totum suis expensis reficere teneatur. Et si quis de cætero in ipsam Arenam, vel circa ęam carrizaverit, seu portaverit, et projecerit aliquod terrenum, vel lutum, vel aliud simile, puniatur pro quoque, et quaque vice in centum sol., et ad exportandum omne ipsum terrenum, vel lutum. Qui vero in eo fecerit aliquam turpitudinem, puniatur in x. sol. Et de prædictis omnibus et singulis jurati contratarum circumstantium, et commorantes in dicta Arena teneantur curam habere, et denunciare eadem die vel sequenti officio procuratorum communis Veronæ, banno ad voluntatem dictorum procuratorum auferendo: et quilibet sit accusator, et habeat medietatem suprascriptarum pęnarum. Et procuratores communis Veronæ infra xv. dies sui officii teneantur inquirere per coualos habitantes, et si invenerint aliquem habentem cloacam, vel fossam, vel scapham discurrentem in dicto Theatro, vel Arena, quod fa-

faciant eas claudere. Et qui in termino sibi dato non clauderent, emendent centum sol. communi Veronæ, et claudant, et ipsas clausas teneant.

De Meretricibus, & Roffianis, ubi stare debeant, & de signo suæ turpitudinis portando. Cap. LVII.

ITEM, quod omnes meretrices, et roffianæ publicæ stare debeant in Arena, et si alibi repertæ fuerint stare, condemnentur in x. lib. denar. pro quaque communi Veronæ, et pro quaque vice: et si in domo alicujus reperta fuerit stare aliqua meretrix, seu roffiana, de qua sit publica vox et fama, quod sit meretrix et roffiana, ille cujus est domus condemnetur in centum sol. toties quoties eam retinuerit. Et quod nulla meretrix, seu roffiana publica audeat ire per civitatem, vel burgos Veronæ aliquo modo vel caussa, nisi habuerit super humerum unam bindam pignolati albi latam digitis quatuor, et longam quantum est altitudo pignolati, quæ super ipso humero ante et retro bene appareat, sub pœna lx. sol. pro quaque, et quaque vice. Roffiani autem publici portare debeant unum sonagium in capite, vel super humero ligatum, et bene apparentem, et resonantem, sub pœna prædicta. Et de omnibus prædictis quilibet sit accusator, et habeat medietatem banni.

De scopaturis, sive scovaugiis non projiciendis in viis. Cap. LVIII.

ITEM ordinamus, quod nullus ante domos suas, nec alibi in viis publicis, seu vicinalibus, nec in porticibus, nec in Plateis projiciat scopaturas, seu scouaugias, seu terrenum, sub pęna xx. sol. pro quoque, et quaque vice; quæ pęna duplicetur, si aliquid de prædictis dejectatum esset supra personam alicujus; cujus pœnæ medietas sit accusatoris, & alia communis. Et si quis haberet ante domum aliquid de prædictis, vel aliquod aliud impedimentum, per quod via impediretur, illud debeat tollere infra tertium diem, pęna & banno prædicto, toties quoties contrafecerit: & nihilominus de admisso condemnetur. Et Dominus, sive Domina familiæ teneatur pro pueris, & famulis suis, majoribus tamen decem annis.

De aliqua turpitudine non facienda, nec dejectanda in Mercato fori, nec in Palatio communis, nec in Domo mercatorum, nec in stratis & locis publicis. Cap. LIX.

ITEM Statuimus, quod nulla persona de die, nec de nocte faciat aliquam turpitudinem in Palatio communis Veronæ superius vel inferius, nisi in locis deputatis, nec in mercato fori, nec sub domo mercatorum, nec sub stationibus Palatii, aut domus mercatorum, aut aliis circa ipsum mercatum, nec sub domo, ubi venduntur petiæ pignolatorum, nec in Platea Sancti Marci, nec in via Portelli, quæ venit super Plateam Dominationis, nec in Braida Veronæ, nec in stratis publicis civitatis & burgorum Veronæ, nec in Plateis, aliquibus, neque in stratis per quas itur ad Ecclesiam Sancti Zenonis in monte; nec similiter dejactare aliqua stercora, seu budellas, seu lavaturas, seu aliquam aliam turpitudinem in stratis publicis, seu introilis: & qui contrafecerit, puniatur pro quolibet, & qualibet vice in l. sol. & minus, usque ad xx. sol. arbitrio judicis procuratorum, & consiliariorum suorum inspecta qualitate facti & loci, præter id, quod si supra personam alicujus aliquid de prædictis dejectatum fuerit, puniatur in duplo persona, quæ id commisisset. Excepto quam, si esset aqua munda, de qua puniatur arbitrio prædicto, inspecta qualitate, & conditione personarum & facti. Et quod Dominus, sive Domina familiæ domus in quolibet prædictorum casuum teneatur etiam pro pueris, & eorum famulis majoribus x. annis; & de prædictis quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni.

De asinis, aut aliis bestiis non ligandis in Mercato fori, nec circa illud. Cap. LX.

ITEM Statuimus, quod nulla persona ligare debeat, nec ligatum tenere in mercato fori, nec in curtivo Palatii communis Veronæ, nec in introitibus ipsius Palatii, nec super via Portelli, nec super Platea Sancti Marci, nec super via pignolatorum, nec alibi circa Plateam mercati fori aliquem asinum, vel aliam bestiam, sub pęna xx. sol. pro quaque bestia.

De porcillis non tenendis in stratis & viis publicis; & de porcabus, & porcellis non tenendis in civitate, seu burgis. Cap. LXI.

ITEM Statuimus, quod nulla persona teneat porcillem in stratis, & viis publicis, & in mercato fori civitatis & burgorum Veronæ; & qui contrafecerit puniatur in xx. sol. Et nihilominus dictum porcillem removere tenea-

teneatur. Et quod nullus in civitate & burgis porcas a porcellis tenere debeat, pœna prędicta.

De porcis Ecclesiæ Sancti Antonii, & aliis non tenendis in civitate, seu burgis, districti seu discurrentibus.
Cap. LXII.

ITEM porci cujuscumque sint, etiam de Sancto Antonio, non possint per civitatem Veronæ, seu burgos discurrere; immo omnes, vel in civitate & burgis non teneantur, vel clausi teneantur, sub pœna amittendi ipsos porcos.

De Mercato fori non impediendo, vel occupando cum cassonis, vel discis. Cap. LXIII.

STATUIMUS, quod nulla persona debeat impedire, vel occupare Plateam mercati fori Veronæ cum cassonis, discis, cistis, storeis, nec cum aliqua alia re, nec stare ibi ad vendendum contra formam Statutorum, & ordinum, sub pęna lx. sol. pro quoque, & quaque vice. Salvo quod portantes ad vendendum super dicto mercato herbas, fructus, pullos, & pisces recentes ibi stare & vendere possint impune, dummodo non sint revendaroli, aut revendarolæ, quibus sit prohibitum, ut supra. Item quod conducentes ad fictum aliquem de dictis locis Plateæ dicti mercati non possint tenere discos clausos, nec banchos, nec cassonos, qui sint cooperti, nisi de storeis, aut tendis altis tantummodo sex pedibus. Item, quod dictos discos, banchos, seu cassonos cum dictis tendis, & storeis conductores eorum exportari fecisse debeant de ipsa Platea omnibus diebus sabbathi, & vigiliis solemnium festivitatum, videlicet in seroad campanam Palatii pro Ave Maria. Et qui contrafecerit, puniatur in centum sol. pro quolibet, & qualibet vice. Item, quod conductores dictorum locorum non debeant conducere, nec tenere dictos discos, banehos seu cassonos, nec aliquas alias res super dicto mercato in aliquibus diebus solemnium festivitatum. Et qui contrafecerit, puniatur in centum sol. pro quolibet, & & qualibet vice. Salvo quod zavascarii, & zavascariæ herbarum, fructuum, pullorum & venditores piscium salitorum, & panis possint tenere quolibet die suos cassonos & tendas in dicta Platea mercati fori a Capitello infra; exceptis diebus Natalis, & Paschæ cum duobus diebus sequentibus. Et qui contrafecerit, puniatur arbitrio judicis procuratorum, & consiliariorum suorum.

Quan-

Quantum cassoni stationum porrigi possint extra muros in Platea mercati fori, & quantum alibi; & de voltis domus mercatorum non impediendis. Cap. LXIV.

ITEM ordinamus, quod nullus campsor, sive scapizator, sive merzarius, sive quilibet alius artifex cujusvis conditionis, qui sit circa Plateam mercati fori, intelligendo etiam subtus domum mercatorum, tenere debeat aliquem discum, seu cassonum, banchum seu bancham, neque aliam rem porrectam extra muros suarum stationum ultra quatuor pedes. Et qui contrafecerit, puniatur pro quolibet, & qualibet vice in centum sol., & reducat exporrectum ad modulum quatuor pedum tantum. Tenentes autem stationes super viis publicis venientibus ad dictam Plateam mercati fori, tenere non debeant aliquid de prædictis exporrectum extra muros ipsarum stationum ultra tres pedes, sub pœna prædicta. In aliis autem locis civitatis & burgorum Veronæ sit in arbitrio judicis & consiliariorum, & militum procuratorum vel majoris partis assignandi quantitatem exporrecti, dummodo non excedant mensuram trium vel quattuor pedum, ut supra. Et nihilominus nec per talem assignationem, nec per concessionem, aut permissionem præsentis Statuti aliqua persona possit acquirere, nec intelligatur acquisivisse jus, seu facultatem aliquam exporrigendi aliquid de prædictis extra muros suarum stationum in magna vel parva quantitate: sed de omnibus stationibus tam in Platea, & circa Plateam mercati fori, quam in viis & aliis locis civitatis, sit semper in arbitrio communis Veronæ removeri faciendi omne exporrectum extra muros earum, & illud permittendi, si & prout & quantum sibi melius videbitur, & placuerit. Item quod volti domus mercatorum, tam in pilastris suis, quam inter unam columnam & aliam, & tam intus, quam extra, stare debeant libere & expedite absque aliquo impedimento, sub pœna lx. sol. pro quoque occupante vel impediente, & quaque vice, ad & removendum omne impedimentum.

De ponticellis de novo non fabricandis, & veteribus non fulciendis; & de altitudine coperturarum. Cap. LXV.

ITEM ordinamus, quod aliqua persona in civitate & burgis Veronæ fabricare non debeat, nec faciat aliquod ponticellum ad suam domum super aliqua via publica, seu etiam vicinali, nec jam factum aliquo modo fulcire, nec reficere in aliqua ejus parte, sine licentia D. Potestatis cum consilio xII. & L. ad utilia communis Veronæ deputatorum, quæ licentia dari non possit, nisi per duas partes dicti consilii. Et si quis contrafecerit, cadat in pœnam de ponticello novo L. libr. denar., de veteri vero xxv. Et quod sive novum, sive vetus fuerit, totum debeat sibi

de

de facto deiici & demoliri incontinenti, non intelligendo prædicta de ponticellis, & podiis, quæ essent de lastis cum ferrata, dummodo & ipsa sint ad decorem civitatis, arbitrio provisorum communis Veronæ, & judicis procuratorum cum consiliariis suis, & militibus procuratorum, & altitudinis a terra quindecim pedum. Quæ quidem altitudo quindecim pedum haberi, & observari debeat etiam in quibuscumque stillicidiis, & aliis coopertaris exporrectis super vias, sub pœna x. libr. denar. pro quoque contrafaciente, & quaque vice: & quod tales coperturæ, & stillicidia de supra viis removeantur incontinenti, aut sibi de facto deiiciantur. Exceptis stillicidiis, & coperturis in Platea mercati fori, & circa ipsam Plateam, quibus altitudo permittatur secundum loci opportunitatem, arbitrio prædicto. Item, quod omnia & singula ponticella, si qua sunt transversantia vias publicas, seu vicinales de una domo ad aliam, illa debeant incontinenti removeri, aut de facto demoliri, tanquam usurpatio & occupatio communis aeris, & publici juris; & quod nunquam de cætero licentia de talibus concedi possit, nec debeat; & si concessa fuerit, non valeat, & impetrator cadat in pœnam centum libr. applicandam pro dimidia cameræ Sancti Marci, & pro alia dimidia officio procuratorum communis, & quod tale opus quandocumque in perpetuum de facto demoliatur in totum: & ad prædicta omnia & singula D. Potestas suum favorem & brachium dare teneatur.

De horticinis non tenendis ad balcones super viis. Cap. LXVI.

ITEM, quod nulla persona teneat aliquem horticinum constructum de lignamine super balconis, seu ponticellis, seu quodcumque positum extra murum domus super stratis & viis, tam publicis quam vicinalibus civitatis & burgorum Veronæ, sub pœna xx. sol. pro quoque, & quaque vice, & ad removendum infra tres dies a die præcepti, dictos horticellos.

Quod domum coopertam de paleis nullus teneat in civitate, seu burgis. Cap. LXVII.

ITEM Statuimus, quod nulla persona possit, seu debeat habere, nec tenere aliquam domum coopertam de paleis, in civitate seu burgis Veronæ intra muros ipsius civitatis; & qui contrafecerit, puniatur pro quolibet, & qualibet vice in lx. sol. & ipsam domum vel tollat, vel de cupis cooperiat.

Si in-

Si incendium ortum fuerit in civitate, qui ad illud currere debeant, & de munitionibus ab incendio tenendis per contratas; & de immunitate portitorum. Cap. LXVIII.

ITEM, quod si contigerit aliquod incendium apparere in civitate Veronæ, & propterea campana communis sonata fuerit, quæ tamen sonari non possit sine licentia D. Potestatis, quod tunc quilibet, (exceptis ribaldis, furibus, & hominibus malæ famæ) ad dictum incendium ire possit, & currere sine pœna. Et viatores communis Veronæ tunc teneantur venire confestim ad Palatium, & se præsentare D. Potestati, sive uni ex militibus ejus, pęna & banno lx. sol. pro quoque, & quaque vice. Si autem non fuerit sonatum ad campanam, tunc ad dictum incendium aliquis currere non possit, nec debeat, exceptis viris religiosis, magistris manariæ, ferrariis, murariis, portitoribus cujuscumque conditionis existant, & propinquis illorum ubi esset incendium, & personis stantibus in contrata incendii, & in contratis ibi proximis circumstantibus. Et qui contrafecerit, puniatur pro quolibet, & qualibet vice in x. libr. denario. Sed pulsari possit & debeat, etiam ad campanam Capellæ illius contratæ, ubi ignis apparuerit. Et quod proinde quælibet contrata civitatis & burgorum Veronæ habere semper debeat unam tinam, sive lavellum lapideum, & illud continue teneatur plenum aqua, & duas scalas bonas & longas, & duos granfionos, & quatuor secures, & duos picos, & unam lumeriam cum XII. ballottis, pęna & banno pro qualibet guaita lx. sol. Et quod jurati contratarum teneantur ad dictum incendium præsentare unam situlam pro quaque familia suæ contratæ: & quilibet requisitus ipsam situlam dare teneatur. Et quod magistri manariæ, & murarii similiter teneantur currere ad ipsum ignem cum securibus, & aliis utilibus armis ad ipsum ignem extinguendum. Et quod dicti portitores teneantur statim cum brentis & aqua currere ad ignem, & conducere aquam, & alia facere, quæ alibi per D. Potestatem, vel ejus nuncium imponerentur: & etiam conducere aquam ad dictum ignem extinguendum, licet sibi non fuerit impositum, & ibi stare, donec dictum incendium fuerit extinctum. Et prædicta facere teneantur, pęna pro quolibet, & qualibet vice centum sol. Et quod dicti portitores a brentis non teneantur, nec debeant solvere onera & factiones cum communi Veronæ, excepto quam de contratis, & puteis contratarum. Et quod ipsi portitores teneantur ducere aquam ad lavellum Capitelli quoties per D. Potestatem, vel ejus nuncium fuerint requisiti, banno prædicto.

De

De damnis impune faciendis propter incendium. *Cap. LXIX.*

ITEM, quod si aliquod incendium acciderit in civitate Veronæ seu burgis, quod liceat unicuique propter dicti incendii periculum evitandum domum propinquam igni destruere, & commune Veronæ teneatur damnum illius, cujus fuerit dicta domus, resarcire.

De furnis villarum, quantum debeant a domibus distare. *Cap. LXX.*

ITEM, quod propter incendii periculum evitandum, omnes & singuli furni villarum & locorum districtus Veronæ debeant separati esse, seu distare a domibus per sex perticas: & qui furnum contra prædicta habuerit, condemnetur in centum solidis. Exceptis furnis, qui sunt in domibus muratis coopertis de cupis, seu juxta ipsas domos.

Quod campana deputata occasione magistrorum, & operariorum omni die pulsari debeat horis ordinatis. *Cap. LXXI.*

ITEM ordinamus, quod quolibet die summo mane debeat pulsari ad funem campana quæ nuncupatur Marangona, per unam vicem bono modo in longum, ad quem sonum campanæ omnes magistri, & operarii cujuscumque artificii, & quocumque nomine censeantur, laborantes ad pretium teneantur, & debeant esse in suis laboreriis, & deinde non se recedere, nisi prius pulsata campana in occasu solis; & quilibet contrafaciens puniatur in quinque sol. pro quolibet, & qualibet vice; & quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni, & credatur sacramento accusatoris.

De mercede, & salario magistrorum manariæ, murorum, & coopertoriorum domorum, & operariorum suorum. *Cap. LXXII.*

ITEM, quod D. Potestas, & judex procuratorum communis Veronæ debeant providere, & operam dare, ut magistri manariæ, murorum & domorum coopertorum ab initio quadragesimæ usque ad festum omnium Sanctorum, pro singulis diebus non accipiant ultra xv. sol. habita comestione, & supra se, xviii. sol. A festo vero omnium Sanctorum usque ad intratam quadragesimæ, ultra xii. sol. habendo comestionem, & supra se, xv. sol., si inde fuerint requisiti. Et Magistrum contrafacientem in lx. sol. proqualibet vice multare debeant, si inde fuerint requisiti; & supra dicti Magistri habere, & percipere debeant pro mercede sua illud idem salarium in die si laboraverint

communi Veronæ, vel in servitio communis Veronæ. Et quod operarii habere debeant in quolibet prædictorum casuum medietatem ejus, quod supraſcriptis Magiſtris eſt taxatum.

Quod Magiſtri manariæ, vel muri, incepto per eos uno laborerio uni personæ, non se intromittat de alio alterius personæ. Cap. LXXIII.

ITEM Statuimus, quod nullus magiſter manariæ, nec de muro, poſtquam inceperit laborare alicui perſonæ, poſſit nec debeat ſe intromittere in aliquo alio laborerio, donec compleverit laborerium prius inceptum, abſque licentia illius perſonæ, cui laboraverit. Et qui contrafecerit, puniatur in xxv. libr. denar. pro quolibet, & qualibet vice. Et ipſum laborerium nihilominus complere teneatur. Et quod dictis magiſtris fiat ſolutio de ſuo ſalario, ſecundum formam Statutorum communis Veronæ; * immediate ſupra poſitorum. Et quod D. Poteſtas, & alii officiales, & judices communis Veronæ poſſint & debeant ſummarie cognoſcere de prædictis, ſine aliqua ſcriptura inde facienda, quolibet tempore feriato & non feriato, placitis locatis, & non locatis, &omni cavillatione, & juris ſolemnitate ceſſante.

Quanto pretio vendi debeat milliare quadrellorum, & cuporum, tabuletarum, & menſura calcinæ. Cap. LXXIV.

ITEM Statuimus, quod nullus fornaſarius poſſit vel debeat vendere milliare quadrellorum, & milliare cuporum, & milliare tabuletarum, & milliare provinetarum & ſimilium, & menſuram, calcinæ ultra quantitatem ordinatam, vel ordinandam in calmerio faciendo quolibet medio anno per D. Poteſtatem, & xII. ad utilia communis Veronæ deputatos; & pro ipſis pretiis in dicto calmerio contentis dicti fornaſerii teneantur & debeant ſuis expenſis extrahere de ſua fornace, & menſurare, & dare. Et contrafacientes puniantur pro quolibet, & qualibet vice, & quolibet milliari dictarum rerum in centum ſol. denar. & in reſtitutione ejus, quod ultra acceperint; & pro menſura calcinæ xx. ſol., & credatur accuſatori cum uno teſte. Et quod quilibet etiam de prædictis ſit accuſator, & habeat medietatem banni; & quod D. Poteſtas cum xII. ad utilia deputatis teneatur quibuslibet ſex menſibus facere calmerium de prædictis.

Ne

Ne aliquis Suprastans, seu Notarius pro communi Veronæ super aliquo laborerio positus servitium, vel promissionem accipiat. Cap. LXXV.

ITEM ordinamus, quod aliquis suprastans, sive notarius positus super aliquo laborerio pro communi Veronæ faciendo accipiat per se, vel aliam interpositam personam, seu accipi faciat aliquem denarium vel aliquid aliud loco denar. vel aliquod servitium, seu promissionem alicujus denarii vel servitii ab aliquo communi, seu ab aliqua persona pro aliquo communi, vel ab aliqua singulari persona occasione inveniendi operas, seu plaustra pro ipsis communibus, vel singulari persona, vel remittendi eis operas, seu plaustra, quæ laborent, vel laborare debeant in dicto laborerio. Et qui contrafecerit, pro qualibet vice amittat & solvat communi Veronæ denarios quos receperit, & æstimationem illius rei & servitii, quam & quod loco denarii receperit. Et insuper pro qualibet opera, & quolibet die x. sol., & pro quolibet plaustro, & quolibet die xx. solidos pro banno communi Veronæ solvat. Et de prædictis quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni.

Ut nulla persona det, vel promittat aliquid alicui Suprastanti, vel Notario alicujus laborerii pro communi Veronæ faciendi. Cap. LXXVI.

ITEM, quod nulla persona debeat dare aliquid, vel promittere alicui suprastanti, vel notario pro communi Veronæ posito super aliquo laborerio, nec aliquod servitium, caussa inveniendi, vel remittendi ei operas, vel plaustra, quæ laborarent, vel laborare deberent in dicto laborerio. Et qui contrafecerit, dicta pœna & simili modo puniatur, ut supra in proximo præcedenti capitulo continetur. Et de prædictis quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni.

De Suprastante, vel Notario, qui concesserit operam, seu plaustrum alicui. Cap. LXXVII.

ITEM, quod nullus suprastans, vel notarius positus pro communi Veronæ super aliquo laborerio, possit, nec debeat alicui personæ concedere aliquam operam, seu plaustrum de illis qui laborarent, vel laborare dederent in dicto laborerio. Et si contrafecerit, solvat pro banno pro qualibet opera in die, x. sol. & quolidet plaustro in die, lx. sol. Et de prædictis quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni.

De pœna illius, qui cum plaustro, vel persona exiverit de laborerio cum licentia, vel sine licentia. Cap. LXXVIII.

ITEM, quod nulla persona quæ personaliter, vel cum plaustro laboret, vel laborare debeat in aliquo laborerio pro communi Veronæ faciendo, exeat, vel vadat de dicto laborerio ad laborandum personaliter, vel cum plaustro alicui personæ cum licentia suprastantis, vel notarii dicti laboreri, & etiam sine eorum, seu alterius eorum licentia. Et qui contrafecerit, pro opera puniatur pro quolibet die in x. solidis, & pro plaustro in xl. sol. in die. Et de prædictis quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni.

Quod nemo pro suo servitio petat ab aliquo suprastante, vel notario aliquod plaustrum, vel operam. Cap. LXXIX.

ITEM, quod nemo pro suo servitio petat, vel peti faciat ab aliquo suprastante, vel notario pro communi Veronæ posito super aliquo laborerio, aliquam operam, nec aliquod plaustrum de laborantibus, vel laborare debentibus in dicto laborerio. Et qui contrafecerit, puniatur pro qualibet opera, quam petierit in x. sol. & quolibet plaustro, in xl. solidis. Et de prædictis quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni.

De vecturis equorum. Cap. LXXX.

STATUIMUS, quod nulla persona possit recipere pro vecturis alicujus equi, vel equæ, pro prima die ultra x. sol. per districtum, & ultra xv. sol. extra districtum, & pro qualibet alia die, sive per districtum, sive extra districtum sex sol., & non ultra. Et qui contrafecerit, puniatur pro quolibet, & qualibet vice, & quolibet equo, vel equa in lx. sol. Et si aliquis acceperit equum, vel vecturam per districtum Veronæ, & ipsum equum duxerit extra districtum, teneatur conductor locatori de vectura satisfacere hoc modo, videlicet, pro prima die xxv. sol. & pro quolibet alio die, octo sol. Et si dictus equus conductus, tam per districtum, quam extra moreretur culpa conductoris, teneatur conductor locatori damnum dicti equi emendare. Et de prædictis quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni. Et quod D. Potestas, sive judex procuratorum vinculo sacramenti teneantur compellere prædictos dantes equos ad vecturam ipsos equos dare cuilibet petenti. Et ambasciatoribus, & nunciis communis Veronæ euntibus in servitio dicti communis, quocumque iverint pro dicto pretio, quotiescumque opportunum fuerit; Et per ipsos ambasciatores, seu nuncios, seu alias personas requiretur ab ipso D. Potestate, vel judice.

No

Ne intermediator equorum accipiat ultra id, quod est sibi concessum, ut infra. Cap. LXXXI.

ITEM, quod aliquis intermediator, vel cozzonus equorum non debeat accipere ex utraque parte de equo valente centum librarum, & inde superius, ultra xx. sol. & inde inferius usque ad quinquaginta libr. decem sol. & inde inferius, v. sol. Et qui contrafecerit, duplum ejus quod habuerit eidem auferatur, & in communi mittatur. Et quod D. Potestas, judex procuratorum, & alii officiales communis Veronæ teneantur & debeant compellere sacramento emptores equorum, & equarum ad postulationem venditorum dicere veritatem pretii dati in equo, vel equa empta; & si invenerint ultra dedisse, quam ipsi venditores recepissent, intermediatoribus, sive cozzonis, quod illud quod intermediatores ultra acceperint, compellant restituere venditoribus in duplum, & in communi Veronæ in centum sol. pro quolibet, & qualibet vice condemnentur. Et idem intelligatur, quod locum habeat in venditoribus, & intermediatoribus omnium aliarum rerum intermediatarum sive venditarum: & credatur sacramento dicti emptoris, inspecti qualitate personæ, & prætii. Et quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni. Et quod eodem modo credatur venditori de pretio, quod dedit: & quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni.

De martello, tanalea, ferris, & clavis ab equis per massarios villarum tenendis. Cap. LXXXII.

ITEM, quod massarii cujuslibet villæ districtus Veronæ debeant quolibet tempore tenere octo ferros ab equis, & sexaginta clavos, & martellum cum tanalea a ferrando, ad hoc, ut equitantes per ipsas villas, si opus ibi fuerit, possint emere ab ipsis massariis de ipsis clavis, & ferris, & ferrare suos equos, pœna & banno lx. sol. pro quolibet, & qualibet vice. Et quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni.

Quod laboratores terrarum ad drictum non debeant colligere, battere, seu tiblare fruges earum, nisi per prius per duos dies ante collectionem denunciaverit Domino. Cap. LXXXIII.

ITEM Statuimus, quod nulla persona laborans, seu tenens terras, vineas, & olivas, seu alias possessiones ad medium, tertium, quartum, quintum, vel aliquo alio modo ad drictum, de quibus dare teneantur certam partem frugum Domino, debeat colligere, nec battere, nec tiblare fruges, fructus, vel redditus ipsarum terrarum, & possessionum, nisi

nisi prius denunciaverit per duos dies ante ipsam collectionem illi personæ, seu personis, a qua vel quibus tenent ipsas terras seu possessiones, seu domui & familiæ suæ, ad hoc, ut ipse Dominus vadat, vel mittat ejus nuncium super ipsam collectionem, battationem, & tiblationem: & qui contrafecerit, condemnetur communi Veronæ in sexaginta solidis pro banno pro qualibet vice, & ad restituendum damnum ipsum Domino, cui dare tenetur certam partem frugum, tantum videlicet, quantum ipse Dominus juraverit suum esse damnum. Et ad hoc sine aliqua quæstione facienda D. Potestas, judex procuratorum, & quilibet alius judex, & officialis communis Veronæ teneatur ipsum, qui tenebatur dare certam partem frugum, recepto sacramento Domini, condemnare, & pro condemnato habere & ipsam sententiam executioni mandare, aliquibus exceptionibus non obstantibus: & hoc idem intelligatur de tenentibus prata, de quibus tenentur dare certam partem fœni. Et quod laboratores, infra triduum, teneantur & debeant portare partem Domini omnium frugum ad domum Domini in illa terra seu villa, in cujus districtu seu pertinentia est terra laborata: salvis semper omnibus pactis inter Dominum, & laboratorem factis: & hoc antequam ipsi laboratores suam partem extrahant de campis. Et si quis contrafecerit, pro qualibet vice solvat communi Veronæ lx. sol., & de prædictis credatur solo sacramento Domini. Et de ipsis possit cognosci quolibet die feriato & non feriato, campanella pulsata & non pulsata, & placitis locatis & non locatis.

Quod ille qui acceperit ad fictum campaneam, publice faciat proclamari quantum accipere voluerit pro quaque falce, quæ secabit in ea. Cap. LXXXIV.

ITEM Statuimus, quod quilibet, qui acceperit ad fictum campaneam Veronæ a civibus, quorum illa est antequam aliqui intrent in ea ad secandum, teneatur publice proclamari super Capitello mercati fori, & ad domos campaneæ, *quod ille, qui accepit campaneam, vult & intendit habere tantum pro omni falce, quæ secabit in ea*: & quilibet pro prædicto pretio possit intrare libere dictam campaneam ad secandum, & postea non possit plus accipere. Et si dictam cridam facere recusaverit, postea in petendo pretium a secatoribus audientia eidem omnino denegetur.

De lectis & massaritiis, quod extrahi possint de civitate ad villas sine datio, & bulleta. Cap. LXXXV.

ITEM Statuimus, quod liceat unicuique civi & habitatori Veronæ portare, seu conduci facere de civitate ad villas districtus Veronæ pro suo usu & familiæ suæ sine aliquo datio vel bulleta, suos lectos, drapamenta & massaritias: eaque similiter reducere ad civitatem pro libito vo-

voluntatis. Et quod D. Potestas possit & debeat dare licentiam cuilibet volenti portare, seu portari facere extra districtum Veronæ lectos, & plumacios cum apparamentis suis, faciendo bonam securitatem de prædictis reducendis ad civitatem Veronæ, absque solutione aliqua, tam pro extrahendo quam pro reducendo.

De datiariis, quid agere, & a quibus abstinere debeant.
Cap. LXXXVI.

ITEM Statuimus, quod conductores datiorum, gabellarum, seu aliarum rerum, quæ locantur per commune Veronæ, sive per Illustriss. Dominium nostrum Venetiarum, sive & alios quoscumque non audeant, nec præsumant aliquo modo, vel ingenio exigere, vel extorquere ab aliqua persona, ultra id quod exigere debent ex forma Statuti, seu provisionum, vel pactorum super ejusdem datiis, gabellis, mudis, seu aliis rebus ordinatorum, seu ordinandorum, pœna & banno x. sol. pro quoque solido, & in ratione solid. ejus quod indebite extorquerent, & in restitutione ejusdem illi personæ vel personis, cui vel quibus illa fuissent extorta; nec aliquid exigere, nec extorquere occasione alicujus accusationis vel denunciationis, quas fecissent seu facere possent, occasione dictorum datiorum, gabellarum, seu aliarum rerum prædictarum. Et quod infra tertium diem, si fuerint in civitate & burgis, & infra octo dies si fuerint in villis, debeant accusare & denunciare omnes & singulas personas, quæ per eos, seu per officiales suos repertæ fuerint, sive sciverint facere, vel committere contra Statuta, vel pacta sua: quod si non fecerint, condemnentur in tantum, quantum illi, quos omitterent accusare condemnari deberent. Quas accusas, denunciationes, & processus facere teneantur & debeant coram judice datiorum, vel judice procuratorum communis Veronæ, cum notariis prædictorum officiorum & viatoribus communis Veronæ, sub pœna x. libr. denar. pro qualibet vice: & quod non debeant, nec possint mittere pro aliquibus massariis, seu rectoribus villarum, vel locorum Veronen., ut sibi reddant aliquas rationes occasione dictorum datiorum, gabellarum, mudarum, & aliarum prædictarum rerum, nec ab eis aliquid extorquere, sub pœna prædicta, & restitutionis omnium damnorum & expensarum, quas propterea sustinerent. Et quod infra tertium diem ex quo conduxerint dicta datia & gabellas, sive mudas, debeant dare in scriptis omnes consocios suos coram judice procuratorum communis, banno x. libr.

HÆC

HÆC SUNT STATUTA SUPER MERCATO BLADORUM.

De eligendo uno massario in Mercato bladorum, & ejus officio.
Cap. LXXXVII.

PRIMO Statuimus, quod Mercatum bladorum esse, & fieri debeat, sicut solet in curtivo Palatii communis Veronæ, & quod super eo constituatur omni anno unus massarius civis bonæ conditionis & famæ eligendus per Scrutinium, & plures ballottas in Consilio XII. & L. deputatorum more solito, cui omnia & singula blada, quæ in ipsum mercatum conducuntur, debeant præsentari, scribenda per eum super libro ordinato ad paginam ejus, cujus erunt.

2. Promittere autem teneatur & debeat ipse massarius antequam intret officium, cum bonis & idoneis fidejussoribus satisdare de mille libr. denar. pœnes Cancellarium communis de bene, & diligenter suum officium exercendo, & præstando indemnitatem omnibus civibus & personis de suis bladis in dictum mercatum conductis.

Additum die XXVIII. Novembris Mcccclix.

Quod quando mercatum est sine deputatione massarii, venditores bladorum præstare teneantur pœnes Cancellarium communis idoneam securitatem de ducentis libr. denariorum pro quoque tamen, de reddendo bonam rationem unicuique de bladis suis, & pecuniis inde provenientibus. Vendere autem sive vendi facere teneantur per suos venditores & famulos blada quarumcumque personarum pro pretiis per ipsas personas taxatis, & proinde tenere faciant cumulum, seu accervum bladi cujuscumque personæ separatum de per se, ita quod bladum unius personæ non misceatur cum blado, vel grano alterius personæ, super quo quidem accervo sit positus baculus cum scripta in capite declarante pro quanto prætio bladum dari & vendi potest. Rationem quoque, & computum cujuscumque personæ tenere debeat ipse massarius: videlicet libros, & quaternos ordinatos de recepto & vendito, quos cuicumque de die in diem ostendere, & exhibere teneatur, & receptos denarios consignare, & solvere ad voluntatem petentis.

De custodia quoque, & periculo dicti frumenti, grani, & bladi, ac de facto dictorum venditorum seu famulorum suorum, præterquam de casibus fortuitis, teneatur.

Tres autem famulos ad minus, & tot quot sufficiant alios, quam ejus præcessor habuerit, tenere debeat salario, periculo, & expensis suis, pro dicto officio exercendo.

Et pro salario suo pro se, & dictis suis famulis, quotcumque fuerint ultra numerum trium, habeat & habere debeat commoditatem

trium

trium dena. Veronen. parvorum pro quolibet minali frumenti, & cujuslibet alterius grani, secundum quod accipitur de præsenti, & prout per tempora præterita est observatum. Liceat tamen cuicumque personæ vendere per se, aut per interpositam personam de suis bladis in dicto mercato, intelligendo tamen, quod illa interposita persona non possit vendere, nisi pro una persona tantum, sub pœna x. lib. Et nulla alia persona quam prędictæ possint stare in dicto mercato ad vendendum alienum bladum, sub prædicta pœna.

Emere vero non audeat, nec præsumat ipse massarius per se vel alium, directe vel indirecte, bladum alicujus personæ in dicto mercato aliquo modo vel caussa, vel etiam extra dictum mercatum caussa revendendi, sub pœna privationis ab officio prædicto, & ab aliis officiis communis Veronæ per decem annos, & l. libr. denar. applicandarum officio provisorum communis Veronæ. De quibus non possit fieri donum, remissio, vel suspensio; verumtamen medietas dictæ pœnæ sit accusatoris, & teneatur in credentia. De caltis, palis, numeralibus, storeis, & aliis necessariis se fulcire suis expensis teneatur: & illa omnia finito officio consignare suo successori, qui pro ipsis incontinenti solvere manualiter teneatur secundum æstimationem communiter faciendam; & ita de successore in successorem observetur.

Quod nulli liceat emere bladum, vel legumen caussa revendendi. Cap. LXXXVIII.

ITEM Statuimus, quod nulla persona de civitate, & burgis & districtu Veronæ, audeat emere bladum, vel legumen in mercato bladorum Veronæ, nec in aliis mercatis publicis districtus Veronæ caussa revendendi; & qui contrafecerit perdat bladum, & condemnetur in xxv. libris denariorum.

Quod semolæ non vendantur in mercato fori, nec emantur caussa revendendi. Cap. LXXXIX.

ITEM Statuimus, quod surfures, sive semolæ non vendantur in mercato fori. Et qui contrafecerit, solvat pro banno x. sol. pro quolibet, & qualibet vice. Et quod nullus emat surfures, sive semolas causa revendendi, banno xx. sol. & amissionis semolarum pro quolibet, & qualibet vice. Et de prædictis quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni.

Quod nulla persona debeat suum bladum removere de Mercato, donec venditum fuerit, exceptis forensibus cum licentia.
Cap. XC.

ITEM Statuimus, quod postquam prætia bladorum sunt, & esse debent in libertate vendentium, nulla persona, quæ conduxerit, seu conduci fecerit bladum, vel legumen in mercato bladorum occasione vendendi, audeat vel præsumat portare illud, vel partem ejus, seu portari facere extra mercatum: & qui contrafecerit, puniatur pro quolibet, & qualibet vice in xx. sol. & bladum amittat. Salvo quod si aliquis forensis de alieno districtu conduxerit bladum vel legumen in dictum mercatum occasione vendendi, & dictum, bladum, vel legumen non potuerit totum vel partem vendere, liceat ei illud, quod sibi ad vendendum remanserit, conducere extra mercatum, habita prius licentia a D. Potestate. Salvo quod quælibet persona possit portare, & exportari facere de mercato bladum quod remanserit usque ad unum minale, si ultra non remanserit.

Quod nullus molendinarius, seu portitor bladi possit stare supra bladum dum venditur, nisi vocatus fuerit. Cap. XCI.

ITEM Statuimus, quod nullus molendinarius, nec alius portitor bladi stare debeat supra bladum dum venditur, nisi vocatus fuerit ab illis, qui vendunt & emunt bladum occasione conducendi, vel portandi bladum ad ipsum mercatum, vel de ipso mercato. Et qui contrafecerit, puniatur pro quolibet, & qualibet vice in x. solidis.

Quod nulla persona emat in mercato bladum vel legumen, si de ipso habuerit in domo, nisi ut infra, exceptis Pistoribus.
Cap. XCII.

ITEM Statuimus, quod nulla persona de civitate & districtu Veronæ audeat, seu præsumat emere per se vel per alium, aliquo modo vel ingenio bladum aliquod, vel legumen in mercato bladorum, si de ipso blado vel legumine habuerit in domo, vel alibi duo minalia vel ultra bladi, & unum minale leguminis vel ultra. Si vero ultra prædictas quantitates non habuerit, liceat in mercato emere quatuor minalia bladi, & unum minale leguminis simul, & semel in hebdomada, & non plus, sine licentia D. Potestatis. Salvo, quod Pistores civitatis & burgorum Veronæ possint emere quolibet die duo minalia bladi pro faciendo panem ad vendendum, & non ultra, si simile bladum in domo, vel alibi non habuerint: & qui contrafecerit puniatur pro quolibet, & qualibet vice in xx. sol.

sol. pro quolibet minali bladi, & pro quolibet minali leguminis, & in ratione minalis, & starii. Et quod quælibet persona possit emere usque ad duo minalia bladi, & unum minale leguminis, & non ultra, in mercatis villarum districtus Veronæ, si de simili blado vel legumine in domo sua vel alibi non habuerit, banno prædicto.

De illis, qui abscondunt bladum, vel legumen. Cap. XCIII.

ITEM Statuimus, quod si in domo aliqua repertum fuerit bladum, vel legumen reconditum aut positum subtus terram, seu in aliquo loco ibidem, vel alibi, qui locus verisimiliter arbitrio D. Potestatis, vel ejus, cui commiserit, suspectus appareat, puniatur habitans in ipsa domo, & qui dictum bladum, vel legumen sic poni & recondi fecerit, ut dictum est, in centum libr. denar., & dictum bladum, & legumen deveniat in communi Veronæ, & plus & minus, arbitrio D. Potestatis, inspecta conditione personæ, & qualitate facti.

De blado, & aliis victualibus non portandis extra civitatem sine licentia D. Potestatis; & quæ, ac quantæ res portari possint per districtu Veronæ sine licentia. Cap. XCIV.

ITEM Statuimus, quod nulla persona deferat, seu portari faciat extra civitatem & burgos Veronæ sine licentia D. Potestatis bladum, farinam, & legumen, vinum, oleum, salem, & carnes, seu aliqua alia victualia: & si detulerit, seu deferre inventa fuerit, usque ad duo minalia bladi, vel farinæ, seu leguminis, rem amittat, & pro quoque minali, & in ratione minalis in decem solidis communi Veronæ condemnetur. Et si ultra duo minalia bladi, vel farinæ, seu leguminis deferre inventa fuerit, seu detulerit, rem ipsam amittat, & pro quolibet minali, & in ratione minalis communi Veronæ condemnetur in xx. sol., & hoc habeat locum usque ad decem minalia. Si vero ultra x. minalia detulerit, sive inventa fuerit deferre rem ipsam amittat, & in xl. sol. pro quolibet minali, & in ratione minalis communi Veronæ condemnetur. Et prædicta locum habeant si prædictæ res non portentur extra districtum vel apud confinia districtus Veronæ ad duo milliaria: eo salvo quod molendinarii, qui habent molendina in suburbiis, vel apud civitatem seu burgos Veronæ possint ipsum bladum, vel legumen portare ad ipsa molendina pro macinando. Cujus bladi, vel leguminis farinam reducere teneantur in civitatem seu burgos Veronæ, unde acceperint: quod si non fecerint, solvant pro quolibet minali lx. sol. Et prædictum Statutum, & pœnæ, & omnia quæ continentur in eo habeant locum super facto olei; ita quod ubi dicit *unum minale*, intelligatur, & idem juris sit in una baceta olei. Eo salvo, quod una-

Oo 2 quæ-

quæque persona sine bulleta portare possit per totum districtum Veronæ infrascriptas res: videlicet, unam bacetam olei, medium modium vini albi, & medium modium vini vermilii, etiam super eodem plaustro, unum minale fructuum arboris, exceptis mandulis, unum minale farinæ, unum starium leguminis, unum starium salis, duos caseos, allia, cępas, semolas, & carnes siccas, usque ad unam mezenam. Lectum vero, sive lectos per totum districtum Veronæ liceat portare, exceptis ad villas, quæ sunt ad confinia districtus Veronæ: & quod D. Potestas possit, & debeat dare licentiam portandi lectos ad villas, quæ sunt ad confinia cuilibet petenti & facienti bonam securitatem de ipsis lectis reducendis ad civitatem Veronæ, vel ad voluntatem ipsius D. Potestatis. * Legatur Statutum positum sub cap. lxxxiii. lib. iii.

De Blado, vel legumine non conducendo extra districtum Veronæ. Cap. XCV.

ITEM Statuimus, quod nulla persona de civitate Veronæ, vel ejus districtu, aut forensis possit, vel debeat per se, vel alium emere in districtu Veronæ bladum, vel legumen caussa portandi extra districtum Veronæ, nec ipsum bladum, vel legumen emptum, vel non emptum, nec aliquod aliud bladum, vel legumen de civitate vel districtu Veronæ portare extra districtum ipsum: sed nec per ipsum districtum versus confinia ad duo milliaria prope ipsa confinia, nec per Lacum Gardæ sine licentia D. Potestatis: & qui contrafecerit, amittat ipsum bladum, & legumen; & si conduxerit extra districtum, amittat etiam bestias, plaustra, boves, ac naves, in quibus, seu super quibus illud portaretur, & insuper pecunialiter condemnetur arbitrio D. Potestatis & totius curiæ, vel majoris partis, inspecta qualitate negotii, & conditione personarum. Quarum pœnarum dimidia sit inventoris, vel accusatoris.

De securitatibus faciendis per Nanterios, & molendinarios ad officium Procuratorum communis Veronæ. Cap. XCVI.

ITEM Statuimus, quod omnes nauterii, & officium nauteriorum exercentes in civitate & districtu Veronæ, carraterii, & bestiarii, & etiam molendinarii civitatis & districtus Veronæ, in principio cujuslibet per totum mensem Januarii, vel infra mensem post eorum introitum ad aliquod dictorum exercitiorum, teneantur, & debeant facere bonam, & idoneam securitatem xxv. libr. denar. pro quolibet coram judice procuratorum communis Veronæ de non conducendo, seu portando bladum, vel legumen, vel farinam, nec alium vetitum extra districtum Veronæ: sed nec per districtum versus confinia ad duo milliaria

ria prope ipsa confinia absque licentia D. Potestatis; & de bene, & fideliter exercendo officium & ministerium suum; de observando omnia Statuta communis Veronæ pertinentia ad exercitia eorum, sub pœna lib. v. denar. Et quod Domini molendinorum non possint nec debeant aliquem molendinarium tenere in suis molendinis, qui non sit laicus, & qui non fecerit dictam securitatem. Quod si non contrafecerit, omnes condemnationes, & banna, quas dicti molendinarii propterea incurrent, solvere teneantur.

A quibus Molendinarii ultra furtum farinæ abstinere debeant. Cap. XCVII.

ITEM quod nullus molendinarius deferens farinam super asino, vel alio jumento debeat ascendere ad sedendum super illa, nec etiam permittat asinos ire per porticus civitatis & burgorum Veronæ; & si plueret cooperiat saccos farinæ: & si aliquis contrafecerit, x. sol. pro omni vice, & capitulo solvere teneatur. Nec debeat miscere aliquid cum blado sibi dato ad macinandum, vel farina, nec saccum balneare banno lx. sol. pro quolibet, & qualibet vice.

De Molendinariis, & pœna non bene macinantis bladum, & non reddentis debitam farinæ quantitatem. Cap. XCVIII.

ITEM Statuimus, quod omnes molendinarii teneantur, & debeant bladum sibi a quacumque persona datum ad macinandum bene macinare, & in eadem quantitate reddere farinam dicti bladi. Et si aliquis molendinarius furtum fecerit de farina, aut de blado ei dato, vel eam devastaverit, sive corruperit, puniatur in lx. sol. pro omni vice, & in restitutione damni. Et quod de ipso damno credatur sacramento illius, qui damnum habuerit, si ipse de eo querelam fecerit infra xv. dies a die portatæ sibi farinæ ad domum suam; de quo die etiam stetur juramento ipsius damnificati, si etiam ipse molendinarius ad videndum jurare contra se in dicto termino citatus fuerit. Et tunc, & non aliter, aliquis de tali defectu, seu damno conquerens, audiatur, nec molendinarius ipse ad aliquam emendationem compellatur. Liceat autem molendinario pro sua macinatura, & pro omni suo labore conducendi, & reconducendi, accipere vigesimum unum bladi. Liceat etiam accusatori antequam de damno juraverit accusationem molendinario remittere, quo casu ulterius contra ipsum molendinarium non procedatur.

De

De granfione tenendo per quemlibet Molendinarium in suo molendino.
Cap. XCIX.

ITEM Statuimus, quod in quolibet molendino posito in flumine Athesis haberi, & teneri debeat continue unum granfionum cum bona & longa pertica: & si contrafactum fuerit, puniantur molendinarii ipsius molendini pro quolibet, & qualibet vice in x. sol. Et quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni, & alia medietas sit officii procuratorum communis Veronæ.

Quod duo molendina, unum ante aliud, in flumine Athesis nemo habeat a ponte novo supertius: & de tortegiis, & foveis a pegola.
Cap. C.

ITEM Statuimus, quod a ponte novo usque ad pontem petræ nullus debeat, nec possit habere, nec tenere, nec de novo ædificare molendina scil. unum ante aliud in bina per transversum, in flumine Athesis: & qui contrafecerit, amittat molendinum, & solvat xxv. libr. denar. pro pœna communi Veronæ, & nihilominus molendinum removere teneatur. Et quod tortegiæ molendinorum sint longæ a ripa, sive a muro ripæ antiquitus appellato *muro carzorum* per octo pedes, & non ultra. Et quod foveæ, quæ fiunt caussa colandi pegolam ab impegolando pontonos, cum fuerint impegolati, ipso die impleantur per ipsos, qui fecerint illas fieri, in banno centum sol. pro quolibet, & qualibet vice. Et quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni.

De ratibus, & zatis ducendis per flumen Athesis de die, & non de nocte, & quod ducentes cridare debeant antequam appropinquent molendinis. *Cap.* CI.

ITEM Statuimus, quod omnes radaroli, & omnes ducentes rates, seu zatas, & naves per Athesim teneantur, & debeant eos, vel eas ducere in die, & non in nocte; & teneantur ac debeant alta voce exclamare ter a longe antequam propinquent molendinis, ita quod molendinarii bene possint sua molendina ad terram trahere. Et qui contra prædicta vel aliquod prædictorum fecerint, emendent damnum, quod fecerint illis, quorum fuerint molendina, & in xl. sol. pro quolibet eorum officio procuratorum condemnentur.

De

De ratibus, seu zatis extrahendis de flumine Athesis infra viii. dies, postquam fuerint ad ripam. Cap. CII.

ITEM Statuimus, quod radaroli & quælibet alia persona conducens, vel conduci faciens rates, vel zatas per flumen Athesis, postquam cum illis pervenerint ad civitatem Veronæ, teneantur & debeant ipsam ratem, vel zatam facere discargari, & removeri de aqua infra octo dies, postquam pervenerint ad civitatem Veronæ, vel suburbia; & si per alique mcontrafactum fuerit, contrafaciens in x. libr. denar. puniatur; & de prædictis quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni.

Quod Radaroli teneant inclavata lignamina, quę sunt erecta apud muros. Cap. CIII.

ITEM, quod quilibet radarolus, & quælibet alia persona vendens lignamina existentia extra eorum stationes, quæ forent erecta apud muros vel parietes, debeant illa inclavata, & instangata tenere, taliter quod occasione alicujus venti, vel alterius casus illa cadere non possint. Et hoc sub pœna cuilibet contrafacienti sol. xx. pro qualibet vice.

De lignis ab igne non emendis in Civitate caussa revendendi. Cap. CIV.

ITEM Statuimus, quod nullus radarolus, nec alia quælibet persona emat in civitate vel burgis Veronæ ligna ab igne caussa revendendi, postquam ad civitatem conducta fuerint, pœna & banno xx. sol. pro quoque plaustro, & pro quaque vice.

De circulis non emendis caussa revendendi Cap. CV.

ITEM ordinamus, quod nullus conducens circulos ad vendendum in civitate Veronæ debeat eos vendere alicui, quem verisimiliter sciat, quod vellet eos revendere, nec aliquis debeat circulos emere in Mercato fori, nec alibi in civitate, nec burgis, nec circa civitatem per quinque milliaria caussa revendendi, pœna & banno xx. sol. pro quoque fasce, sive matio circulorum, & amittendi ipsos circulos; cujus pœnæ medietas sit accusatoris.

De

De palis a vineis larzii, & picii faciendis bonis, & sufficientibus, & quod non vendantur ligati. Cap. CVI.

ITEM, Statuimus, quod venditores palorum larzii, & picii, & gnatarum picii a vineis debeant eos & eas facere bonos grossos, & sufficientes; & pali a vineis quadrati esse debeant longitudinis VII. pedum ad minus, & non debeant eos vendere ligatos, nec in fascibus, pœna & banno XX. sol. pro quolibet, & qualibet vice, & pro quolibet capitulo suprascripto.

HÆC SUNT STATUTA SUPER PANE VENDENDO, ET PISTORIBUS.

De Pistoribus, quod facere debeant bonum panem ad vendendum, & bene coctum, & signatum proprio signo; & quod panem alterius pistoris non vendant. Cap. CVII.

PISTORES, & Pistrices civitatis & burgorum & districtus Veronæ teneantur, & debeant facere, seu fieri facere bonum & pulchrum panem venalem, & bene coctum, & bene sasonatum. Et ipsum sigillare, seu sigillari facere cum uno sigillo, in quo sit excisum nomen ipsius pistoris & pistricis, pœna XX. sol. pro quoque, & quaque vice. Nec debeant ipsum sigillare sive signare cum alieno signo, sive sigillo, pœna centum sol. Et quod nullus pistor nec pistrix debeat vendere panem non sigillatum suo sigillo, sive signo, nec vendere panem alterius pistoris, seu sigillatum cum signo vel sigillo alterius; & qui contra fecerit, puniatur officio procuratorum communis Veronæ, pro quolibet, & qualibet vice in centum solidis.

Quod nullus pistor panem minus penso, falsum, vel lojosum vendat; ipsumque pensare volentibus ostendat. Cap. CVIII.

ITEM, quod nullus pistor, nec pistrix facere debeat panem venalem minus penso, sive falsum, vel lojosum: & qui contrafecerit, puniatur pro quolibet, & qualibet vice in XL. sol. Teneatur etiam sub eadem pœna ipsum panem ostendere militibus communis cum pensare volentibus.

De Pane mato, sive buffeto. Cap. CIX.

ITEM, quod panis matus, sive buffetus fieri debeat de duabus unciis tantum minus, quam fiat panis solidus, sive de bulla, pro quanto capit ejus valorem: & quidem de frumento nostrano, pulcher, albus,

bus, bene coctus, & bene fasonatus. Et qui contrafecerit, puniatur pro quoque capitulo, & quoque contrafaciente, & quaque vice in xl. solidis.

De Calmerio, & pretio panis venalis. Cap. CX.

QUUM opus fuerit pretium panis venalis augeri vel diminui pistoribus, calmerium hoc modo fiat, videlicet, quod pretio, quo minale frumenti tunc communiter vendetur, computato pretio maiore cum mediocri, superaddantur sol. x. pro datio macinę, impastatura, coctura, venditione, alijsque expensis, & lucro pistoris; & tota summa exinde proveniens sit pretium unius minalis panis: intelligendo de quoq; minali frumenti seu farinæ, pistores dare posse & debere libras septuaginta panis pulchri, bene cocti, & bene fasonati, dividendas in tot binas de panibus sex pro quaque, quot provenient ex antedicto pretio in ratione solidorum duorum pro qualibet bina.

HÆC SUNT STATUTA SUPER TABERNARIIS, ET VINO VENDENDO.

De tabernariis, quid agere, & a quibus abstinere debeant. Cap. CXI.

STATUIMUS & ordinamus, quod omnes & singulæ personæ civitatis & burgorum & districtus Veronæ, quæ voluerint vendere, vel vendi facere vinum ad minutum, antequam ipsum vinum ponant ad manum, faciant bonam & idoneam securitatem officio procuratorum communis Veronæ xxv. lib. quod ipsum vinum vendent, vel vendi facient cum justis, & rectis mensuris, & bullatis pro dicto officio. Et quod attendent, & observabunt bene & legaliter omnia & singula, quæ in Statutis conditis super tabernariis, & vino vendendo continentur, & facient ipsum sigillari sigillo communis Veronæ per sigillatores ad hoc deputatos: & si quis vendiderit vinum ad minutum, non facta dicta securitate, puniatur in x. libr. denar. Et facta dicta securitate, sigillatoque vino, liceat unicuique personæ vendere, vel vendi facere suum vinum per se, & per suum famulum & quamcumque aliam personam in domo sua vel aliena ad minutum cum mensuris de vitro, flamno vel alio metallo, videlicet cum medio quarterio, & mezeta justis & bullatis cum bulla communis Veronæ, & etiam phialis & bochaletis vitreis justis ad mensuram flamni, intelligendo justam mensuram ad nodum, sive groppum ipsius phialæ seu bochaleti, dando & mensurando cum prædictis mensuris, secundum voluntatem & requisitionem ementium vinum: quas omnes mensuras quilibet vendens vinum ad minutum teneatur & debeat habere, & tenere in domo seu taberna, in qua vinum

P p ven-

& debeat habere, & tenere in domo seu taberna, in qua vinum venditur. Cum aliis autem mensuris, seu vasis vinum vendere, seu mensurare non debeant, pœna x. lib. denar., & facere teneantur bonam mensuram omnibus ementibus vinum. Et si dictas mensuras in domo, vel taberna non habuerint, vel si habuerint, eas ostendere recusaverint, vel si bonam mensuram non dederint, seu vinum dederint minus mensura, seu dictas phialas aut bochaletos mensurare recusaverint cum mensura stamni, puniantur pro quolibet, & qualibet vice in lx. sol. Et quid dicti tabernarii habere & tenere debeant omnes spinas vegetum existentium in taberna feratas & sigillatas bulla communis Veronæ, & similiter coconum vegetis vini quod venditur ad minutum, banno lx. sol.; sed vegetibus musti non teneantur usque ad festum sancti Martini coconum apponere.

Quod post tertium sonum campanæ vinum non vendatur; & ostia tabernarum a mane usque ad sero stent aperta. Cap. CXII.

ITEM, quod nulla persona vendens vinum ad minutum debeat vel possit dare, seu vendere de ipso vino alicui personæ post tertium sonum campanæ, pęna & banno lx. sol. pro quolibet, & qualibet vice. Et ementes seu vendentes puniantur pro quilibet, & qualibet vice in xx. sol. Et tenere debeant ostia tabernarum aperta a mane usque ad sero, ad hoc ut omnes de ipso vino volentes possint ipsam tabernam intrare, & de ipso vino accipere, banno centum sol. & minus, arbitrio judicis.

Quod brentas cum aqua coopertas tabernarii teneant. Cap. CXIII.

ITEM, quod quilibet tabernarius, seu tabernaria tenere debeat brentam, sive brentas coopertas, in quibus teneat aquam mundam pro lavando miolos, & vasa; & qui contrafecerit, puniatur pro quolibet, & qualibet vice in decem solidis; & quilibet sit accusator & habeat medietatem banni.

Quod nullum discum, seu obstaculum tabernarii teneant ante ostium. Cap. CXIV.

ITEM, quod dicti tabernarii non teneant aliquem discum, seu aliquod obstaculum ante ostium tabernæ, vel vegetem, ita quod omnes volentes vinum possint ipsum videre quando extrahitur de vegete, pęna & banno xx. solidorum.

Quod

Quod nulla persona adaquare vinum debeat, postquam fuerit sigillatum; & quod in eadem taberna de duobus vinis albis, & de duobus vermiliis, simul non vendatur. Cap. CXV.

ITEM, quod nulla persona vendens vinum ad minutum, postquam sigillatum fuerit, debeat ipsum adaquare, devastare, nec in aliquo deterius facere aliquo modo, vel ingenio, banno xxv. libr. Nec etiam debeat vendere seu vendi facere in eadem domo sive taberna, vel canipa simul & eodem tempore de duobus vinis albis, nec de duobus vermiliis, nec ea facere sigillari: & qui contra prædicta vel aliquod prædictorum fecerit, puniatur pro quolibet, & qualibet vice in x. libr. denar. Salvo quod de uno vino albo, & uno vino vermilio, eodem tempore vendere possint.

Quod miolos & coppas mensuræ majores tabernarii habere teneantur. Cap. CXVI.

ITEM, quod prædicti tabernarii habere teneantur & debeant ad suas tabernas miolos, seu bochalos, & coppas majores debita mensura bullatos, seu bullatas; ita quod vinum mensuratum non possit expandi, pęna & banno duorum sol. pro quoque miolo, bochalo, sive coppa, & quod insuper eis frangantur; & si dicta occasione, quod magni non fuerint, prædicti tabernarii fuerint denunciati, quod vinum fuerit minus mensura, excusatio eorum non admittatur.

Quod nullus tabernarius debeat vinum de spina colligere, nisi cum brentello a duobus fundis. Cap. CXVII.

ITEM, quod nullus tabernarius tenere debeat subtus vegetem, ex qua vinum vendit, schuelerium, schuellam, concham, seu vasaoram, nec aliquod aliud vas magnum vel parvum, pęna & banno xl. sol. pro quoque, & quaque vice. Salvo quod tenere possit unum brentellum cum duobus fundis, foratum foraminibus parvis.

Quantum, & pro qua quantitate solvi debeat datium de vino ad minutum. Cap. CXVIII.

ITEM, quod de datio vini quod venditur, solvatur datium officiali dicti datii; & quod de sola quantitate vini, quod erit in vegete, deducta securitate, solvatur datium prædictum.

Quod panem male coctum, minorem penso, vel sine sigillo, nullus tabernarius teneat. Cap. CXIX.

ITEM, quod nullus tabernarius, seu tabernaria civitatis & districtus Veronæ tenere debeat in domo sua panem male coctum, vel minorem penso, vel sine sigillo, caussa vendendi; & qui contrafecerit, emendet pro banno pro quoque, & quaque vice lx. sol. Eo salvo quod possint habere regressum contra illum vel illam, qui vel quæ sibi vendidisset, seu ab alio comparasset.

De Portitoribus, quod habeant spinas in brentis juxta clavos; & de modo mensurationis. Cap. CXX.

ITEM Statuimus, quod brenti sive zerleti portitorum vini habere debeant spinas juxta clavos mensurarum suorum brentorum, & vinum habeatur mensuratum esse, cum ab utraque parte spinæ ipsius brenti, vel zerleti exierit de dicto vino, & non aliter. Et qui contrafecerit, emendet viginti sol. pro banno; & de hoc quilibet sit accusator, cujus pœnæ medietas sit communis, & alia accusatoris. Et quod quando portant vinum, brenti sint cooperti sub stanga de coopertis ligneis, & similiter zerleti sint cooperti; & qui contrafecerit, puniatur pro quolibet, & qualibet vice in xx. sol., & quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni.

De vino, quod conducitur in Mercato fori, quod portitores vini debeant illud mensurare & vendi facere; & quantum accipere debeant. Cap. CXXI.

ITEM ordinamus, quod portitores vini teneantur & debeant mensurare & vendi facere vinum conductum super Mercato fori ad vendendum; & de mensura & venditura dicti portitores accipere non debeant ultra sex sol. denar. pro quoque plaustro, & in ratione plaustri, pœna & banno cuilibet contrafacienti pro quolibet plaustro, pro prima vice lx. sol., pro secunda, centum sold. pro tertia, x. lib. denar. & privationis ab arte portandi per triennium, cujus banni medietas sit accusatoris.

De vino civium, quod portitores vini debeant illud mensurare & vendi facere; & quantum accipere debeant. Cap. CXXII.

ITEM, quod portitores vini teneantur & debeant mensurare, & vendi facere vinum civibus, & habitatoribus Veronæ; & de mensura, & venditura dicti portitores accipere non debeant, ultra xii. sol. denar. pro

denar. pro quoque plaustro, & in ratione plaustri, pœna & banno cuilibet contrafacienti pro quolibet plaustro, pro prima vice lx. solid. pro secunda, centum solid. pro tertia, x. libr. denar. & privationis ab arte portandi per triennium, cujus banni medietas sit accusatoris.

Quod Portitores non faciant aquavinum in domibus a torcularibus. Cap. CXXIII.

ITEM, quod nullus portitor, nec alia persona possit nec debeat facere aquavinum, sive aquarolum in domibus a torcularibus. Et qui contrafecerit, puniatur pro quolibet, & qualibet vice in xx. sol. & quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni.

Quantum Torculatores vuarum accipere possint. Cap. CXXIV.

ITEM, quod torculatores vuarum non possint nec debeant petere, nec exigere ultra duos sol. pro, descargando, & quatuor sol. pro torculando pro unoquoque plaustro vuarum, & pro affetando vegetes & invasclando vinum dictarum vuarum, sub pœna dupli.

De vino non emendo in Mercato fori caussa revendendi. Cap, CXXV.

ITEM, quod nulli portitores a vino, nec aliqua alia persona emat vinum quod conducatur super Mercatum fori, caussa illud revendendi, nec etiam mercatum faciant cum conductoribus dicti vini in dicto Mercato, nec extra ipsum Mercatum, sed dictum mercatum vini permittant facere emptores, & venditores intra se, pena & banno lx. sol. pro quolibet, & qualibet vice. Liceat tamen cuilibet portitori dictum mercatum facere, dummodo ab emptoribus vocati fuerint.

HÆS SUNT STATUTA SUPER BECCARIIS, ET CARNIBUS.

De Beccariis, & eorum securitate præstanda. Cap. CXXVI.

STATUIMUS, & ordinamus, quod quilibet beccarius, & quælibet alia persona, qui, seu quæ voluerit exercere artem beccariæ, & vendere carnes ad minutum, teneatur & debeat quolibet anno in principio anni per totum mensem Januarii, facere bonam & idoneam securitatem communi Veronæ xxv. libr. denariorum coram judice Procuratorum communis Veronæ de vendendo suas carnes secundum formam Statutorum & ordinamentorum communis Veronæ; & de attendendo, & observando omnia & singula, quæ

quæ in Statutis communis Veronæ super facto beccariorum, & carnium conditis continentur. Quam securitatem facere teneantur pro se, & omnibus vendentibus carnes ad suas beccarias. Et si quis carnes vendiderit, seu exercuerit artem beccariæ, non facta dicta securitate, condemnetur communi Veronæ pro quolibet, & qualibet vice in x. libr. denariorum declarato pro tabernariis districtus Veronæ, quod si tabernarius facit etiam beccariam in sua taberna, sufficiat una sola securitas xxv. libr. denar. pro taberna & beccaria simul.

Quod in diebus solemnibus, & Dominicis beccariæ non teneantur apertæ, nisi una. Cap. CXXVII.

ITEM, quod beccarii omnibus diebus faciant carnes cujuslibet generis, ad hoc ut populus abundantiam habeat earum, exceptis diebus Dominicis, & aliis diebus solemnibus de præcepto Ecclesiæ seu civitatis, in quibus una beccaria tantum per vicem & sortem inter beccarios tenentes beccarias juxta Pontem novum stare debeat aperta, & facere, & vendere carnes, & qui alius repertus fuerit tenere suam beccariam apertam, condemnetur in centum solidis.

Quod beccarii occidere debeant in suis beccariis, & non alibi illas bestias, quas in illis vendere volunt. Cap. CXXVIII.

ITEM, quod quilibet beccarius teneatur & debeat occidere bestias, quarum carnes vendere voluerit, in becchariis suis ubi dictas carnes vendere voluerit, & de ipsis carnibus dare, & vendere unicuique personæ volenti emere ad suam voluntatem, secundum modum & formam, & pretium ordinatum pro communi Veronæ, pœna & banno lx. sol. pro quolibet, & qualibet vice. Et quod nullus beccarius tenere debeat in macello carnes, quæ sint venditæ, banno centum sol.

De carnibus non insflandis; & de non ponendo in pellibus, sanguinem, calcinam, vel urinam. Cap. CXXIX.

ITEM, quod aliquis beccarius, non possit nec debeat sufflare, vel sufflari facere in aliquam bestiam pecorinam, seu caprinam, vel alterius cujuscumque conditionis, caussa ipsam sconflandi, vel aliud faciendi; nec habere seu tenere ipsas carnes in suis beccariis inflatas, seu sconflatas; & quod non possit nec debeat in pellibus dictarum bestiarum ponere, seu poni facere aliquem sanguinem, calcinam, vel urinam. Et qui contrafecerit, puniatur pro quolibet, & qualibet vice in lx. sol. Et de prædictis quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni, & eidem credatur cum uno teste, & teneatur in credentia.

Quod

Quod carnes non teneantur in pelle, sed extra beccarias super zochis incisæ. Cap. CXXX.

ITEM, quod quilibet beccarius interfecta bestia, cujuscumque generis bestia fuerit, statim removere debeat a dicta bestia mortua pellem, nec tenere modo aliquo in beccariis carnes in aliqua pelle, vel extra beccharias, ut quæ non sunt recentes possint recentes apparere, pœna lx. sol. pro quaque vice, & quaque bestia: sed eas carnes tenere debeant in eorum zochis incisas extra beccharias, pœna & banno ad arbitrium judicis procuratorum cum consiliariis suis.

Quod carnes bovinæ non teneantur, nisi de una bestia bovina, super zocho. Cap. CXXXI.

ITEM, quod nullus beccarius civitatis & burgorum Veronæ super zocho beccharie ubi habet carnes bovinas, tenere debeat, nisi solum de una bestia bovina: & qui contrafecerit, puniatur in centum sol. Et quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni, & eidem credatur cum uno teste, & teneatur in credentia.

Quod beccarii relinquere debeant signum, & tenere non incisum a membro illius bestiæ, cujus carnes volunt vendere. Cap. CXXXII.

ITEM, quod quilibet beccarius vendens, seu vendere volens carnes porci, vel castroni teneatur & debeat habere, & tenere signum dictę bestiæ non incisum a membris, & tantum de pelle, & pilis, quod bene cognosci possit genus ipsius bestiæ, sive de qua bestia sint carnes ipsius; ita quod quilibet volens emere possit cognoscere, quod sint de masculo, pœna & banno centum sol. pro quolibet, & qualibet vice: & quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni, & teneatur in credentia. Ad quam condemnationem quilibet ex sociis illius banchæ insolidum teneatur.

Ne carnes prædictæ portentur ad domum per beccarios, nec teneantur absconsæ. Cap. CXXXIII.

ITEM, quod nullus beccarius deferre præsumat carnes prædictas ad domum suam vel alio, ultra eas, quæ sibi & suæ familiæ comedere sufficiat una die; vel eas tenere in scriniis, vel camarellis absconsas. Et qui contrafecerit, pro omni vice puniatur in lx. sol.

De

De carnibus morbosis, seu porcarum, seu ovium, non vendendis in beccariis. Cap. CXXXIV.

ITEM, quod nullus beccarius, nullaque persona vendere debeat carnes morbosas, carnes porcarum, carnes ovium sive pecudum, nec etiam tenere in beccariis suis de dictis carnibus, nec aliquam de dictis bestiis vivam vel mortuam, nec in eorum stallis seu domibus, pœna & banno xxv. lib. dena. pro quolibet capitulo, & quolibet beccario, & qualibet vice; sed ipsas carnes porcarum & ovium sinceras vendere possint super pontes, & extra Portas civitatis, & longe ab iis beccariis, ubi venduntur bonæ & pulchræ carnes. Et quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni. De carnibus vero fœtentibus condemnetur beccarius pro quaque vice in centum sol.

De carnibus non aptandis ad pinguedinem alterius bestiæ; & quod nullus vendat carnes unius bestiæ pro alia; & de collo, seu capite cum aliis carnibus non vendendo. Cap. CXXXV.

ITEM, quod quilibet beccarius vendens carnes, & misterium beccariorum exercens vendere debeat bonas & pulchras & recentes carnes, nec debeat ipsis apponere seu aptare de pinguedine alterius bestiæ, nisi de ea, cujus fuerit; nec debeat aliquas carnes vendere pro carnibus de castrono, nisi fuerit de castrono, nec aliquas carnes, nisi pro illa bestia de qua fuerit, pœna decem libr. denar. pro quolibet, & qualibet vice. Et si solvere non posset, stet in carceribus, nec exinde possit exiri, nisi ipsa condemnatione soluta. Nec debeat vendere carnes alicujus bestiæ a spallis in antea, seu collum ipsius bestiæ, nec caput, nec pedes, nec intestina, nec testiculos cum aliis carnibus mixtos, seu mixtas, nec etiam ad pensum, sed per se separatim vendere possint. Et qui contra prædicta fecerit, puniatur pro quolibet, & qualibet vice in centum solidis.

De pinguedine bestiæ non vendenda, nisi secundum carnes ipsius bestiæ. Cap. CXXXVI.

ITEM, quod nullus beccarius, & nulla persona debeat vendere pinguedinem alicujus bestiæ, nisi secundum eum modum & formam quo vel qua venduntur carnes bestiæ, de qua fuerit accepta illa pinguedo, excepta pinguedine porcorum, banno centum solidorum.

Quod

Quod etiam mediam libram carnium & de quocumque loco bestiæ ementi placuerit, beccarii dare teneantur, Cap. CXXXVII.

ITEM, quod quilibet beccarius dare & vendere teneatur unicuique personæ emere volenti etiam mediam libram de qualibet carne cujuslibet bestiæ, quam habuerit, banno lx. sol. & plus, ad voluntatem ementis; & de quo loco bestiæ ementi placuerit, sub pœna prædicta.

Quod beccarii dare teneantur de carnibus ad voluntatem petentibus non jungendo de alia bestia. Cap. CXXXVIII.

ITEM, quod quilibet beccarius teneatur & debeat dare, & vendere ad minutum cuilibet personæ volenti emere de illis carnibus, quas emptor voluerit, & non debeat apponere seu adjungere carnes alterius bestiæ mixtas illis carnibus, sed solummodo dare debeat de carnibus illius bestiæ puræ, quas emptor postulaverit. Et si persona a beccario petierit, quod sibi debeat dare & vendere de carnibus, & dixerit per suum sacramentum coram judice procuratorum, quod beccarius ille noluerit sibi dare, credatur ei, & teneatur in credentia; & solvat dictus beccarius xl. sol. pro banno.

De carne minus penso, qualiter beccarius puniatur. Cap. CXXXIX.

ITEM, si quis beccarius, vel ejus discipulus vendiderit carnes minus penso, condemnetur pro omni vice in xl. sol. Et beccarius pro suo discipulo solvere teneatur.

De provisione omni mense habenda, quanto pretio carnes vendi debeant, & de pœna transgredientium beccariorum. Cap. CXL.

ITEM, quod provisores communis Veronæ singulis mensibus examinari & provideri faciant per Consilium XII. deputatorum, cum licentia & præsentia D. Potestatis, pro quanto possint carnes cujuslibet conditionis dari; & faciant deliberari pro quanto pretio ipsæ carnes vendi debeant. Et id quod per ipsum D. Potestatem, & Consilium XII. fuerit ordinatum debeat per ipsos beccarios observari, pœna & banno xxv. libr. & minus, arbitrio Judicis & Consiliariorum pro quoque contrafaciente, & quaque vice. Et de prædictis quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni, & ei credatur cum uno teste, & teneatur in credentia.

Quod beccariæ transferantur super flumen Athesis juxta piscarias. Cap. CXLI.

ITEM Statuimus, quod beccariæ, quæ indecenter sunt super strata, qua itur a Ponte novo ad Plateam Dominationis, transferri debeant, expensis communis Veronæ, super ripam Athesis, & in illa Platea, quę est, juxta banchas piscariæ inter Pontem novum, mediante vado, & hospitium Ciconiæ; & quod ipsis sic translatis, nulla de cætero beccaria esse possit super strata prædicta. Et hoc secundum commissionem nobis ab Illustrissimo nostro Dominio factam per suas litteras datas quinto Decembris, septima indictione, Mccccxiv. & alias, trigesimo Augusti, indictione xi. Mccccxxxiii.

De revenditoribus porcorum, & carnium siccarum. Cap. CXLII.

ITEM, quod nulla persona debeat vendere carnes siccas aspersas, vel ablutas, seu revenutas in locis humidis & friscuris, in banno centum sol. & plus, inspecta carnium quantitate.

HÆC SUNT STATUTA SUPER PORCIS, ET MEZENIS.

De porcis conductis in hospitiis Veronæ ad occidendum & vendendum, portandis ad banchas Mercati fori, sive mezenis eorum. Cap. CXLIII.

STATUIMUS, quod quælibet persona terreria, vel forensis, quæ conduxerit, aut conduci fecerit aliquos porcos in hospitiis civitatis, & burgorum Veronæ, caussa eos occidendi, & vendendi in Mercato fori, teneatur & debeat ipsos porcos, sive mezenas eorum, postquam mortui fuerit, portare, seu portari facere ad banchas in Mercato fori, ubi venduntur mezenæ, a primo sono claveriæ, ad quam pulsatur summo mane, usque ad horam tertiarum, pœna & banno centum sol. pro quoque porco, & l. sol. denar. pro quaque mezena, & quaque vice, & quaque persona.

De signandis porcis, & mezenis. Cap. CXLIV.

ITEM Statuimus, quod conductor datii bancharum Mercati fori, teneatur & debeat incontinenti signare omnes porcos, & mezenas, dummodo portatæ fuerint in dicto Mercato fori super gambis anterioribus, cum

cum uno gladio, signo crucis pro prima die. Et similiter pro secunda die teneatur signare dictos porcos super dictis gambis anterioribus secundo signo crucis prope primum signum crucis, ad hoc ut possit cognosci per emptores, quibus diebus dictæ mezenæ portatę fuerint in dicto Mercato fori, pœna & banno lx. sol. pro quaque mezena, & quaque vice.

De signo porcarum castratarum. Cap. CXLV.

ITEM Statuimus, quod nulla persona terreria vel forensis præsumat portare, neque portari facere aliquas mezenas porcarum castratarum sine signo, videlicet quæ non habeant setas super spallas & super costas excoriatas, ad dictas banchas mezenarum in Mercato fori, sub pœna & banno xx. sol. denar. pro quoque, & quaque vice.

De scrofis non mactandis, neque vendendis. Cap. CLXVI.

ITEM Statuimus, quod aliqua persona mactare non audeat, nec mactari facere pro vendendo, nec mortuam vendere, nec vendi facere aliquam porcam scrofam, nec carnes ejus, sub pœna x. libr. dena. pro quoque, & quaque porca, applicanda pro tertia parte accusatori, si fuerit accusator; & pro aliis duabus partibus officio procuratorum communis. Et si quis pro usu suo mactare voluerit, teneatur & debeat licentiam accipere a dicto officio procuratorum, ne fraus fiat, sub pęna lx. sol. applicanda ut supra.

De non exportandis mezenis, aut porcis de Mercato usque ad xxii. horam. Cap. CLXVII.

ITEM Statuimus, quod nulla persona quæ conduxerit porcos, aut mezenas in dicto Mercato fori caussa vendendi, audeat vel præsumat exportare dictos porcos, aut mezenas de dicto Mercato fori, usque ad xxii. horam, pœna & banno lx. sol. denar. pro quoque, & quaque vice, & quaque mezena; & hoc non habeat locum quando tempus est pluviosum.

De non portandis porcis, nec mezenis in Mercatum, nisi secunda die. Cap. CXLVIII.

ITEM Statuimus, quod quælibet persona, quæ conduxerit porcos, aut mezenas in Mercato fori Veronæ, possit & debeat ipsos porcos, aut mezenas, postquam pulsatum fuerit ad vigesimam secundam horam, exportare seu exportari facere de dicto Mercato, dummodo ipsas & ipsos non vendiderit in prima die; ac etiam possit & valeat ipsos

porcos, & mezenas reducere seu reduci facere in dicto Mercato fori pro secunda die, & si ipsos & ipsas non vendiderit, ipsa secunda die signata ut supra, possit ipsos & ipsas exportare de dicto Mercato, nec debeat amplius reducere nec vendere in dicto Mercato, nec alibi, pęna centum solidorum denar. pro quoque, & quaque mezena, & quaque vice.

Reformatum & additum die XXI. Decembris MCCCCLX. per Consilium.

Quod quaslibet mezenas semel positas in Mercato omnino vendi oporteat tertia die, nec possint ipsa tertia die modo aliquo exportari de banchis, vel Mercato, nisi in veritate venditæ, sub pęna pro quaque mezena non vendita, usque ad vigesimam secundam horam, quod sit perdita. Et proinde signari debeant etiam tertia die, tertia cruce.

Quod Portitores mezenarum non stent circa banchas. Cap. CXLIX.

ITEM Statuimus, quod Portitores mezenarum nullo modo audeant, vel præsumant stare ad banchas super quibus venduntur mezenæ in dicto Mercato, sed debeant stare longe a dictis banchis per quatuor perticas longas sex pedibus, pro quaque pertica. Eo salvo, quod possint appropinquare ad dictas banchas caussa portandi mezenas, dummodo vocati fuerint per emptores, banno XX. sol. denar. pro quoque, & quaque vice.

Quod nullus emat in Mercato, nec alibi mezenas caussa incanipandi, seu revendendi. Cap. CL.

ITEM, quod nulla persona terreria, vel forensis præsumat emere in Mercato fori, nec alibi mezenas caussa ipsas incanipandi, seu revendendi, pęna & banno lx. sol. pro quaque mezena, & quaque vice, & amissionis dictarum mezenarum.

Quod nullus beccarius vadat in hospitia ad emendum porcos. Cap. CLI.

ITEM, quod nullus beccarius audeat aliquo modo ire ad aliquod hospitium ubi occiduntur porci caussa emendi aliquem de dictis porcis vivum vel mortuum, pœna & banno X. libr. denar. pro quoque, & quaque vice. Et si repertum fuerit aliquem beccarium fuisse ad aliquam de dictis hostariis, intelligatur ivisse caussa emendi, quamvis ibi repertus fuerit non emere.

Quod

Quod nullus beccarius emat carnes porcinas ad Capitellum. *Cap. CLII.*

ITEM, quod nullus beccarius audeat vel præsumat emere carnes porcinas ad Capitellum, sive in Mercato fori, per se vel per alium, pœna & banno centum sol. pro quoque, & quaque vice, & quaque mezena. Et de prædictis quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni, & eidem credatur cum uno teste, & teneatur in credentia.

De falciciis, & brigaldis, & intestinis porcorum non vendendis per aliquem forensem. *Cap. CLIII.*

ITEM Statuimus, quod aliqua persona non subiens, & non attendens cum communi Veronæ factiones & onera, & non habitans in ipsa civitate cum tota massaritia & familia, non possit, nec valeat facere, seu vendere, nec fieri, seu vendi facere falcicias, vel lucanicas, nec brigaldos, vel sanguinacios, nec revendere seu revendi facere aliqua alia intestina porcorum, sub pęna x. libr. denar. pro quoque, & quaque vice, applicanda pro tertia parte accusatori, si fuerit accusator, & pro aliis duabus partibus officio judicis procuratorum. Quicumque vero non ęstimatus in communi Veronæ volens posse facere, & vendere de dictis brigaldis, & falciciis, & intestinis, possit se prius facere ęstimari per provisores communis, cum idonea satisdatione de attendendo cum communi factiones, & onera per totum tempus ipsius æstimi, dummodo habeat & teneat totam suam familiam in civitate Veronæ.

Quod falciciæ vendantur ad pondus, & non ad mensuram. *Cap. CLIV.*

ITEM Statuimus, quod falciciæ seu lucanicæ amodo vendi debeant ad pondus grossum & non ad mensuram ullo modo, & vendantur ad calmerium pretii sibi dandum per provisores communis, & milites communis, sub pœna cuique contrafacienti lx. sol. applicanda pro tertia parte accusatori, si fuerit accusator, & pro aliis duabus partibus officio judicis procuratorum.

De pullis, & salvaticinis non emendis causa revendendi. *Cap. CLV.*

STATUIMUS ne aliquis pullarolus, nec aliqua alia persona emat aliquos pullos seu ova, nec anseres, nec anates, nec phasianos, perdices, qualeas, nec aliquam salvaticinam in diebus mercati ante horam nonæ, videlicet in die jovis, & in die sabbathi, nec in die præcedenti post nonas, videlicet in die mercurii, & in in die veneris pro revendendo in civitate Veronæ, vel burgis; nec vadat pro emendo ad portas civi-

nec ad alias vias venientes ad Plateam obviam illis qui portant de prædictis ad vendendum, Nec similiter vadant in Zosanam vel in Flumen novum, nec ad alias partes districtus Veronæ obviam ad emendum de prædictis pro revendendo. Ita quod revenditores, & revenditrices nullo modo emere debeant de prædictis, nec caussa dandi aliis, vel aliorum nomine. Et si contrafactum fuerit, emptor in lx. sol. puniatur, & rem ac pretium amittat; venditor autem in nihilo puniatur. Et intelligatur ire obviam & in districtum pro dicta caussa, eo ipso quod reperti fuerint cum rebus, vel cum deferentibus eas, quamvis reperti non fuerint emere. Item de hoc quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni. Et quod salvaticinæ, tam aves quam bestiæ silvestres mortuæ ex sui apte, postquam portatę fuerint in mercato ad vendendum, de ipso mercato non exportentur ab his qui eas conduxerint, nec per alios eorum nomine, nisi per eos qui eas emerint, banno prædicto, & amissione earum.

De caseo, caepis, alliis, herbis, & fructibus non emendis ante horam nonæ caussa revendendi. Cap. CLVI.

STATUIMUS, quod nulla persona in civitate & burgis emat caussa revendendi usque ad nonam, caseum, cæpas, allia, herbas, fructus, vel aliqued aliud comedibile, postquam venerit in Mercato fori, nec ire obviam conducentibus ad Mercatum in civitate, vel burgis. Et intelligatur ire obviam eo ipso, quod repertæ fuerint venire cum rebus, vel cum deferentibus eas, quamvis repertæ non fuerint emere. Et qui contra prædicta fecerit, puniatur pro quolibet, & qualibet vice in lx. sol. Et quod omnibus de Verona liceat vendere post nonam fructus in Mercato fori etiam revenditoribus, exceptis uvis prohibitis per Statuta communis Veronæ * in cap. CLXXII. hujus lib. Et quod nullus venditor emere debeat ab extraneis aliquos fructus, nisi in Mercato fori, pœna prædicta.

De Caseo & aliis mercandariis non emendis per forenses pro revendendo; & quod nullus emat pro forensi. Cap. CLVII.

ITEM Statuimus, quod nulla persona, quæ non attendat onera & factiones publicas continue cum civitate, aut villis Veronæ, modo aliquo vel ingenio audeat, seu præsumat tenere, seu emi facere in civitate, & toto districtu Veronæ rem aliquam, vel mercantiam, & præsertim caseum factum in territorio Veronensi, ab aliqua persona terreria, vel forensi, neque cambiare cum aliqua persona; & hoc caussa revendendi in ipsa civitate & districtu Veronæ, pœna & banno xxv. libr. denar. pro quoque, & quaque vice, & plus & minus, arbitrio judicis

pro-

procuratorum & consiliariorum suorum, inspecta qualitate, & quantitate rei & facti.

Item, quod nulla persona terreria, vel forensis aliquo modo vel ingenio emat rem, vel mercantiam pro aliqua persona forensi in Verona & ejus districtu, caussa revendendi illam in civitate vel districtu Veronæ, & præsertim caseum factum in Veronensi districtu, sub pœna prædicta.

Item, quod si quis vendiderit caseum minus penso, puniatur in xl. sol. pro qualibet vice.

Item, quod prædictarum pœnarum medietas sit accusatoris.

Quod quilibet possit vendere caseum integrum, permittendo eum sazari.
Cap. CLVIII.

ITEM Statuimus, quod qualibet persona possit vendere, vel vendi facere per se, vel per suum nuncium ubicumque in Verona & ejus suburbiis, in stationibus tamen, non autem portando per civitatem, caseum integrum; & quicumque vendiderit, teneatur permittere sazari caseum, quem vendiderit, banno x. sol. pro quolibet, & qualibet vice.

De non portando caseum, nec carnes siccas vendendo per civitatem.
Cap. CLIX.

ITEM, quod nulla persona debeat per civitatem & burgos Veronæ ire, aut mittere ad vendendum carnes siccas, nec caseum ad minutum, nisi in suis domibus, & stationibus, vel in Mercato fori, vel in alio ordinato loco. Et qui contrafecerit, cadat in pœnam xx. sold. pro quaque vice, & perdat carnes, & caseum, quæ & qui sibi reperirentur sic portari. Et si reperiretur cum dicto caseo, vel carnibus habere lanam, vel stamen, præsumatur illud & illam habuisse & habere malo modo, & portare in fraudem, & perdat ipsam lanam & stamen, ac insuper condemnetur in centum solidis.

HÆC SUNT STATUTA SUPER PISCIBUS, ET PISCAROLIS.

De Piscibus non emendis in civitate caussa revendendi, & non discargandis alibi, quam in Piscariis; & qui pisces vendi debeant in Braida.
Cap. CLX.

STATUIMUS, quod nulla persona emere debeat in civitate & burgis Veronæ pisces, seu gambaros caussa revendendi. Et quod nullus piscarolus, seu piscium venditor, nec alia quæcumque persona debeat,

beat, nec faciat exonerare, collocare, vel deponere pisces in civitate & suburbiis, nisi in Mercato, seu Platea ubi venduntur pisces. Et qui contrafecerit, solvat communi Veronæ lx. sol. pro omni vice, & amittat pisces. Cujus pęnę medietas sit accusatoris, & alia medietas sit officii procuratorum communis Veronæ.

Item, quod nullus piscarolus, seu piscium venditor pisces recentes extra Plateam prædictam conducat, postquam in ipso Mercato, seu Platea ipsos habuerit. Et qui contrafecerit, puniatur pro quolibet, & qualibet vice in lx. sol. Salitos vero pisces possint portare per civitatem & burgos quo voluerint.

Item, quod omnes pisces recentes, quos non vendiderint de mane usque ad horam pulsatam nonæ, portare debeant ad Braidam, & ibi vendant ipsos pisces, nec alibi vendere possint, vel præsumant, pęna prædicta. Et hoc non habeat locum in sardenis, quæ conducerentur ad vendendum post nonam a Lacu.

Quod Vendentes pisces galerum in capite non teneant, nec sedeant; & quod ea die pisces vendantur; & de caudis incidendis; & de piscibus non balneandis, nec tenendis coopertis. Cap. CLXI.

ITEM, quod nullus piscator, vel piscium, aut gambarorum venditor illos vendendo sedere præsumat, vel galerum, vel saccum in capite habere, nec aliquid aliud ultra id, quod in die portat in capite, nec pedalia, præter sotulares simplices in pedibus, nec aliquid aliud sub eis, nisi simplicem terram: & qui contrafecerit, puniatur pro quolibet, & qualibet vice in lx. sol. Et quod nullus piscator, vel piscium venditor ova, vel intestina piscium extra Mercatum, vel Plateam ubi venduntur pisces deportet; sed ipsa die, qua habuerit, & traxerit de piscibus in Mercato prædicto, seu Platea vendere teneatur, pęna prædicta.

Item, quod quilibet piscarolus, vel piscium venditor, ex quo pisces recentes duxerit in Mercato, seu Platea prædicta ad vendendum, abscindere debeat caudas medias vel ultra, omnibus piscibus incontinenti, & cum caudis incisis vendere pisces recentes: salitos vero cum caudis integris. Et qui contrafecerit, puniatur in xx. sol. pro quolibet, & qualibet vice. Et hæc posta non habeat locum in anguillis, & sardenis, & piscibus qui venduntur in lapide Mercati fori, seu circa lapidem piscium communis Veronæ.

Item, quod non debeat balneare pisces, nec tenere super ipsis aliquem pannum, vel stoream, vel aliquod aliud per coopertam, postquam illos habuerit in Mercato, seu Platea prædicta, sub pęna prædicta. Item quod de prædictis quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni.

De

De Piscibus in aperto vendendis & tenendis in discis, seu valariis; & quanto pretio sardenæ, & gambari vendi debeant. Cap. CLXII.

ITEM, quod venditores piscium teneant ipsos in discis, seu valariis apertis in Mercato, vel in Platea prædicta, & non in cistis, præter sardenas. Et quando cistæ sardenarum conducuntur in Mercato, vel in Platea prædicta, incontinenti cistæ ubi erant sardenæ debeant aperiri, & vendi volentibus emere. Et idem intelligatur de cistis, & saccis, ubi erunt gambari. Et qui contrafecerit, puniatur pro quolibet, & qualibet vice in lx. sol. Et quod sardenæ non possint dari pauciores quinque pro uno sol., pęna & banno quinque sol. pro qualibet sardena minus. Et gambari vallum, & paludum, & Athesis, & rivorum Athesis non, possint vendi ultra; novem denar. libr., pęna & banno v. sol. pro qualibet libra pluri vendita; & quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni.

Quod nulla persona forensis emat pisces aliquos caussa portandi extra districtum, nisi in civitate Veronæ. Cap. CLXIII.

ITEM, quod nulla persona forensis audeat vel præsumat emere aliquos pisces in civitate & districtu Veronæ caussa portandi extra dictum districtum, nisi in loco, ubi venduntur pisces in civitate; nec ipsos deferat, vel deferri faciat ipse foresterius, vel etiam terrerius extra districtum Veronæ per Lacum Gardæ, vel aliunde, sine licentia D. Potestatis. Et qui contrafecerit, solvat pro banno xxv. libr. denar., & perdat pisces.

Item, quod nullus piscarolus, nec aliqua alia persona emat, vel emi faciat pisces recentes in civitate vel burgis Veronæ caussa revendendi, banno lx. sol. & perdat pisces. Item quod de prædictis quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni.

De Piscibus Lacus Gardæ extra districtum Veronæ non conducendis. Cap. CLXIV.

ITEM quod communia, & homines Pischeriæ, Sermioni, Lazisii, Bardolini, Gardæ, & Turris, incipiendo primo Octobris usque ad Pascha Resurrectionis Domini, non conducant, nec conduci faciant, nec permittant ullo modo, vel ingenio extra territorium Veronense aliquam piscium quantitatem alicujus manerici, vel magnam vel parvam, cum bulleta, vel sine bulleta, nisi etiam licentia D. Potestatis Veronæ ex sua cancellaria scripta & sigillata, exceptis carpionibus coctis, & anguillis. Sed teneantur & debeant omnem piscium cujuslibet manerici magnam

 vel

vel parvam quantitatem, quæ per eos vel pro eis habita vel capta fuerit, conduci facere ad civitatem Veronæ in piscariis, reservata tantum sibi illa piscium parte, quæ pro usu tantum suarum familiarum fuerit necessaria, sub pœna unius ducati pro quolibet penso piscium, & in ratione pensi, pro qualibet vice qua fuerit contrafactum. Et sub pœna insuper, quod si fuerit in quadragesima, vel in diebus proximis quadragesimæ dicta communia & homines sic reperta & reperti contrafecisse, teneantur & debeant toto illo tempore quadragesimali omni die, quantum duraverit quadragesima, mittere & conduci facere, & habere in civitate Veronæ, in Platea ubi vendunt pisces, infrascriptas quantitates piscium ad vendendum, quod si non fecerint, emendent officio procuratorum pro quolibet centenario, & in ratione centenarii anguillarum centum sol. & pro qualibet soma aliorum piscium centum sol.

Commune Pischeriæ	centum anguillas.
Item somam	unam piscium.
Commune Lasisii somam	unam cum dimidia piscium
Commune Sermioni	tres somas.
Commune Bardolini	duas somas.
Commune Gardæ	duas somas.
Commune Turris	duas somas.

Et sub pœna etiam, quod dicta communia, & homines, & quælibet singularis persona terreria, vel forensis reperta conducere vel conduxisse, aut conduci facere vel fecisse, perdat pisces, & navem, & omne jumentum, in qua & quo conduceretur, seu conducta esset aliqua quantitas piscium lacus extra districtum, vel eorum valorem, & xxv. libr. pro quaque soma piscium; in quam pœnam xxv. libr. cadat etiam datiarius, sive cedularius, & vicarius, qui bulletam fecissent. Quarum, quidem pęnarum tertia pars sit cameræ Illustriss. nostri Dominii, & tertia inventoris, vel accusatoris, & alia tertia officii Procuratorum communis Veronæ. Et si socius accusaverit socium sit absolutus a pœna sua. Et lucretur insuper unum tertium alterius socii, & teneatur in credentia. Et intelligatur conducere extra districtum quicumque repertus fuerit conducere per aliam viam, quam per viam rectam Veronæ. Exceptis qui licentiam haberent a D. Potestate de sua cancellaria scriptam & sigillatam, exceptis carpionibus coctis, & anguillis.

Item, quod aliqua persona terreria vel forensis non audeat nec præsumat emere aliquam piscium quantitatem de Lacu Gardæ, caussa conducendi & vendendi in civitate Veronæ, aut alibi in districtu, sub pęna xxv. libr. pro quoque, & quaque vice, applicanda pro tertia parte cameræ Sancti Marcj, & pro alia tertia parte inventori, vel accusatori, & pro alia tertia parte officio procuratorum communis Veronæ; nisi dicta talis persona prius fecerit, se scribi ad officium procuratorum communis Veronæ *pro emptore piscium Lacus, caussa ubertandæ civitatis*, & se-

& fecerit dicto officio securitatem xxv. libr. denar. de conducendo fideliter ad vendendum in civitate omnem piscium quantitatem, quam emerit, in quibus non comprehendantur hosterii Veronenses, qui emerent quantum esset sibi necessarium per hospitiis suis; in quam pœnam cadat qui vendiderit de dictis piscibus super Lacu aliis personis, quam prædictis, aut modo prædicto ementibus. Et nihilominus venditio non valeat, etiam quæ facta esset super retibus, & piscibus capiendis. Et si socius accusaverit socium, ant emptor venditorem, vel venditor emptorem, sit absolutus a pœna sua; & insuper lucretur tertiam partem pœnæ alterius socii, & teneatur in credentia.

Item, quod etiam omnes vicarii Gardesanæ debeant de prædictis diligentissime inquirere, & maxime Capitaneus Lacus, & de omnibus inventionibus suis habeant unum tertium, ut supra dictum est.

Item, quod omnes alii Vicarii, omnesque viatores, baroerii, capitaneus armorun & alii quicumque officiales, ac insuper omnes & singuli privati homines nullum habentes officium (qui quidem ad hoc specialiter intelligantur habere officium) possint & valeant arrestare, intromittere, & retinere pisces, naves, jumenta, & personas, quas incipiendo a primo Octobris, usque ad Pascha Resurrectionis Domini invenirent extra viam rectam Veronæ cum piscibus de Lacu, cum bulleta vel sine bulleta, nisi esset licentia d. Potestatis de sua cancellaria scripta & sigillata, & nisi essent carpioni cocti, vel anguillæ; & habeant tertiam dicti contrabanni ut supra. Et hoc cum subsidio vicariorum, massariorum Communium, & hominum cujuscumque villæ, qui requisiti suum favorem & brachium dare teneantur sub pena cuicumque massario xxv. libr. denar; & alii cuicumque personæ, centum sol. applicanda ut supra.

De piscibus putridis, sive marcidis non vendendis. Cap. CLXV.

ITEM, quod nullus piscarolus, nullaque alia persona vendere debeat, nec ponere ad vendendum in Piscariis, nec ad lapidem piscium, nec ad Braidam, nec alibi pisces recentes, nec salitos putridos, seu marcidos, sub pœna amittendi pretium seu valorem piscium in ratione, ac si essent boni, & dicti pisces proiiciantur in flumine Athesis.

Quanto vendi debeant pisces; & quod majores pisces cum minoribus non misceantur; de Pisce minus penso.
Cap. CLXVI.

ITEM, pisces Lacus Gardæ non vendantur ultra tres solidos pro qualibet libra, exceptis carpionibus coctis, qui vendi possint sex sol. quęque libr. & pisces Athesis & vallium a media libra supra pro capite non vendantur ultra duos sol. pro quaque libr. a media libra vero infra

non vendantur ultra unum sol. pro quaque libr. Et quod nullus piscarolus, seu piscium venditor debeat miscere pisces magnos cum parvis in vendendo; & qui contrafecerit in prædictis, perdat pisces, & tantundem pro pœna. Et quod vendens pisces minus penso, puniatur in xi. sol. pro quaque vice.

De ossibus olivarum non reficiendis. Cap. CLXVII.

ITEM Statuimus, quod nulla persona terreria, vel forensis audeat vel præsumat in civitate, vel districtu reficere vel refici facere in suo torculo ossa olivarum, videlicet, quod olivæ & earum ossa semel torculata secundum debitam consuetudinem & bonum usum antiquum, non possint plus aliquo modo, vel ingenio retorculari, neque refici, sub pena magistro torculi, proprietario, vel conductori libr. xxv. denar. pro quaque fulla dictorum ossium; & laboratori, seu famulo cuilibet dicti torculi libr. x. quarum penarum, dimidia sit inventoris, accusatoris, vel denunciatoris, quibus credatur cum juramento suo, & uno teste, & teneatur si voluerit in credentia, & alia dimidia sit cameræ Illustriss. Dominii nostri, & communis Veronæ pro fabrica Palatii sive pro aliis fabricis dicti communis. Et si quis eorum qui contrafecerint, accusaverit aut denunciaverit, sit ipse absolutus a pena sua, & nihilominus lucretur dimidiam pene eorum, qui contrafecerint. Et Vicarii villarum ac eorum famuli possint esse inventores, ac inquisitores de prædictis; immo teneantur ipsi Vicarii per se & famulos atque alios diligenter inquirere de prædictis. Et possint ipsi Vicarii & eorum nuncii, ac milites communis Veronæ, & domus mercatorum Veronæ facere aperiri torcularia, & alia quæcumque loca ubi suspicionem haberent de prædictis; quod si recusabitur aperiri, ibi intelligatur fraus esse, & cadant illi recusantes sive magister torculi in penam fraudis & delicti commissi, videlicet in penam xxv. libr. applicandam ut supra. Et prædictæ inventiones, accusæ & denunciationes deferantur ad banchum judicis procuratorum communis Veronæ.

Quod nulla Venditrix olei, sive fructuum, vel herbarum pueros teneat in brachio, nec eos spiochiare debeat, nec filare. Cap. CLXVIII.

ITEM, quod nulla persona Venditrix olei, vel fructuum, vel herbarum, vel alterius rei quæ comedatur, debeat tenere pueros in brachio, prædicto vendendo, nec pueros spiochiare, neque filare, neque inaspare, neque pectinare caput sibi vel alii sedendo, vel stando ad stationes seu loca, ubi suas merces vendit. Et qualibet, quæ contrafecerit, puniatur pro qualibet vice in quinque solidis.

De

De Zavascariis, ubi stare debeant in Mercato. *Cap.* CLXIX.

STATUIMUS, quod zavascariæ, vel zavascharii fructum arborum volentes stare in Mercato fori ad vendendum, stare debeant in una bina ultra Capitellum per quatuor perticas, & abinde supra versus Cambios, & non infra, pœna xx. sol. pro quolibet contrafaciente, & qualibet vice; & non debeant permixtim cum villanis in ordine stare, pęna prædicta.

De eodem. *Cap.* CLXX.

ITEM, quod nulla zavascaria, & nulli revenditores seu revenditrices, nec alia persona debeat cum mercibus impedire nec stare, sicut vadit via, quæ venit a Platea D. D. Rectorum, & transversat Mercatum versus Capitellum. Et qui contrafecerit pro omni vice in xx. sol. puniatur, exceptis zavascariis leguminum recentium, quæ stare debeant ab angulo Capitelli versus Antennam.

De eodem. *Cap.* CLXXI.

ITEM, quod nulla zavascaria, vel zavascarius debeat stàre ad vendendum sub Portis, nec juxta Portas civitatis, & pontium per duos passus, sed stare debeat, si solverit, ad vendendum juxta muros civitatis, sub pœna viginti sol. pro banno, & amissionis rerum.

De uva non vendenda in Mercato fori, nec in civitate, nisi de pergola. *Cap.* CLXXII.

ITEM quod nulla persona debeat conducere in Mercato fori aliquam uvam, nec per civitatem, neque per burgos, caussa vendendi, nec ipsam vendat alicui personæ in civitate & burgis, nisi fuerit uva lugiana, vel de pergola, aut varonum vel brumesta. Et qui contrafecerit, puniatur pro unaquaque vice in xx. sol. & in amissione uvæ. Et de hoc quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni. Et quod emptores etiam teneantur ad dictum bannum xl. sol. solvendum pro quolibet, & qualibet vice, & in amissione uvæ; & de prædictis quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni.

Quod

Quod nullus Medicus vendat confectiones, nec syrupos, nec habeat merzariam, nec societatem in ea, nec in aliquo merzario conventionem. Cap. CLXXIII.

ITEM Statuimus, quod nullus Medicus Physicus possit vel debeat vendere species, confectiones, syrupos, nec alias potiones, seu decoctiones per se, vel interpositam personam; nec merzariam tenere in domo sua, nec alibi per se vel per interpositam personam; nec societatem habere cum aliquo speciario, vel apothecario de mittendo infirmos, seu eorum nuncios ad apothecam ipsorum occasione alicujus lucri ipsi medico applicandi. Et quod nullus apothecarius audeat, vel præsumat promittere, vel sine promissione dare aliquid aliud alicui medico sub illa occasione, ut medicus mittat infirmos, vel eorum nuncios ad stationem dicti apothecarii. Et qui fecerit contra prædicta, vel aliquod prædictorum, condemnetur pro quolibet, & qualibet vice in libr. xxv. denariorum; & de prædictis quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni, & teneatur in credentia.

Quod Judex Procuratorum teneatur omni mense inquisitionem facere de syrupis, & aliis potionibus corruptis merzariorum. Cap. CLXXIV.

ITEM Statuimus, quod Judex Procuratorum, teneatur & debeat quolibet mense semel cum uno ex militibus procuratorum communis, & cum duobus medicis vel aliis hominibus peritis, quos dictus judex elegerit, personaliter circuire, & inquirere per stationes speciariorum civitatis & burgorum Veronæ, qui vinculo sacramenti, & banno x. libr. denar. pro quolibet, & qualibet vice, teneantur inquirere, & inquisitionem facere de syrupis, potionibus, confectionibus, & aliis decoctionibus, & de aliis quibuscumque medicinis & rebus corruptis. Et si invenirentur in prædictis stationibus prædicta, vel aliquod prædictorum corrupta vel corruptum, teneantur & debeant in viam publicam effundere & ipse apothecarius condemnetur in lx. sol. pro quolibet ex prædictis corrupto: & de prædictis nihilominus quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni.

De illis qui faciunt candelas de sepo, & ballottas; & quid agere, & a quibus se abstinere debeant. Cap. CLXXV.

ORDINAMUS, quod qualibet persona vendens candelas de sepo teneatur dare & vendere cuilibet personæ emere volenti de ipsis candelis libram earum, & in ratione libræ pro tanto pretio, pro quanto becca-

beccarii tenentur vendere, five pro quanto ipsi a candelis emunt ab ipsis beccariis, vel mercatoribus pinguedinem, five graffum, de quo fiunt dictæ candelæ, & pro tribus denariis parvis ultra dictum pretium pro qualibet libra, & in ratione libræ candelarum, & dicere teneantur perfonæ ementi de quo graffo fint dictæ candelæ: & quod in ipfis candelis, vel fepo vel graffo candelarum non ponant feu mifceant aliquod graffum feu unctum porcorum feu lardum de porcis feu porcabus, nec rafam nec aliquid aliud. Et quod nulla perfona debeat colare fepum, feu graffum, nec facere candelas, feu ballottas in civitate & burgis Veronæ, nec ponere in candelis aliquem ftopinum veterem. Et fi repertum fuerit pofitum effe in candelis aliquem ftopinum veterem. Et fi repertum fuerit pofitum effe in candelis aliquem ftopinum veterem, vel de bambaffo veteri, puniatur in x. fol. pro qualibet librà candelarum fic falfificatarum. Et quod nulla perfona audeat exportare candelas, vel fepum five graffum, aut ballottas extra diftrictum Veronæ fine licentia D. Poteftatis. Et qui contra prædicta, vel aliquod prædictorum fecerit, puniatur pro candelis venditis ultra dictum pretium, vel fi ementem non certificaverit, de quo graffo funt dictæ candelæ, puniatur & condemnetur communi Veronæ pro qualibet libra candelarum, & in ratione libræ, & pro qualibet vice in xx. fol. Et pro eo quod colaverit dictum fepum, vel graffum, & candelas fecerit, vel ballottas de die, condemnetur in xl. fol. pro quolibet, & qualibet vice, nifi prædictas ballottas fecerit de mandato D. Poteftatis Veronæ. Et quod portantes extra diftrictum Veronæ prædicta, vel aliquod prædictorum fine licentia D. Poteftatis, puniatur in centum fol. pro quolibet & qualibet vice, & in amiffione dictarum rerum. Et de prædictis quilibet fit accufator, & habeat medietatem banni, & teneatur in credentia, & ei credatur cum uno tefte bonæ famæ. Infuper milites procuratores communis Veronæ quolibet anno, bis ad minus, inquirere teneantur vinculo facramenti de prædictis.

Quod res pertinentes ad graffam vendi debeant ad pondus libræ groffæ.
Cap. CLXXVI.

ITEM ordinamus, quod anguillæ falitæ, caricæ, capati, avellanæ, rifi, amygdalæ, & cujuslibet alterius conditionis graffæ vendi debeant ad pondus libræ groffæ decem & octo unciarum fubtilium pro libra groffa, fub pœna cuilibet contra facienti xl. fol. pro quaque vice. Salvo quod anguillæ non excedentes pondus fex unciarum, vendi poffint ad pondus & fine pondere in arbitrio vendentium.

De

De mensuris a blado, & Plumbinis, ac Balanciis omni mense circandis, & assazandis per milites communis cum bullatore.
Cap. CLXXVII.

ITEM Statuimus, quod Milites Procuratorum communis Veronæ vinculo sacramenti simul cum bullatore mensurarum, qui tenet bullam communis Veronæ, & ipse bullator cum eis teneantur & debeant omni mense semel circare, videre, & examinare, assazare, & approbare omnes mensuras bladi, quibus personæ utuntur in Mercato fori, si sint justæ, & ad justas mensuras, & bullatæ bulla communis ordinata, ut esse debent; mensuras, quas repererint injustas, seu non bullatas bulla communis, præsentare Judici Procuratorum communis Veronæ, pœna lx. sol. pro quolibet, & qualibet vice. Item eodem modo teneantur & debeant semel omni mense circare, examinare, assazare & approbare plumbinos beccariorum, & carnarolorum, & balantiolas, pistorum, & marchas eorum, & aliorum misteriorum utentium plumbinis, bilantiolis, & marchis ad vendendum seu emendum aliquid, si sint justi & justæ & ad justam pensam, & bullatæ bulla communis ordinata, ut esse debent: & plumbinos, balantiolas, & marchas si quos vel si quas injustos vel injustas, aut non bullatos seu non bullatas bulla communis repererint, præsentare suo judici debeant, prædicto banno lx. sol. pro quolibet, & qualibet vice.

De Bilanciis vendentium carnes siccas, vel mercimonia, quod habere debeant clavum, qui teneat jovetam, rotundum, & de chordis non tenendis ad illas. Cap. CLXXVIII.

STATUIMUS, quod qualibet persona vendens caseum, vel carnes siccas, vel aliqua sua mercimonia cum bilanciis habere debeat bilancias, quæ habeant clavum, qui teneat jovetam, rotundum; & qui contrafecerit, puniatur pro quolibet & qualibet vice in xx. solidis. Et quod non debeant habere nec tenere aliquam chordam ad ipsas bilancias, nisi chordam a joveta, pœna prædicta.

De Mensuris a blado bullandis, & quod Mensuræ, cum quibus venditur in Mercato sint ferratæ. Cap. CLXXIX.

ITEM Statuimus, quod omnes mensuræ bladi bullari debeant omni anno bulla ordinata pro communi Veronæ, pœna & banno lx. sol. pro qualibet mensura & vice. Et quod si quis vendiderit cum minali, stario, quarta, media quarta, seu quartarolo non bullatis ut supra, solvat pro banno communi Veronæ lx. sol. pro quaque mensura, & qua-

quaque vice: ac illud intelligatur de mensuris molendinariorum, & tabernariorum non bullatis bulla prædicta. Item quod nullus vendat, seu vendere debeat in Mercato fori cum minali, stario, & quarta, quæ non sint ferratæ cum uno ferro transversato in medio mensuræ; & qui contrafecerit, puniatur pro quolibet, & qualibet vice, & qualibet mensura non ferrata in lx. sol. communi Veronæ. Et de prædictis quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni, & alia medietas sit communis Veronæ.

De Castellatis quolibet anno bullandis tempore vindemiæ; & de poena carrizantis uvas cum castellata minus mensura. Cap. CLXXX.

ITEM Statuimus, quod qualibet castellata prima vice, qua conducetur cum uvis ad civitatem Veronæ, debeat bullari bulla ordinata communis, & non reconduci foras non bullata, pœna & banno pro qualibet vice lx. sol. Et si quis a dicta prima vice in antea carrizaverit per civitatem, & ante vel post carrizaverit per districtum uvas cum castellata non bullata ut supra, vel etiam cum brentis portitorum, vel portaverit cum bestiis sine bulla prædicta, pro quolibet, & qualibet vice solvat pro banno lx. sol. Item quod si quis uvas alteri dandas carrizaret cum castellata, quæ esset vel teneret minus mensura, condemnetur pro quolibet, & qualibet vice in x. libr. Et de prædictis quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni.

Quantum accipere liceat pro bullandis castellatis & aliis mensuris; & quomodo ipsæ mensuræ bullari debeant. Cap. CLXXXI.

ITEM Statuimus, quod non liceat alicui accipere ultra xii. denar. pro qualibet scotatura, vel bullatura alicujus vegetis, sive castellatæ mensurandæ cum aqua suis expensis: & si fuerit tantum scotata, & non mensurata cum aqua, debeat accipere octo denar. Et de qualibet scotatura brenti medii Modii, quat. dena., & de qualibet alia mensura tam blavæ, quam aliarum rerum, & inde inferius, accipere debeat duos denar. si fuerit tantum scotata & staerata; & si fuerit staerata & scotata cum rasura vel refundatura, accipere debeat sex denar. Et si contrafecerit, puniatur pro qualibet mensura in centum sol. communi Veronæ. Et si reperiretur bullatorem bullasse aliquam brentam, vegetem, seu castellatam, & aliud quodcumque vas bullandum, quod esset plus vel minus debita mensura, condemnetur in x. lib. pro qualibet castellata injusta, & in xx. sol. pro quolibet alio vase, vel mensura. Et quod qualibet castellata debeat in fundo anteriori bullari juxta cimam ipsius castellatæ, ita quod bulla ibi impressa tangat ipsam cimam; & eodem modo & forma bulletur in fundo posteriori, pœna & banno lx. sol. pro quolibet contra-

trafaciente, & qualibet vice. Et quod omnes mensuræ bladi bullentur in tribus locis super oro cujuslibet mensuræ a parte superiori, ubi non est fund us, banno prædicto. Et de prædictis quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni.

De Brento habendo cum Castellata per carrizatorem vuarum; & de spinis ac suspiraminibus ad Castellatam non habendis. **Cap. CLXXXII.**

ITEM ordinamus, quod quilibet bubulcus carrizans castellatam debeat secum deferre & habere unam brentam, in qua possit extrahere & ponere de vua castellatæ, si bulliret. Et quod nulla castellata de cætero habeat aliquod suspiramen, nec aliquam spinam: & si haberet spinam, quod sit taliter mutilata & incisa, quod non possit extrahi. Et si quis contra prædicta, vel aliquod prędictorum fecerit, puniatur pro quolibet capitulo, & qualibet vice in viginti solidis. Et de prædictis quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni.

De Venditoribus vuarum, quod expensis suis conduci faciant vuas ad domos emptorum. **Cap. CLXXXIII.**

ITEM, quod quælibet persona, quę vendiderit vuam tempore vindemiæ in aliquibus locis districtus Veronæ, teneatur & debeat ipsam vuam conducere Veronam, seu conduci facere ad domum emptoris, vel ad aliam domum, quam emptor ipse voluerit, expensis propriis venditoris: & qui prædicta facere recusaverit, puniatur pro quolibet plaustro, & in ratione plaustri in lx. sol., & de soma & in ratione somæ in x. sol. pro quolibet, & qualibet vice; & nihilominus conducere, vel conduci facere teneatur ipsam vuam. Et de prædictis quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni, nisi pactum fuerit in contrarium factum.

Infra quantum tempus Venditor vuarum petere debeat pretium ab Emptore. **Cap. CLXXXIV.**

ITEM, quod quælibet presona, quæ vendiderit, & tradiderit vuam alicui personæ, possit pretium ipsius vuę petere ab emptore infra sex menses, postquam ipse emptor eam acceperit: quibus elapsis, præsumatur ipsum emptorem solvisse, si allegabitur esse factam solutionem; & tunc ultra dictum tempus venditor ipse non audiatur.

De

De Venditoribus vini, quod suis expensis conducant illud ad Civitatem. Cap. CLXXXV.

ITEM, quod qualibet persona, quæ vendiderit vinum in aliqua villa vel loco districtus Veronæ teneatur & debeat conducere, seu conduci facere ipsum vinum in civitatem Veronæ ad domum emptoris, expensis ipsius venditoris, & ipsum vinum facere debeat mensurari ad domum emptoris. Et qui contrafecerit, pro quolibet plaustro, & in ratione plaustri, & pro quolibet, & qualibet vice in lx. sol., & pro soma & in ratione somæ in xx. sol. condemnetur. Et de prædictis quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni, nisi pactum fuerit in contrarium factum.

Quod Carrizatores uvæ vel vini non debeant hospitari in aliqua villa, vel domo. Cap. CLXXXVI.

ITEM, quod nullus bubulcus, sive carrizator uvæ vel vini possit nec debeat hospitari in villa suæ habitationis, nec alibi in domo, vel curtivo alterius villæ seu contratæ; sed venire debeat continue Veronam per stratam rectam cum ipso plaustro ad domum illius, cujus erit dictum vinum, vel uva, sub banno centum sol. pro quolibet contrafaciente. Et de prædictis quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni.

Ne quis discargare debeat ligna, verzias, zucas, rapas, & cæpas. Cap. CLXXXVII.

ITEM Statuimus, quod nulla persona debeat discargare ligna, verzias, zucas, rapas, & cepas cum erunt cum plaustris in civitate Veronæ, vel suburbiis pro vendendo; sed omnia prædicta debeant tenere in plaustris ad vendendum, & super plaustra. Et qui contrafecerit, emendet pro unaquaque vice xx. sol. pro banno, & amittat ligna, verzias, zucas, rapas, & cæpas. Et D. Potestas, & Procuratores non possint nec debeant dare licentiam alicui in contrarium.

Quod ducentes plaustra per civitatem, & suburbia, non vadant super plaustro, & quod teneant manum ad timonem. Cap. CLXXXVIII.

ITEM Statuimus, quod bubulci, vel alii qui plaustra ducunt, ire non debeant super plaustra per civitatem & burgos Veronæ. Et bubulci ex quo sunt in civitate & burgis, debeant tenere manum ad ti-

monem plaustri, & diligenter præcavere, ne damnum aliquod detur per plaustrum, & boves alicui personæ, vel bestiæ, pœna xx. sol. pro quolibet & qualibet vice; & quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni. Et si quod damnum daretur per sui negligentiam, illud resarcire teneantur; & quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni. Et Dominus pro famulo teneatur.

HÆC SUNT STATUTA SUPER FOENO, ET PALEIS VENDENDIS.

De uno Suprastante plaustrorum foeni, & palearum eligendo, & de ejus officio. Cap. CLXXXIX.

STATUIMUS quod singulis sex mensibus in Consilio xij. & L Deputatorum eligi debeat per scrutinium, & plures ballottas, unus civis bonæ conditionis & famæ, qui sit Suprastans plaustrorum fęni, & palearum, quæ in civitate & burgis Veronæ conducuntur ad vendendum; cujus officium sit secundum ordines & capitula infrascripta, videlicet: primo quod nulla persona debeat discargare, neque disfacere plaustrum fęni, sed illud in plaustro vendat integraliter. Et qui contrafecerit, perdat xx. sol. pro banno.

Item, quod nulla persona conducat ad vendendum in civitate & burgis Veronæ fęnum apparatum, neque mistum de alio diverso fęno. Et qui contrafecerit, emendet xx. sol. pro qualibet vice.

Item, quod si aliquod plaustrum fęni, vel palearum conductum ad vendendum in civitate vel burgis Veronæ repertum fuerit falsum, quod conducens condemnetur in lx. sol. & in amissione fęni, vel palearum pro quaque vice. Et si malitiose oneratum fuerit, condemnetur dictus conducens in x. sol. pro quoque plaustro fęni, & sol. xx. pro quoque plaustro palearum; intelligendo falsum, quando habeat bonam apparentiam ab extra, & aliud sit ab intra.

Item, quod aliquod plaustrum fęni, seu palearum non possit teneri ad vendendum in Mercato fori, nec super pontibus, nec in aliquibus stratis venientibus ad ipsos pontes; sed tantummodo in Plateis Braidæ, Glaræ, Sancti Pauli, & aliis Plateis, pęna x. sol. pro quolibet contrafaciente, & qualibet vice. Salvo quod ad prædictam pęnam non teneantur, qui eundo, vel redeundo vendidissent.

Item, quod nullus revendarolus fęni, & palearum audeat, vel præsumat emere fęnum, vel paleas conductas ad vendendum in Braida, vel alibi in civitate, vel burgis; & quod nec ipsi revendaroli, nec alii, nisi ii quorum est fœnum vel paleæ, & carratores conducentes, se impediant de aliqua messetaria, vel mercato fœni, vel palearum in civi-

civitate seu burgis Veronæ, sub pœna xx. sol. denar. pro quoque, & quaque vice.

Item, quod dictus suprastans teneatur & debeat fideliter & diligenter omnibus diebus & maxime in diebus mercati providere & rancurare super Braida Veronæ, & super aliis Plateis civitatis & burgorum, si plaustra fœni & palearum venalia sunt debito modo onerata, & si in illis est facta aliqua malitia, vel falsitas; quæ plaustra bene & diligenter examinare debeat, ac palpare intus, & extra.

Item, quod dictus suprastans teneatur & debeat vinculo sacramenti facere inventiones, & manifestationes suas ipsarum inventionum dare ea die vel sequenti officio judicis procuratorum communis Veronæ, cum sufficienti declaratione nominum & pronominum inventorum, & causſę.

Item, quod dictus suprastans habere debeat pro sua provisione, & mercede unum solidum & sex denar. pro quolibet plaustro fœni, vel palearum conducto ad vendendum in civitate & burgis Veronæ, & non ultra, sub pęna quadrupli & privationis ab officio. Et insuper etiam habere debeat tertiam partem omnium condemnationum, quæ ex dictis suis inventionibus, & denunciationibus sequentur.

Item, quod dictus suprastans aliquo modo vel ingenio non possit nec debeat aliquam messetariam fœni vel palearum exercere, nec se de aliquo mercato fœni vel palearum impedire, neque pro se, aut alio de illis emere in civitate & burgis Veronæ, sub pęna centum sol. pro quaque vice, cujus dimidia sit accusatoris.

Additum die xviii. Junii. Mcccc. lxvi.

Quod plaustra debeant taliter carrigari, quod conduci possint sine ligamentis de circumcirca. Et aliter onerata conduci non possint ad vendendum in civitate, vel burgis ligata, nisi cum solo preolo ante, & retro, non autem circumcirca, nec cum asside in fundo, nec cum scaionis, aut fraschis, nec cum aliquo alio fulciente, & sustentante fęnum, sub pœna libr. quinque pro quoque plaustro, cujus dimidia sit accusatoris, & teneatur in credentia: firmis remanentibus omnibus aliis ordinibus dicti officii.

De Lignis, Foeno, Calcina, & Somis carbonum vendendis in Platea Braidæ, & Glaræ. Cap. CXC.

ITEM Statuimus, quod nulla persona civitatis Veronæ, vel ejus districtus cum plaustro lignorum, calcinæ, fęni, seu somis carbonum impedire debeat pontes, seu stratas pontium civitatis, neque Mercatum fori, sed nec per ipsum Mercatum transitum facere cum prædictis plaustris, & somis in diebus Jovis, & Sabbathi usque ad horam nonæ: sed ipsa, ligna, calcinam, fęnum, & somas carbonum vendere debeat in Plateis Braidæ, Glaræ, Şancti Pauli, Sanctæ Anastasiæ, & in aliis Pla-

Plateis, pœna x. sol. pro quolibet contrafaciente, & quaque vice. Salvo quod ad prædictam penam non teneantur, qui eundo, vel redeundo prædicta vendidissent. Et eo salvo quod liceat prædictis plaustris & somis transire Mercatum fori, etiam in diebus & horis mercati per caput Plateæ ipsius mercati super strata aurificum, & garzariarum.

De pœna illius, qui Braidam in die jovis vel Sabbathi occupaverit. Cap. CXCI.

ITEM Statuimus, quod nullus impediat Braidam die jovis, vel Sabbathi cum lana, vel panno, seu pellibus aliquo modo. Et qui contrafecerit, puniatur pro quolibet, & qualibet vice in xl. solidis.

De pœna celantis, vel mutantis nomen. Cap. CXCII.

ITEM, quod quælibet persona requisita teneatur & debeat dicere officialibus communis Veronæ nomen & supranomen suum, & non negare seu mutare sibi nomen suum, pœna arbitrio Judicis procuratorum.

Quod quilibet requisitus ab officialibus communis Veronæ permittat mensurari vinum, & pensari carnes, quas emisset. Cap. CXCIII.

ITEM Statuimus, quod quilibet, qui emisset vinum, vel carnes, seu aliquid aliud ad minutum, requisitus ab officialibus communis Veronæ, teneatur & debeat per sacramentum sibi ostendere & permittere mensurari, seu pensari, & dicere quantitatem & pretium, quantum constaverit, & ducere eos ad illum a quo emerit, & ostendere sibi venditorem, si ibi erit; pœna & banno arbitrio Judicis procuratorum.

Quod cuilibet liceat accusare facientem contra Statuta prædicta. Cap. CXCIV.

ITEM, quod liceat cuilibet accusare, & denunciare quamlibet personam facientem contra prædicta ordinamenta, seu aliquod prædictorum; & medietas bannorum sit accusatoris, vel denunciatoris, qui teneatur in credentia, & alia medietas sit communis, exceptis militibus procuratoribus communis.

Quod

Quod omnes pœnæ super dictis ordinamentis impositæ sint arbitrio Judicis Procuratorum cum Consiliariis suis.
Cap. CXCV.

ITEM, quod prædictæ pœnæ in dictis ordinamentis & quolibet eorum superius impositæ intelligantur, & esse debeant ad voluntatem & arbitrium Judicis, procuratornm & Consiliariorum suorum. Et si in eis, vel aliquo eorum appararet, vel diceretur esse aliqua ambiguitas vel obscuritas, quod reducatur ad intellectum & declarationem ipsius Judicis & Consiliarorum: & quod eorum arbitrio non extendatur ad plus, quam in ipsis Statutis continetur, sed ad minus, inspecta negotii, & personarum qualitate.

Finis Libri Quarti Statutorum.

STA-

STATUTORUM MAGNIFICÆ CIVITATIS VERONÆ.

LIBER QUINTUS.

HÆC SUNT STATUTA OFFICII DUGALIUM, ET PERTINENTIUM AD ILLUD.

De duobus Judicibus Dugalium eligendis, & eorum officio. Cap. I,

STATUIMUS, & ordinamus, quod omni anno in principio mensis Novembris, videlicet antequam fiat scrutinium Vicariorum, fieri debeat in Consilio XII. & L. Deputatorum Veronæ per scrutinium & plures ballottas more solito, electio duorum civium bonæ reputationis & intelligentiæ, qui sint Judices Dugalium totius Veronensis districtus, unus videlicet citra Athesim, & alter ultra, secundum quod inter se concordes fuerint, aut per D. Potestatem fuerit de citra & ultra, declaratum, & assignatum per unum annum. Incipiendo primo Januarii, cum salario XXVIII. libr. denar. in mense pro quoque eorum percipiendo, videlicet XXII. libr. x. sol. a camera Illustrissimi nost. Do. & v. libr. XII. sol. VI. denar. a communi Veronæ juxta solitum. Quorum Tribunal stet in Palatio communis Veronæ, & eorum officium sit de, & super aggeribus, & aggerinis Athesis, & aliorum fluminum, ac de, & super dugalibus, & eorum brachiis. Et similiter de, & super clavicis, viis sive stratis, pontibus, fontibus, torrentibus, sive prognis Veronæ districtus. Quod videlicet uterque eorum in sua jurisdictione debeat ex suo officio diligenter inquirere & providere, defendere, & manutenere prædicta, & ea facere aptari seu refici, & in bono acconcio tenere ubicumque & quotiescumque opus fuerit, expensis illorum ad quos spectat secundum mores & consuetudines, ac ordines & Statuta civitatis Veronæ, & alia facere pro exercitio, & executione prædictorum. Et proinde teneantur, & debeant in primis duobus mensibus equitare & facere circeas suas per districtum Veronæ; & deinde semel in mense, vel saltem singulis duobus mensibus, & omni tempore excrescentiæ Athesis circare, & visitare aggeres Athesis, & alia loca, in quibus & quoties necesse fuerit, & quotiescumque fuerint per massarios, vel consor-

fortes villarum requisiti. Et similiter mittere etiam notarios suos quotiescumque opus fuerit. Et vocare possint, ac secum ducere tam de civibus, quam de districtualibus, qui sibi instructi & experti videantur: qui singuli requisiti teneantur sibi auxilium & consilium impartiri. Et jurisdictionem habeant contra negligentes, inobedientes, seu contrafacientes prædictis, seu alicui prædictorum, inventiones & inquisitiones faciendi, accusas & denunciationes recipiendi de, & super prædictis, & aliis ad prædicta sui officii pertinentibus. Cognoscendi quoque, terminandi, absolvendi & condemnandi, præcipiendi & banna imponendi, multandi & puniendi, & alia pro suo officio faciendi, secundum ordines & Statuta communis Veronæ; de quibus observandis & de omni suo officio bene & fideliter exercendo, jurare debeant ante introitum sui officii in manibus D. Potestatis.

De quatter Notariis dugalium eligendis, & de eorum officio. Cap. II.

ITEM, quod dicti judices habere debeant quatuor notarios, videlicet duos pro quoque, qui sibi omni anno in principio anni deputentur, eligendi per Scrutinium, & plures ballottas in Consilio xij. & l. Deputatorum per unum annum sub uno judicatu tantum: & vacare debeant ab eodem tantum per unum alium annum. Qui teneantur, & debeant unus ipsorum, & etiam ambo si necesse foret, cum uno judice, & sine suo judice ad omne dicti judicis mandatum equitare pro suo officio exercendo; & scribere omnes provisiones aggerum & dugalium, & omnia alia pro dicto officio opportuna, & omnes inventiones, inquisitiones, accusationes, & denunciationes de dugalibus, aggeribus, pontibus, clavicis, & stratis, fontibus & prognis solummodo, & non de aliis. Et ea die vel sequenti, postquam reversi fuerint ad civitatem Veronæ, teneantur & debeant tam dicti judices, quam notarii dare & assignare massario dicti officii omnes inventiones & inquisitiones, accusationes & denunciationes, ac omnes processus, quos & quas fecerint, vel receperint; & similiter omnes accusas, quas receperint ad dictum banchum, etiam si non equitaverint, & omnes processus per ipsos faciendos occasione dicti officii, sub pœna x. libr. denar. pro quoque, & quaque vice. In quam pœnam incurrat etiam dictus massarius quotiescumque non denunciaverit D. Potestati, si prædicta non fuerint sibi consignata, ut supra: & dictas accusas, denunciationes, inventiones, & inquisitiones, teneantur & debeant dicti notarii scribere super libro ordinario penes ipsum massarium existente, sub pœna prædicta. Et quod dictus massarius ex officio suo habeat libertatem, & bailiam inquirendi, & examinandi libros & scripturas dictorum notariorum quandocumque voluerit pro suo libito voluntatis; & si quid fraudis invenerit, teneatur illud incontinenti denunciare D. Potestati, sub pœna prædicta

De uno Massario dugalium eligendo, & de ejus officio.
Cap. III.

ITEM, quod ad dictum officium dugalium deputetur unus massarius, qui sit civis Veronæ bonæ opinionis & famæ, vir discretus, ætatis annorum xxv. ad minus, eligendus per scrutinium, & plures ballottas in Consilio xij. & l. Deputatorum more solito; cujus officium durare debeat per unum annum sub uno judicatu tantum. Et tenere debeat ipse massarius bonum & ordinatum computum omnis introitus, & expensæ dicti officii judicis utriusque. Et specialiter exigere teneatur & debeat omnes quantitates pecuniarum de cancellationibus inventionum, & de condemnationibus, laudationibus, pœnis, & aliis quibuscumque & quocumque ad dictum officium suum spectantibus, prout infra declaratur, cap. xlıv. h. lib. & possit ac debeat executionem committere, & facere contra quoscumque non solventes, sine tamen aliquibus expensis commissionum, & scripturarum, nisi ut infra cap. vı. hui. lib. Et bonum computum tenere debeat de omnibus pecuniis, quæ ad ejus manus pervenerint pro toto dicto officio dugalium, tam citra quam ultra Athesim, tenendo singulum computum de per se. Et de pecuniis quas recipiet, debeat solvere, & satisfacere notariis & sibi singulo mense de suis salariis, quæ infra declarantur: & restum quod supererit, assignare D. Camerario Veronæ pro Illustrissimo nostro Dominio, completo officio dictæ suæ massariæ, servata tamen & impleta prius forma proximi sequentis Statuti.

De salario Notariorum, & Massarii dugalium. Cap. IV.

Item, quod dicti notarii, & massarius dugalium habere debeant pro suo salario libr. xx. denar. pro quolibet notario, & quoque mense; & dictus massarius libr. xij. denar. in mense. Et de dictis salariis dicti notarii & massarius debeant esse contenti, nec ultra possint accipere aliquid ab aliqua persona, vel communi pro suo itinere, nec labore nec de aliquibus scripturis quæ fierent ex officio dictorum judicum, nisi in casibus, ut infra permissis in cap. vı. h. lib.; nec aliquod donum vel munus recipere possint nec debeant, nisi esset esculentum, vel poculentum, quod in proximo prodigatur. Et si in fine officii non fuerit solutum dictis notariis & massario, tunc suppleatur eis de eo, quod supererit, si quid supererit ex dicto officio, anno sequenti, videlicet, satisfactis prius officialibus dicti sequentis anni; & sic successive de anno in annum: ita tamen quod, qui sunt priores, præferantur in solutione pro sua rata suorum salariorum super dicto residuo.

De

De salario Ingenieriorum. Cap. V.

ITEM, quod omnes ingenierii, qui per dictos judices fuerint requisiti pro faciendo aliquas provisiones aliquorum laboreriorum pro dicto officio, seu etiam laudationes ipsorum laboreriorum factorum, debeant cum ipsis judicibus equitare ad omnem ipsorum requisitionem, & habere debeant pro sua mercede xxv. sol. pro quoque, & quaque die, & expensas pro vecturis equorum tantum, & deinde suis expensis, tam pro se, quam pro equis servire teneantur. Et nihil aliud, ultra sol. xxv. in die & victuram equi, neque de laudationibus, nec aliter accipere possint, nec debeant. Qui denarii solvantur eisdem per massarium dicti officii.

Quod nihil ultra salaria sua Judices, Ingenierii, Notarii, & alii Officiales dugalium recipiant. Cap. VI.

ITEM, quod dicti judices, ingenierii, notarii, & massarii dugalium, contenti esse debeant suis salariis, & nihil ultra salaria recipere possint, vel debeant, nisi in casibus permissis per Statuta in capp. VIII. XI. XIV., sub pęna perdendi totum quod recepissent, & tantundem de suo; cujus pœnæ medietas sit accusatoris, & alia medietas deveniat in officium, & solvatur massario. Et eadem pœna puniatur quilibet qui dedisset; quæ pęna solvatur massario, & deveniat in Officium, nisi ipse qui dedisset, denunciaverit antequam per alium fuerit denunciatum: quo casu a sua pœna sit absolutus. Salvo semper, quod si coram dictis judicibus, vel aliquo ipsorum, aliqua quæstio moveretur, vel fieret inter aliquas personas, vel communia, de aliquibus spectantibus ad dictum officium, quod notarii dicti officii possint & teneantur scribere omnia acta quæ fierent inter partes, & sibi satisfacere fieri possint de suis scripturis, quæ fierent in contentioso judicio, secundum quod alii notarii ad civilia deputati accipere possunt, & non ultra; nec aliquam aliam solutionem pro aliquibus aliis scripturis occasione sui officii, nec pro aliquo suo itinere, vel aliquibus personis, seu communibus accipere possint nec debeant: & teneantur scribere in quaternis omnia acta eorum, quæ facient occasione dicti sui officii, sub pœna centum solidorum pro quoque, & quaque vice.

De modo tenendo per Judices, & Notarios dugalium circa eorum officium. Cap. VII.

ITEM Statuimus, & ordinamus, quod pro una strata devastata, uno dugale non sgarbato, seu atterrato, & uno ponte fracto, & uno aggere rupto, vel aliter devastato super una communitate, una sola inventio, seu inquisitio fiat pro quoque etiam si plures personæ teneren-

tur ad aptationem rei devastatæ. Et formentur tales inventiones, seu inquisitiones contra communia, & homines villarum, & locorum, super quorum pertinentiis defectus apparebit; & contra ipsa communia, & homines procedatur per dictos judices, & eorum officium, & compellantur ipsa communia, & homines dictos defectus reaptare non obstante, quod aliquæ aliæ personæ ad dictam aptationem tenerentur secundum aliquas consuetudines dictarum communitatum: habentibus semper ipsis communibus, & hominibus regressum contra damnatores, & alios quoscumque, qui ad dictam aptationem tenerentur.

De modo procedendi per Judices, & Notarios dugalium
Cap. VIII.

ITEM Statuimus & ordinamus, quod dicti judices postquam inventiones aliquas, inquisitiones, vel denunciationes de iis quæ ad eorum officium spectant, ut supra declaratur, fecerint vel receperint, super inventionibus, inquisitionibus, & denunciationibus, procedere teneantur & debeant hoc modo; videlicet, quod teneantur & debeant præcipere massariis villarum, vel locorum ubi defectus apparebit, quod infra terminum per ipsos judices statuendum, prout ipsorum judicum arbitrio videbitur, ipsi massarii cum eorum communibus & hominibus debeant aptasse, & aptari fecisse defectus in eorum communitate, & pertinentia repertos. Et de ipsis aptationibus fidem fecisse dictis judicibus, vel ad eorum officium infra aliud tempus ordinatum. Et si dicti massarii & homines prædicta adimpleverint, videlicet, quod aptaverint & fidem fecerint ad terminos ordinatos, prædictis inventionibus, inquisitionibus, vel denunciationibus absolvantur, solvendo prius massario dicti officii tres sol. parv. pro cancellatura cuiuslibet inventionis, denunciationis, vel inquisitionis. Sin autem fuerint inobedientes, videlicet, quod non aptaverint, vel si aptaverint, & fidem non fecerint, tunc massarius dicti officii dugalium faciat eos bina vice citari per viatorem, vel aliter, quod veniant ad suas defensiones faciendas super inventionibus, denuntiationibus, vel inquisitionibus contra eos factis. Et si iterum indurato capite contumaces fuerint, tunc per dictos judices condemnentur in quantitatibus, secundum ordines & provisiones, ac Statuta communis Veronæ, & ultra condemnationem solvat massario quatuor sol. parvorum pro qualibet inventione, inquisitione, vel denunciatione. Et si contingeret contra aliquam particularem personam pro datiis solvendis, seu pro prædictis, vel aliquo prædictorum procedi, vel eam condemnari, quod talis persona pro faciendo se cancellari postquam fecerit debitum suum, solvat dicto massario, si fuerit pignerata pro datia, duos sol; si vero pro alia causa & non fuerit condemnata, tres sol. & si fuerit condemnata, quatuor sol.

Quod

Quod causæ officii dugalium summarie cognoscantur, & terminentur.
Cap. IX.

ITEM, quod si aliqua quæstio oriretur inter aliquas personas, communia, vel universitates occasione eorum, quæ ad dictum officium spectant, dicti judices possint cognoscere, terminare, & expedire summarie, requisitis illis tamen quos res tanget, sine aliquo strepitu & judiciorum solemnitate, ad suum bonum arbitrium.

De laudationibus aggerum, & dugalium, qualiter fieri debeant.
Cap. X.

ITEM Statuimus, quod facta provisione alicujus aggeris, sive dugalium, vel stratæ, seu pontis, vel clavicæ, vel aliorum reaptandorum, seu faciendorum vel reparandorum, & ipso laborerio facto, seu completo, interesse debeat ad laudationem dicti laborerii Judex dugalium, & ingenierius & quattuor, vel sex cives consortes, quos negotium magis tanget, & de illis qui solvent majorem quantitatem denar. pro reparatione dugalium, seu reparatione pontis, vel stratæ, seu clavicæ, & aliorum, inspecta qualitate & pondere facti, seu negotii: qui cives consortes simul cum dicto Judice, & ingenierio laudent, & approbent laborerium factum, si benefactum fuerit secundum provisiones ordinatas, & laudabile sit; aliter autem non laudetur, donec secundum provisiones completum & perfectum fuerit: & aliter facta laudatio non valeat.

Quid, & quantum exigi debeat de laudationibus aggerum, seu dugalium, & aliorum, & a quibus, & quando. Cap. XI.

ITEM Statuimus, quod factis laudationibus de aliquibus aggeribus, sive dugalibus vel aliis laboreriis perfectis, quæ affictarentur, seu affictabuntur, sive dantur ad faciendum ad incantum per dictos Judices dugalium, communia villarum, vel aliæ quæcumque singulares personæ, quæ ipsa laboreria conduxerunt & fecerunt, seu fieri fecerunt, teneantur & debeant de, & pro ipsis laudationibus solvere massario officii dugalium unum sol. pro quaque libra affictationis dicti laborerii. Et hoc habeat locum tam in factionibus, seu refectionibus aggerum, ruptarum, pennellorum, & palificatarum, quam in refectionibus stratarum, pontium, & clavicarum, & aliorum laboreriorum, quæ fient, & affictabuntur per officium Judicum dugalium. Et aliud nihil solvere debeant conductores talium laboreriorum judicibus, ingenierio, massario, seu notario dugalium, nisi ipsis notariis pro mercede instrumentorum pro laudationibus ipsorum laboreriorum, de quibus instrumentis dicti notarii

tarii accipere possint pro sua mercede ut infra, videlicet, de instrumento laudationis cujuslibet laborerii affictati, vel non, valoris seu expensæ vel æstimationis xxv. libr. & abinde infra, xv. sol. Abinde vero supra, usque ad l. libr., xxx. sol. A l. vero supra, usque ad centum libr., xl. sol. Abinde vero supra usque ad trecentas lib., lx. sol. Et ab inde supra, usque ad quingentas libr., quinque libr. A quingentis vero supra, usque ad mille, octo libras. Et ab inde supra cujuscumque quantitatis sit, decem lib. denar. Et quod dictus massarius habere debeat pęnes se incontrum omnium provisionum, quæ fient de omnibus laboreriis faciendis & affictationibus sive locationibus factis per dictum officium dugalium, ne fraudetur, ut debitum exigere possit pro satisfactione laboreriorum, quæ solvere tenentur ut supra, quod incontrum dicti notarii dugalium eidem massario scribere & dare teneantur.

De uno Libro memoriali, sive Camplono omnium dugalium principalium tenendo. Cap. XII.

ITEM Statuimus, quod dicti judices teneantur & debeant habere unum librum membranum memoriale pro quoque, in quo sint descripta omnia dugalia magistra cum suis brachiis, ad quæ currunt aquæ pluviales, sive aliæ aquæ, & in quo etiam sint descriptæ copulæ villarum debentium aggeres manutenere: quos libros dicti judices teneantur & debeant in fine sui officii successori suo consignare. Et quod debeant dare copiam ipsorum librorum Provisoribus communis Veronæ, quæ copia continue stare, & esse debeat pænes dictos Provisores, sub pęna centum sol. pro quoque, & quaque vice.

Quomodo Datiæ pro Officio dugalium imponantur. Cap. XIII.

ITEM Statuimus quod omnes datiæ imponendæ per dictum officium pro dugalibus, & aliis laboreriis imponantur de voluntate consortium, vel aliorum, quos res tanget, vel majoris partis, & de licentia D. Potestatis, vel ejus Vicarii; & si aliter fieret, imponentes pro quoque in x. lib. denar. puniantur, & nullus ipsas datias solvere compellatur. Et quod ipsæ datiæ exigantur per unum massarium eligendum per judicem dugalium, & consortes, vel alios quos negotium tanget sive majorem partem. Et quod in qualibet licentia scribenda de ponenda aliqua datia exprimantur & declarentur omnes caussæ, & quantitates, pro quibus ipsa datia imposita est, & etiam nomina exactorum, sive massarii ejusdem, & dies quando ipsa datia data fuit eis ad exigendum: & eodem modo scribatur rubrica rotuli, sive quaterni ipsius datiæ exigendæ. Et quod de qualibet datia imponenda fieri debeant per notarium dicti officii duo libri cum descriptione camporum ad

ipsas

ipsas datias contribuentium, quorum alter stare debeat pœnes Provisores communis Veronæ, alter pœnes massarium dicti Officii. Et quod nullus Judex, massarius, notarius, nec alius officialis ad dictum officium dugalium possit esse massarius dictarum datiarum, nec alicujus earum, sub pœna amissionis unius pagæ, sive salarii. Et nihilominus prædicta facere & adimplere teneatur, sub pœna prædicta.

De defesis, sive securitatibus Communitatum faciendis. Cap. XIV.

ITEM Statuimus, quod singulæ communitates villarum, & domorum campaneæ teneantur, & debeant omni anno per totum mensem Januarii assignare, & in scriptis dare officio dugalium massarios, dugalerios, saltuarios, & alios officiales, sub pœna lx. sold. pro quoque communi, & quaque vice; ut Judices sciant ad quos recurrere, & quos requirere, quando pro suo officio esset opportunum. Et pro prædictis, massarius exigat a qualibet communitate x. sol. & a qualibet domo campaneæ tres sold., & non ultra, de quibus solvantur salaria supradicta.

Quod Saltuarii, & Dugalerii teneantur jurare in manibus Vicarii, de, & super eorum officio fideliter exercendo. Cap. XV.

ITEM Statuimus, quod dicti dugalerii, & saltuarii teneantur & debeant jurare in manibus Vicarii dictæ terræ unde fuerint electi, bene & diligenter eorum officium exercere. Et teneantur & debeant denunciare infra tertiam diem a tempore damni dati in dictis regulis vicariis illorum communium ubi sunt dicta dugalia, in quibus damnum datum fuerit, sive Judicibus dugalium, aut eorum notariis ad officium. Quæ si facere recusarent, quod tunc & eo casu teneantur ad refectionem antedicti damni, & ad solutionem pœnæ, in qua incurrisset persona, plaustrum, bestia, quæ fecisset dictum damnum. Et credatur & credi debeat eorum accusis, & denunciationibus cum sacramento, nisi probetur contrarium infra v. dies a die defensæ datę. Si vero aliqua alia persona denunciare voluerit aliquid de prædictis, tunc possit, & credatur illi cum sacramento & uno teste.

De custodiis, & manifestis faciendis per Saltuarios villarum contra personas & bestias transeuntes dugalia, & devastantes aggeres. Cap. XVI.

ITEM Statuimus, quod illi officiales, qui vocantur dugalerii, & saltuarii, & qui dantur omni anno secundum formam Statutorum communis Veronæ per communia villarum, & domorum campaneæ districtus Veronæ officialibus deputatis ad officium dugalium, teneantur & debeant

debeant ultra officia eorum, ad quæ sunt soliti dari, & deputari, custodire bene & diligenter quod aliqua persona cujuscumque conditionis existat, non audeat nec præsumat, de die nec de nocte, devastare aggeres, nec cum persona, & bobus, aut aliis bestiis generis cujuscumque, plaustro, versorio & erpego transire, aut transiri permittere per dugalia communis Veronæ, & domorum campaneæ alibi, quam per pontes, & loca deputata, per quos transiri, vel transitus fieri debeat per dicta dugalia: & hoc in pœna, & sub pœna v. sol. pro quaque persona, & quaque vice & pro plaustro, versorio; erpego centum sol., & pro qualibet bestia magna, xx. pro quaque bestia, parva & duorum sold., & pro quaque vice. Et quod dictæ pęnæ duplicentur de nocte intelligendo *de nocte* ab occasu solis usque ad ortum solis. Et nihilominus ille, vel illi, qui transitum fecerint, vel fieri fecerint, seu permiserint, teneantur & debeant dicta dugalia reficere, si aliquod damnum datum fuerit in eis propter dictum transitum. Et si damnum datum fuerit per aliquam bestiam, quod tunc Dominus, seu Domina, cujus fuerit dicta bestia, quæ damnum fecerit, ad restitutionem dicti damni teneatur, & ad solutionem pęnæ, in quam dicta bestia incurreret. Et si damnum datum fuerit in ipsis dugalibus per aliquam ex dictis bestiis, faciendo transitum alibi per dicta dugalia, quam per loca prædicta sine custodia, quod tunc & eo casu Dominus, vel Domina dictarum bestiarum teneatur in duplum ejus, quod supradictum est. Et nihilominus etiam ad refectionem dicti damni, & ad solutionem dictæ pęnæ.

Quod communia villarum debeant semel in anno sgarbare, & incidere herbas, spinas, & cannellas dugalium. *Cap. XVII.*

ITEM Statuimus, quod communia dictorum locorum, super quorum pertinentiis posita, & facta sunt ipsa dugalia & brachia, teneantur & debeant semel in anno de mense Maii, vel Augusti sgarbare, segare, & incidere herbas, spinas, cæsas, cannellas, & alia lignamina, quæ essent in alveo ipsorum dugalium; & similia existentia in dictis dugalibus, ripis dictorum dugalium, & brachiorum per tres pedes circumcirca, pro quaque parte, ipsaque inde extrahere, & exportare longe a dictis dugalibus per duas perticas; & hoc in pęna & sub pęna x. libr. pro quoque communi ea facere recusante, pro quoque dugali, & quaque vice. Et nihilominus facere teneantur. Et illud idem intelligatur de dugalibus omnibus, sive ductibus fontium seu aquarum vivarum, quia per ipsos etiam ductus, aquæ pluviales dilabuntur.

Quod

Quod Sepes fiant pęnes dicta dugalia ubi essent vada a bestiis, per personas habitantes pœnes ipsa dugalia. Cap. XVIII.

ITEM Statuimus, quod ubicumque fuerint dicta dugalia, debeat construi ante domos illarum personarum pœnes quas transirent dicta dugalia, suis expensis, unam sepem altitudinis trium pedum, in pęna, & sub pœna v. sol. pro quaque pertica; & nihilominus facere teneatur. In aliis vero locis communibus dictarum villarum, ubi necesse fuerit, dictas sepes debeat fieri per communia villarum & manuteneri, sub pęna prædicta.

Quod prope ripas dugalium ad tres pedes non aretur, neque zappetur. Cap. XIX.

ITEM Statuimus, quod nulla persona cujuscumque conditionis existat, audeat vel præsumatarar, zappare, fodere, detrahere, seu plantare, seu aliquod laborerium facere juxta dicta dugalia per tres pedes, pœna & banno libr. decem denariorum pro quoque, & quaque vice.

De terreno riparum non splanando, nec removendo. Cap. XX.

ITEM Statuimus, quod nulla persona cujuscumque conditionis existat, audeat vel præsumat splanare ripas dictorum dugalium, nec removere, vel asportare de terreno riparum dictorum dugalium & aggerum; in, & sub pœna librarum decem pro quoque, & quaque vice.

Quod dugalia, & clavicæ stent apertæ; & a quo incipiendum sit adfacienda, vel purganda dugalia. Cap. XXI.

ITEM, quod dicti Judices faciant & procurent, quod omnia dugalia, & clavicæ districtus Veronæ stent apertæ atque expeditæ, ita quod aqua liberum habeat decursum. Et quod si aliquis claussisset, seu claudi fecisset, seu clausum detineret aliquod dugale, vel clavicam, illud & illam faciant aperiri, vel in statu debito reponi, expensis ejus qui ipsum vel ipsam clausisset, vel claudi fecisset, vel clausum detineret. Et quod si aliquod dugale deberet de novo fieri, vel factum esset, debeat semper incipi fieri & purgari a capite inferiori veniendo superius per ordinem.

Quod stratæ, pontes, dugalia, & clavicæ reficiantur; & ad quorum expensas debeant ipsa laboreria fieri. Cap. XXII.

ITEM, quod dicti Judices solicite debeant procurare, quod stratæ, dugalia, clavicæ, & pontes reficiantur, & manuteneantur per totum districtum Veronæ, & etiam de novo fiant, ubi evidens utilitas, vel necessitas imminet, cum consilio illorum, qui de dictis contratis notitiam, sive peritiam habent, in quibus hæc fieri debent. Et prædicta laboreria tam in faciendo, quam in reficiendo seu manutenendo, fiant ad expensas omnium personarum communium vel universitatum, capitulorum sive collegiorum, ad quorum usum, utilitatemque prædicta spectabunt. Et si possessores agrorum ad ipsas expensas tenerentur in totum, vel in partem, tunc fiat collatio pro modo, sive quantitate agrorum. Et possessores pro iis agris, quos possident, teneantur si habeant utile dominium tantum, sive etiam possideant suo nomine; & quod si haberet unus directum dominium, alius vero utile & possideat, quod tantum habens utile compellatur. Et quod quælibet persona, capitulum, & collegium, quæ tenerentur, vel ratione utilis, vel ratione prædiorum conferre ad collationem ipsarum expensarum, ad id compellantur omni privilegio & exceptione rejectis. Et si aliquis clausisset, vel aliter occupasset aliquas vias, compellantur per ipsos Judices suo arbitrio ipsas vias in pristinum statum reducere expensis illius, qui eas clauserit, vel aliter occupaverit. Insuper etiam claudens, vel occupans condemnetur per ipsum Judicem in centum sol. Et de prædictis dicti Judices etiam inquirere teneantur.

De beuratoriis dugalium custodiendis in locis, in quibus videbitur judicibus dugalium & Vicariis villarum. Cap. XXIII.

ITEM Statuimus, quod beuratoria, in quibus bestiæ debent ire ad bibendum, debeant construi & ordinari in locis, in quibus melius videbitur Judicibus dugalium & Vicariis illarum villarum, ubi fient dicta beuratoria necessario facienda in quolibet dugali.

Quod omnes habitatores villarum compellantur laborare ad aggeres, stratas, & dugalia suarum pertinentiarum. Cap. XXIV.

ITEM, quod dicti Judices teneantur omnes habitantes in villis cujuscumque conditionis facere laborare ad aggeres, & stratas, clavicas, & dugalia positas & posita in suis villis, seu quorum usus & utilitas ad eos, seu eorum communia spectarent, quoties viderint expedire; & specialiter ad aggeres, ubi de inundatione timetur aquarum.

De

De modo tenendo specialiter in aggerum Athesis raparatione, & refectione. Cap. XXV.

ITEM Statuimus, quod Judices dugalium in principio sui officii teneantur & debeant exire, & providere omnes aggeres Athesis, uterque a parte officii sui. Et similiter aggeres Buxeti ab utraque parte dicti Buxeti, qui etiam sunt aggeres Athesis; & videre, atque examinare, illa loca aggerum, quibus erit necesse providere de repeonaturis, aut relevaturis, & ordinare illam provisionem hoc modo videlicet; quod prius provisis omnibus aggeribus, æstimari & appretiari faciant expensam omnium illorum aggerum, qui erunt elevandi & repeonandi a parte sua, & facta summa totius dictæ expensæ, quæ pro anno illo sui officii videbitur necessaria, ipsam expensam dividere, & dividendo assignare debeant cum præsentia & consensu provisorum communis Veronæ vel alterius eorum, illis communitatibus, quas pro anno illo elegerint aggravandas, ita quod habeant etiam dictæ facturæ aggerum pro rata ęstimi sui pro valore illarum provisionum, non habendo respectum ad perticas, idest ad mensuras, sed ad valorem ęstimationis totius illius expensæ: cum hoc sit, quod provisio elevandi & reparandi aggeres sit major in uno loco, quam in alio. Et quod prædicti Judices solicitare, & studere, atque omnem diligentiam adhibere debeant, quod dictæ provisiones & laboreria perficiantur in tempore sui officii, atque laudentur. Et secundum quod de die in diem dictæ provisiones, & laboreria complebuntur per communitates, quibus assignatæ fuerint, teneantur facere illas communitates creditrices, unamquamque super libro magno de per se, qui nominabitur *memoriale aggerum*, de ea quantitate pecuniæ, pro qua laboraverint dictis aggeribus, & dicendo in sua partita: *Communitas talis habere debet pro tot perticis unius repeonaturæ, aut elevaturæ factæ in tali aggere talis pertinentiæ, & talis contratæ æstimatis qualibet pertica lib. tot.* capit. *libr. tot*, & sequi prout, & quemadmodum dabitur ordo, & initium erit factum dicto libro; & dictus liber remanere debeat ad officium Provisorum communis Veronæ. Et Judices prædicti dugalium teneantur facere, quod notarii sui officii scribant ad rationes dictarum communitatum tales expensas in creditum earum, semper advocando unum ex Provisoribus communis, qui interesse debeat ad videndum, quid scribendum est super dicto memoriali, & revidendo scripturam, quam fecerit notarius Judicis, in præsentia sui Judicis, cum quaterno, quem portaverit ab officio dugalium. Et quia contingere posset aliquas communitates plus & minus laborasse, secundum ratam suam, ut æqualitas servetur, Judices dugalium cum Provisoribus communis singulo quinquennio debeant diligenter videre & examinare rationes; & communitates, quæ plus rata sua fecissent, facere cre-

creditrices, ut in occurrentibus laboreriis in futurum æqualitas servari valeat; & quæ non fecissent, facere cogantur ad ratam & æqualitatem aliarum, quæ plus fecissent. Et etiam si occurerent expensæ & reparatio generalis circa aggeres, idem modus, & æqualitas servetur. Et supradicta contenta in capitulis prædictis teneantur perficere, & adimplere Judices, qui erunt per tempora, sub pęna libr. centum in suis propriis bonis applicanda communi Veronæ, & non possendi admitti ad aliquod officium communis Veronæ per annos decem.

Item, quod quandocumque continget, vel necesse erit fieri aliquam palificatam, sive pennellum pro sustentatione & conservatione aggerum, Judices dugalium, qui in tempore sui officii juxta ordines consuetos incantaverint, & locaverint aliquam palificatam, seu pennellum alicui personæ secundum provisionem, quam fecerint & locaverint, teneantur fieri facere dictum opus ad provisionem locationis in incantu contentam, & superesse ipse, sive suus notarius, sive unus ex consortibus illius loci civibus, & de melioribus, quando columnæ pennellorum & palificatarum figentur; Ita quod nulla possit figi absque præsentia unius illarum trium personarum, sub pœna Judici, qui contrafecerit libr. v. pro quaque columna. Quæ pęna veniat in communi Veronæ; & si fuerit accusator, habeat medietatem dictæ pęnæ. Et fiant expensæ victus personis & equis per copulas, quæ tales aggeres habent custodire.

Item, quod Judices dugalium teneantur impleri facere per copulas omnes pennellos, & palificatas, qui & quæ sunt in flumine Athesis, & in futurum fient; vel sepes fieri facere per easdem copulas, sub pęna x. libr. pro quaque palificata, aut pennello ipsi Judici, quæ pęna veniat in communi Veronæ. Salvo quod si ostenderit non omissum per sui negligentiam, utputa quia condemnaverit illas communitates, quæ ad tale opus obligatæ sunt, sit absolutus a dicta pęna.

Item, quod Judices dugalium teneantur omni anno ante exitum officii sui solidare, & concludi facere rationes pennellorum, ruptarum, & palificatarum, quæ fieri, & perfici fecerint tempore sui officii, ne conductores illarum remaneant debitores denar. sibi datorum pro parte laborerii sibi locati, & hoc sub pęna non possendi habere salarium, quod habent a communi quatuor mensium ultimorum, quod sibi retineatur, donec fecerint, quod supradictum est: & hoc locum habeat in laboreriis perfectis & laudatis. Et si non completum fuerit laborerium per eum locatum, Judex subsequens teneatur facere compleri quod per suum præcessorem locatum sit, & teneatur ad conclusionem dictarum rationum, sub pœna, ut supra dictum est.

Ne

Ne Judices dugalium, aut Notarii partem habeant in aliquo laborerio. Cap. XXVI.

ITEM, quod aliquis judex dugalium, vel notarius dicti officii non possit, nec debeat per se, vel alium, directe vel indirecte, habere partem in aliquo laborerio, quod per suum officium fieri contingit tam dugalium, aggerum, pennellorum, palificatarum, & ruptarum, quam aliorum laboreriorum, sub pœna librarum centum in suis bonis propriis, cujus medietas sit cameræ Illustriss. Dominii nostri, & alia communis Veronæ, exigenda per Provisores communis; & si fuerit accusator, habeat tertiam partem pœnæ, & aliæ duæ partes dividantur ut supra: & ultra hoc, sub pœna perpetuæ privationis omnium officiorum, & beneficiorum communis Veronæ.

Quod aliquis non teneat molendinum in flumine Athesis pro macinando, nisi fecerit pennellum de lignaminibus, vel de salicibus. Cap. XXVII.

ITEM Statuimus, quod aliqua persona terreria, vel forensis cujuscumque conditionis existat, non audeat, vel præsumat tenere aliquod molendinum pro macinando in flumine Athesis, nisi palificaverit, vel fecerit pennellum de salicibus, vel aliis lignaminibus longitudinis pontoni dicti molendini ad minus, & altitudinis æqualiter cum ripa, sive aggere Athesis, fortibus, & bene fixis in alveo penes aggerem sive ripam in opposito dicti sui molendini, ne dicta ripa, vel agger devastetur, vel ruat defectu dictorum molendinorum; pœna & banno x. lib. denar. pro qualibet vice, & quolibet molendino, & refectionis damni a pontono paquariæ infra, pro quoque contrafaciente: & quilibet sit accusator, & habeat quartam partem banni. Et aliæ tres partes exigantur per massarium dicti officii dugalium, modo contento in Statuto posito sub rubrica, *quibus applicentur condemnationes pro officio dugalium* cap. xliv. huj. lib.

Ne quis audeat piscari in vallibus Tumbæ, & in infrascriptis aliis. Cap. XXVIII.

ITEM, pro conservando aggeres illæsos, & aggerinos pœnes Baxetum, Statuimus, quod nulla persona cujuscumque conditionis existat, audeat, vel præsumat piscari, seu piscari facere, nec etiam tenere aliqua instrumenta ad piscandum apta in infrascriptis pisceriis, videlicet, Ronchi, Tumbæ superioris & inferioris, Porcillarum, Zerpæ, & Rupeclariæ, Casellarum, & Fonzanæ, sub pęna centum librar. denarior., & standi sex mensibus in carceribus communis Veronæ. Et quod Communia,

munia, in quorum pertinentiis sunt ipsæ pisceriæ, teneantur præsentare & consignare hujusmodi piscatores, & tenentes instrumenta ad piscandum apta in ipsis pisceriis, sub pœna ducentarum lib. pro quoque communi; & ulterius, quod, si dicti aggeres, & aggerini rumpentur, & communia, in quorum pertinentiis dicta ruptio fieret, damnatorem non præsentarent, tunc dictum damnum suis propriis expensis reficere teneantur. Salvo tamen in prædictis jure cujuscumque personæ, quod haberet in pisceriis antedictis.

De Buxeto, & fossatis palladis. *Cap.* XXIX.

ITEM, quod D. Potestas, vel judex dugalium non permittat fieri, nec esse per fossatum Buxeti, vel per illud, quo venit ab insula, quod reddit in fossatum Buxeti aliquam rostam, vel aliquod impedimentum; nec patiatur aliquo modo, quod aqua paludis per prædicta fossata discurrens impediatur, seu rrstagnetur, quo minus libere absque obstaculo discurrat, & vadat in Athesim; & si quid contrafactum est vel erit, destrui & expediri faciat: & si quis inventus fuerit impedisse, seu fecisse contra prædicta, eum in x. libr. multare debeat; & de hoc quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni, & alia medietas sit communis.

De strata, qua itur de Lepeja ad villam Blondarum aptanda, & levanda per certa communia. *Cap.* XXX.

ITEM, quod strata, qua itur de Lepeja usque ad villam Blondarum, aptari & levari debeat per communia Porcillarum, Blondarum, Zerpæ, Cavalponi, Albaredi, Zumellæ, Baldariæ, Coloniæ, Præsanæ, Sabloni, Minerbii, Corigiani, Sancti Stephani, Bonadici, Cuchi, Orti, & per alia communia, quæ uterentur per dictam stratam.

De fossato flumeselli villæ Sabloni cavando, & mundando. *Cap.* XXXI.

ITEM, quod fossatum quod dicitur flumesellus, quod tenet capue supra villam Sabloni, & inde inferius usque ad Ecclesiam Sancti Sebastiani de Præsana, & inde inferius, secundum quod utile videbitur faciendum, debeat mundari, & cavari, taliter quod aqua sine aliquo impedimento inde fluat. Ad quod laborerium faciendum communia, & homines Zumellæ, Baldariæ, Coloniæ, Sabloni, ville Cuchi, Albaredi, Casellarum, sive Chain, Minerbii & Præsanæ præcise teneantur; & ad illud perficiendum Iudex dugalium attendere teneatur, & D. Potestas auxilium & favorem dare.

De

De fossato Gambaldoni, Moraticæ, & Villæ Pictæ reficiendo, & expediendo. Cap. XXXIII.

ITEM, quod Judex dugalium teneatur & debeat facere cavari fossatum Gambaldoni in territorio Moraticæ, & villæ Pictæ, quod est ultra Esseuum, & Tegionum, expensis omnium, qui de eo sentiunt comodum pro rata bobulcæ, sive campi; & ipsum cavatum omni tempore manuteneri. Et faciat fieri super ipso fossato duos pontes, ubi melius videbitur expedire. Quod si non fecerit, perdat de suo salario xxv. libras.

De alveo Fluminis novi; & quod omnes volentes ponere molendina in eo securitatem faciant de restituendis damnis. Cap. XXXIII.

ITEM, quod non possit, neque debeat fieri, neque esse ædificium in toto alveo Fluminis novi, quod vehementiorem faciat aquam a Bagnolo inferius in toto districtu Veronæ, nisi molendina cum pontonis, & quæ ad utilitatem ipsorum molendinorum pertineant, arbitrio bonorum magistrorum, nisi forte fuerit pons sine fraude. Et quod illi qui habuerint molendina in Bampaoro, cogantur facere securitatem idoneam penes officium dugalium communis Veronæ restituendi damnum cuilibet patienti. Et si a molendino suo superius rupturam fecerit, & de alveo exierit, teneatur D. Potestas, sive Judex dugalium damnum facere restitui patientibus. Et quod omnes volentes ponere, seu ducere, vel duci facere aliqua molendina in dicto Flumine in aliquo loco, ubi non sint solita esse posta molendini, teneantur facere bonam & idoneam securitatem penes officium dugalium de restituendis omnibus damnis, quæ darentur communibus & singularibus personis occasione dictorum molendinorum; & teneantur ripas ex utraque parte ita munire, quod propter ipsa molendina non possit aliquod damnum dari circumstantibus terris, pœna centum sol. denar. & nihilominus teneantur ad ipsorum damnorum emendationem: & ad id constringantur præcise per D. Potestatem, & ejus delegatum, vel ejus Judicem dugalium, secundum quod fuerint requisiti.

De progno vallis Paltenæ cavando, & mundando; & de latitudine, ac pontibus ejus. Cap. XXXIV.

ITEM, quod prognus, qui currit per vallem Paltenæ, sit & esse debeat latus xx. pedibus, & altus secundum quod spectat ad ipsius latitudinem: & quod Judices dugalium, qui pro tempore fuerint, de septennio in septennium teneantur facere dictum prognum cavari & mun-

mundari, & etiam quoties requisiti fuerint per homines, quibus spectat utilitas cavationis dicti progni, faciant ipsum cavari, & mundari si videbitur fore necessarium & utile. Et pontes, qui sunt super ipso progno debeant esse lati viginti pedibus; & nulla pilla sit in medio alicujus pontis ad hoc, ut aqua melius fluat, & non aggurgetur. Et quod ripa dicti progni non cavetur per homines habentes juxta prognum per tres pedes prope bancham ipsius progni; quæ bancha esse debeat duobus pedibus expedita ab utraque parte fossati dicti progni. Et quod nulla persona præsumat transire dictum prognum cum personis & bestiis, nisi per pontes, qui sunt supra illum; & hoc in banno x. sol. pro quolibet transeunte cum persona, & qualibet vice, & centum sol. cum equo, & x. lib. cum plaustro, & qualibet vice. Et qui cavaverit ripam dicti progni, quæ debet esse tribus pedibus ab utraque parte, puniatur in x. lib. Et quod communia villarum vallis Paltenæ teneantur, & debeant curare, & manutenere, & reaptare dictum prognum si aliquo loco rumperetur, seu devastaretur in suo districtu, seu pertinentiis, secundum quod ipse prognus vadit seu discurrit per districtum, seu pertinentiam cujuslibet villæ. Et idem de pontibus intelligatur.

Quod prognus de Nigrario reducatur in alveum veterem. Cap. XXXV.

ITEM, quod Judex dugalium teneatur, & debeat facere fieri per homines totius Vallis Pullicellæ, quod prognus decurrens per Vallem Nigrarii, & inde inferius, reducatur per alveum veterem scil. in pristinum statum, ubi decurrere solebat.

De Aquæductu, qui venit a Sancto Fidentio non devastando. Cap. XXXVI.

ÆDIFICIUM, sive aquæductum illius fontis, qui venit a Sancto Fidentio, si quis, vel si qua persona devastaverit, vel impedierit, pro unaquaque vice in lib. x. & in damni restitutione puniatur, reaptando ipsum aquæductum in pristinum statum. Si vero aquæductus fontis prædicti fuerit devastatus, malefactore non invento, seu solvere & reficere damnum nequiente, quod communia Mizzolarum, & Novaliarum ipsum damnum reficere teneantur.

De aqua fontium Pojani, & Sanctæ Mariæ in Stellis de suo vaso non extrahenda Cap. XXXVII.

ITEM, quod Judex dugalium infra duos menses introitus sui officii teneatur & debeat facere, & procurare, quod aqua fontis Pojani vadat

dat per congruum & consuetum vasum ad prognum, ita quod pro exeundo de vaso non faciat damnum, & teneatur procurare & facere, quod illud damnum non accidat; & quod illi, qui reperirentur trahere aquam de vaso, vel rumpere vasum, ita quod per eum aqua non curreret, solvant pro banno pro quolibet, & qualibet vice centum sol. communi Veronæ, & damnum restituat patienti, seu patientibus: & quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni, alia medietas sit communis Veronæ. Et quod commune & homines Pojani teneantur & debeant facere, & procurare diligenter, ne dicta aqua extrahatur, sive tollatur de dicto suo vaso, & teneantur solvere dictum bannum si non manifestaverint illas personas, quæ & quoties extraherent, sive tollerent dictam aquam de dicto vaso, habendo postea regressum contra illas. Idem intelligatur de aqua fontis Sanctæ Mariæ in Stellis, quæ non removeatur de alveo veteri a lavello Sanctæ Mariæ in Stellis usque ad lavellum de Vendri; & si remota esset, reducatur in alveo veteri.

De aqua flumeselli de Montorio non impedienda usque in Campum Martium. Cap. XXXVIII.

ITEM, quod tam D. Potestas, quam Iudex dugalium, & Sortium, & Procuratores communis Veronæ teneantur operam dare, quod aqua flumeselli de Montorio decurrentis per Plateam ad civitatem Veronæ in Campum Martium, non auferatur, nec impediatur, nec ejus vasus adstringatur, vel impediatur; & si quando esset impeditus expediatur: & si contrafactum fuerit, emendetur communi Veronæ x. libr. pro unaquaque vice; & quilibet sit accusator & habeat medietatem banni, & teneatur in credentia, & credatur ei cum sacramento, & similiter cum uno teste celato. Salvo quod Monasterium Sancti Nazarii habere possit in eo unum molendinum secundum quod habet adiacens domibus dicti Monasterii prope pontem: & salvo jure quorumcumque aliorum habentium jura clavicarum accipiendi certis diebus de dicta aqua. * Adeatur cap. XXXIII. lib. IV.

De fonte Mezanarum, quod aqua illa dirigatur per terram Lavanei ad Turrim del Vago. Cap. XXXIX.

ITEM, quod Iudex dugalium debeat solicite attendere & procurare, quod tota aqua fontis terræ de mezanis, quæ nascitur sub Ecclesia, vel penes Ecclesiam Sancti Ambrosii de Mezanis, vadat & discurrat per bonum & congruum vasum ad terram Lavanei a plano, & deinde ad Turrim Vagi: de qua vero aqua nulla persona cujuscumque conditionis existat, aliquo modo vel caussa audeat, vel præsumat accipere, nec extrahere extra vasum suum, nec rumpere, vel devastare

dictum vasum, pœna & banno centum sol. pro quolibet, & qualibet vice, cuius medietas sit inventoris, & alia medietas communis Veronæ; & de hoc quilibet sit accusator. Salvo quod quælibet persona habens prata contigua ipsi vaso dictæ aquæ, quæ sint solita aquari, possit & valeat impune accipere de dicta aqua, causa aquandi dicta sua prata, diebus Sabbathi in vesperis usque ad ortum solis diei sequentis; & dicta hora claudere clavicas suas, nec amplius accipere debeat de dicta aqua; ita tamen quod saltem discurrat continue per dictum vasum tanta aqua, quod molendina possint laborare: & qui contrafecerit, puniatur pœna prædicta. Et quod communia, & homines prædictarum villarum scil. quælibet pro suo communi, teneantur & debeant manutenere dictum vasum liberum, & expeditum atque integrum super suas campaneas, & custodire & defendere ne devastetur, & ne dicta aqua de vaso extrahatur; ac manifestare, & denunciare omnes & singulas personas & bestias facientes contra prædicta. Quod si facere recusaverint, solvere teneantur suprascriptam pœnam, & emendare damnum, habendo regressum contra damnatores.

De aqua Maseræ aptanda omni anno ante Calendas Maij. Cap. XL.

QUUM aqua Maseræ sit multum utilis & famosa, & multæ personæ terreriæ & foresteriæ ob sanitatem corporis ad eam veniant, Statuimus, quod pro honore communis Veronæ, & utilitate personarum venientium ad Balneum dictæ aquæ, prædicta Masera, & aqua debeat mundezari, & refici, ac aptari pro communi Veronę, secundum quod melius videbitur expedire, omni anno ante Calendas mensis Maii; ad refectionem & aptationem cujus Maseræ, communia & homines Calderii, Porcillarum, Suavii, Collegnolæ, & Illasii teneantur.

Item, quod nulla persona audeat, vel presumat ponere in dicto Balneo linum causa macerandi, nec aliquod aliud imponere vel facere in eo, quod habeat ipsum Balneum vel aquam deturpare, vel minuere, sub pœna centum sol. pro quoque, & quaque vice; cujus pœnæ medietas sit accusatoris.

Quod Judices dugalium habeant sollicitare, & procurare quod prædicta fiant. Cap. XLI.

ITEM Statuimus, quod Judices dugalium communis Veronæ teneantur & debeant ad minus bis in anno, videlicet de mense Martii & Augusti, ire ad videndum prædicta, & solicitare quod prædicta executioni mandentur in omnibus & per omnia, ut superius dictum est.

De

De coadiuvando officio Judicum dugalium per D. Potestatem, & per alios. Cap. XLII.

ITEM, quod D. Potestas teneatur & debeat coadiuvare officium dictorum Judicum, & eisdem auxilium dare quoties fuerit petitum, & quoties opus erit. Et quando dicti Judices aliqua justa caussa interveniente, non possent alicui operi faciendo, vel examinando superesse, quod possint & teneantur committere alicui ex consortibus, vel habitatoribus dictæ terræ, ubi ipsum laborerium fieri debet, de consilio bonorum virorum, qui notitiam habent illius contratæ, vel etiam alicui alii secundum quod viderint expedire; qui tales teneantur dictis Judicibus intendere vel obedire, sub pœna, quę ipsis Judicibus videretur illis talibus imponenda.

Qualiter condemnationes pro officio dugalium fieri debeant. Cap. XLIII.

ITEM Statuimus, quod omnes condemnationes, quæ fient, seu fieri debent occasione dicti officii usque ad summam libr. x., fieri debeant per dictos Judices; abinde vero supra, per D. Potestatem & totam curiam Judicum & Consulum, seu majorem partem, ac ipsos Judices dugalium; & scribantur per notarium dugalium, & in concione communis Veronæ non legantur; & tamen eamdem vim habeant & executionem, ac si lectæ & publicatæ essent in arengo. Et quod omnes condemnationes, quæ per ordines præsentes ad dictum officium applicantur, per massarium dicti officii exigantur.

Quibus applicentur condemnationes pro officio dugalium. Cap XLIV.

ITEM Statuimus, quod de omnibus condemnationibus, quæ sequentur ex omnibus inventionibus, vel inquisitionibus, accusis, seu denunciationibus, quæ fient per dictum officium, quarta pars totius condemnationis sit inventoris, sive sit Judex, sive sit notarius, vel alia quævis persona; & aliæ tres partes deveniant ad dictum officium: & exigatur tota condemnatio per massarium dicti officii, & postea assignetur sua quarta pars inventoribus; & de resto solvantur salaria pro notariis, & massario supra ordinata. Et quicquid supererit solutis prius ipsis massario & notariis de suis salariis prædictis, assignetur D. Camerario præfatæ Do. nostræ, servata semper prius forma superioris Statuti positi sub rubrica *de salario notariorum, & massarii dugalium*. cap. xv. h. lib. Et isto casu liceat notariis quotiescumque fuerint inventores, vel aliquas inventiones fecerint, quas vigore Statutorum dicti officii facere possint quotiescumque contingat eos pro suo officio sine suo Judice equitare, de omni-

omnibus quæ fierent contra ordines suos spectantibus officio, dictam quartam partem condemnationum lucrari, ultra salarium, aliquo ordine in contrarium non obstante. Ubi vero contingat Judicem cum notario equitari, & aliquas inventiones per eos fieri, tunc quarta pars condemnationum sit Judicis & notarii.

Quod prædictæ pœnæ exigantur per Vicarios postquam sibi denunciatum fuerit; & quibus debeat assignari. Cap. XLV.

ITEM Statuimus, quod prædictæ pœnæ de inventionibus prædictis, quę fient per dugalerios vel saltuarios in villis exigantur & exigi debeant per Vicarios dictorum communium, & dictorum locorum infra x. dies, a die postquam fuerit denunciatum per dictos dugalerios, sive saltuarios electos. Quarum quidem pœnarum sic exactarum quarta pars sit & esse debeat dicti Vicarii: alia quarta pars sit dugaleriorum, seu saltuariorum, seu alterius cujuscumque personæ denunciantis prædicta; & aliæ duæ partes sint officii dugalium: & exigantur per Vicarios, & mittantur quolibet mense, sub pœna dupli massario dicti officii dugalium. Quod si dictus Vicarius facere recusaret, seu per ipsum staret, quod non fieret ut dictum est, quod tunc eo casu condemnetur in communi Veronæ in x. lib. pro quoque, & quaque vice: Et nihilominus facere teneatur. Si vero debitor, sive denunciatus vel accusatus non esset sub jurisdictione illius Vicarii, alius Vicarius, sub cujus jurisdictione fuerit, illas exigere & mittere teneatur, sub pœna prædicta, & infra dictos terminos a die factæ sibi denunciæ.

De scripturis officii dugalium relinquendis per notarios penes dictum officium. Cap. XLVI

ITEM, quod omnes notarii ad officium dugalium deputati teneantur & debeant relinquere officio dugalium omnes libros dugalium, quos fieri fecerit suus Judex, videlicet, descriptiones camporum, expensas, datias impositas pro aliquo dugali, & rationes conductorum dugalium, qui illa conduxerint ad fodendum; similiter omnes scripturas aggerum, & omnia acta pertinentia dicto officio. Quæ scripturæ, & prę sertim illæ pro quibus completa sunt laboreria, reponi debeant in sacristia dicti officii in armario ibi ordinando sub duabus clavibus, quarum una stet penes Judices dugalium, & altera penes Provisores communis Veronæ, scribendo in superficie parmulæ titulum illius libri. Et similiter teneantur dimittere dicto officio mandata denariorum, quos pro dugalibus contingerint exigi per banchum cambiatoris; & hoc sub pęna cuique notario contrafacienti xxv. libr. denar. Veronen. parvorum; cujus pęnæ medietas sit Cameræ Serenis. Domin. nostræ, & alia communis Vero-

Veronæ, exigenda per Provisores communis; & si fuerit accusator, habeat tertiam partem pœnæ, & teneatur in credentia, & aliæ duæ partes dividantur ut supra. Idem intelligatur & fiat in notariis, & de libris officii Sortium.

HÆC SUNT STATUTA OFFICII SORTIUM, ET REGULARUM CIRCA CIVITATEM ET BURGOS VERONÆ.

De Judice Sortium eligendo, & de ejus officio. Cap. XLVII.

STATUIMUS, & ordinamus, quod omni anno in principio mensis Novembris, videlicet antequam fiat scrutinium Vicariorum, fieri debeat in Consilio XII. & L. Deputatorum Veronæ per scrutinium, & plures ballottas more solito, electio unius civis bonæ intelligentiæ & reputationis, qui sit Judex Sortium & Regularum existentium circa civitatem & burgos Veronæ per unum annum, incipiendo primo Januarii. Cujus tribunal stet in Palatio communis Veronæ, & ejus officium sit bene & diligenter facere omnibus temporibus custodiri & regulari Sortes & Regulas extra civitatem Veronæ circumcirca existentes. Quę quidem Sortes, & Regulæ sunt omnes illæ, quæ non sunt de pertinentia alicujus Villæ, vel Domorum campaneæ. Et facere aptare per illos, ad quos spectat stratas, pontes, puteos, cæsas, & dugalia sive fossata quandocumque & ubi opus fuerit ac necessarium: & per ipsas Sortes & Regulas equitare cum saltuariis earum; & cum uno notario inventiones facere, ac inquisitiones formare, manifestationes quoque, accusationes, & denunciationes recipere contra quoscumque damnum dantes in ipsis Sortibus cum personis, plaustris, & bestiaminibus, vel aliter facientibus contra ordinamenta communis Veronæ super prædictis Sortibus & Regulis, & contra illos procedere per omnes supradictos modos, seu aliquem ex eis, & ipsos punire, & condemnare secundum formam ordinum ac Statutorum communis Veronæ, maxime disponentium de Sortibus & Regulis civitatis & districtus Veronæ, * infra in hoc lib. Et quod omnes volentes accusas vel querelas proponere de aliquibus damnis datis in dictis Sortibus, illas coram dicto Judice Sortium, & non coram aliis facere teneantur.

De duobus Notariis Sortium eligendis, & de eorum officio. Cap. XLVIII.

ITEM, quod dictus Judex habere debeat duos notarios, qui sibi omni anno in principio anni deputentur per venerabile Collegium notariorum, & per unum annum sub uno judicatu tantum, & vacare debeant ab eodem tantum per unum alium annum, qui debeant sub

sub dicto Judice scribere omnes inventiones, inquisitiones, accusas, denunciationes, & manifestationes, & omnes dicti Judicis absolutiones & condemnationes super libro ordinario; & similiter omnes alios processus, omniaque acta ad officium pertinentia. Qui etiam teneantur cum dicto suo judice, & etiam sine eo, secundum quod ipse Judex mandaverit, equitare foras per dictas Sortes, & inventiones facere, sicut ipse Judex posset, quando esset præsens.

Qualiter condemnationes pro Officio Sortium fieri debeant. *Cap. XLIX.*

ITEM, quod omnes condemnationes quando fient, seu fieri debent occasione dicti Officii Sortium usque ad summam libr. x., fieri debeant per ipsum Judicem. Abinde vero supra, per D. Potestatem & totam curiam judicum & consulum, seu majorem partem, ac ipsum Judicem, & scribantur per notarios in dicti Officii Sortium, & in Concione communis Veronæ non legantur; & tamen eamdem vim habeant & executionem, ac si lectæ & publicatæ essent in arengo.

De parte condemnationum, quam recipere debent Judex, & notarii sortium. *Cap. L.*

ITEM, quod de omnibus condemnationibus, quæ fient de his quæ ad dictum officium spectant, camera Veronæ Illustriss. nostri Dominii debeat habere dimidiam, & Judex aliam dimidiam, ubi dictus Judex fuerit inventor. Si vero Judex non fuerit inventor, sed saltuarii, notarii, vel alii, tunc inventores habeant quartam partem, & Judex quartam partem, remanente alia dimidia cameræ. Et possit notarius cum saltuario manifestare quoscumque repererit damnum dantes, vel aliter contrafacientes in dictis sortibus & regulis, etiam in absentia Judicis, quotiescumque Judex non adesset. Et similiter de omnibus condemnationibus, quæ fierent pro accusationibus, denunciationibus, vel inquisitionibus, camera, habere debeat dimidiam & Judex aliam habeat dimidiam; & notarii possint, ac debeant recipere solutionem scripturarum suarum secundum formam Statutorum in cap. XVI. lib. 2., & in cap. IV. lib. 3. Et si Judex simul cum notario & saltuariis aliquam fecerit inventionem, talis inventio Judici solum attribuatur; si vero notarius cum saltuario sine Judice aliquam fecerit inventionem, talis inventio notario solum attribuatur; si vero saltuarius inventionem, seu manifestationem fecerit sine Judice, & notario, tunc saltuario, sive saltuariis attribuatur talis inventio sive manifestatio; & quilibet saltuarius possit in præsentia unius testis fide digni manifestare. Ad quæ quidem banna, & condemnationes exigenda & exigendas in totum, dictus Judex vinculo sacramenti teneatur sine aliquo litigio, & illas atque illa consignare per partes prædictas, ut supra.

Quo

Quo tempore electio gastaldionum, fidejussorum, & saltuariorum fortium, & Regularum circa civitatem fieri debeat; & quo tempore eorum officium incipiat. Cap. LI.

ITEM Statuimus, quod de cætero electio gastaldionum, & fidejussorum Sortium & Regularum terrarum & possessionum existentium circa civitatem, & burgos Veronæ, fiat quolibet anno de mense Decembris, videlicet infra primos xv. dies ipsius mensis, & electio saltuariorum, vel juratorum ipsarum Sortium fiat postea infra alios xv. dies sequentes; quorum officium incipiat in Calendis Januarii sequentis, & duret per totum annum. Et quod ipsi gastaldiones teneantur ipsos saltuarios & juratos electos dare in scriptis judici Sortium infra octo dies dicti mensis Januarii, ita quod in qualibet Sorte sint. Et eligantur duo saltuarii, seu jurati ad minus, qui saltuarii, seu jurati possint & debeant manifestare, ac denunciare omnes personas & bestias, quas invenerint damnum dantes in dictis Sortibus, tam suis quam alienis, & in qualibet ipsarum Sortium, seu facientes contra Statuta, & ordinamenta ipsarum. Et per hoc Statutum dicti saltuarii, sive jurati non possint, nec debeant intrare alienas Sortes, nisi occasionibus prædictis, nec etiam teneantur damna emendare, quæ in alienis Sortibus fierent, de quibus non essent saltuarii, seu jurati; & si dicti gastaldiones non dederint dicto Judici in scriptis ipsos juratos, sive saltuarios ad terminum supradictum, puniantur pro quolibet in xx. sol., & nihilominus ipsos in scriptis dare teneantur.

Qui non possint esse gastaldiones, nec fidejussores in Sortibus Cap. LII.

ITEM, quod nullus possit, nec debeat eligi gastaldio, nec fidejussor aliquarum Sortium & Regularum existentium circa civitatem & burgos Veronæ, nisi sit civis & habitator cum massaritia & familia civitatis & burgorum Veronæ, & cum ipsa civitate & burgis faciat onera, & factiones secundum quod alii cives & habitatores Veronæ faciunt, & nisi habeat terras & possessiones in illis Sortibus: & si contrafactum fuerit, pro infecto habeatur ipso jure, & electores puniantur pro quolibet, & qualibet vice in xx. sol.; electus vero, qui acceptaverit, in xl. sol. & ab illo cesset officio. Et illi intelligantur habere terras, & possessiones in illis Sortibus, qui habent in eis terras proprias, vel conductas in perpetuum, vel ad decem annos, vel abinde supra, vel aliter habent jus in re.

De

De pœna gastaldionis & fidejussoris refutantium electionem.
Cap. LIII.

ITEM, si quis in gastaldionem vel fidejussorem alicujus Sortis vel Regulæ fuerit electus, & electionem acceptare, seu officium facere recusaverit, emendet viginti sol., & tamen acceptet officium.

Per quantum tempus cessare debeant gastaldiones, & fidejussores.
Cap. LIV.

ITEM, quod nullus gastaldio, nec fidejussor debeat stare in officio gastaldiæ, nec fidejussoriæ, nisi per unum annum, & ab ipsis officiis cessare debeant ipsi, & quilibet de sua familia per duos annos; & si aliquis vel plures eos confirmare voluerint, emendent pro banno xx. sol. pro unoquoque, & unaquaque vice.

Quod gastaldiones curent, quod per xv. dies antequam exeant de officio eligantur alii officiales in suis Sortibus. Cap. LV.

ITEM, quod gastaldiones Regularum seu Sortium teneantur & debeant operam dare ut xv. diebus antequam exeant eligantur & ordinentur alii gastaldiones, & officiales in prædictis Regulis seu Sortibus, & hoc ad voluntatem consortium: & qui contrafecerit, puniatur in xl. sol. pro unoquoque, & unaquaque vice.

Quod nullus de sancto Michaele in campanea possit esse Officialis Sortium. Cap. LVI.

ITEM, quod nullus habitator Sancti Michaelis in campanea, a Porta Episcopi extra, usque ad Sanctum Martinum Bonalbergum, in Sortibus quæ sunt a parte superiori & inferiori inter utraque loca, possit esse officialis dictarum Sortium, vel alicujus earum; & si eligeretur, electio non valeat, & electores condemnentur in centum sol. pro quolibet, & qualibet vice; & hoc ubi alii commode habere possint.

De custodia Sortium, & Regularum per Judicem Sortium adhibenda; & de admonitione facienda gastaldionibus Sortium; & de manifestationibus faciendis. Cap. LVII.

ITEM quod Judex Sortium & Regularum communis Veronæ teneatur & debeat omni hebdomada ter ad minus, si fuerit in civitate, ire personaliter circando Sortes & Regulas civitatis Veronæ, & cum omni

omni diligentia perquirere omnes perſonas damnum dantes in eis, & circare illis horis & temporibus, quibus melius crediderit expedire, ut damnatores facilius inveniantur. Et ſi aliquo juſto impedimento, non poſſet prædicta ex ſe facere, debeat mittere de ſuis notariis ad prædicta exequenda, ut ſic Sortes, & Regulæ diligenter cuſtodiantur; & debeat admonere gaſtaldiones, & ſaltuarios, ut bonam faciant cuſtodiam, banna ponere, & præcepta facere, ſecundum quod ſuo officio crediderit expedire. Et quælibet ſingulares perſonæ ab eo vel ejus officialibus requiſitæ teneantur ire cum dicto Judice & ejus officialibus, & eis præſtare auxilium, conſilium, & favorem. Et quod omnes manifeſtationes, quæ fient per ſaltuarios, & gaſtaldiones, & alias perſonas in dictis Sortibus, & Regulis circa civitatem, fiat coram dicto Judice, & non alibi.

De cuſtodia facienda per ſaltuarios in Sortibus, & Regulis circa civitatem: & de immunitate ſibi conceſſa. Cap. LVIII.

ITEM, quod ſaltuarii Sortium, & Regularum exiſtentium circa civitatem & burgos Veronæ teneantur & debeant ſtare continue in Sortibus, in quibus fuerint ſaltuarii conſtituti de die & de nocte, a Calendis Junii uſque ad vindemias factas villarum Sortium, de quibus fuerint ſaltuarii. Et quod infra dictum tempus prædicti ſaltuarii non compellantur ad aliquod officium, ſeu perſonale munus ſubeundum pro communi Veronæ, nec aliquam cuſtodiam Murorum civitatis, aut alicujus Fortilicii civitatis vel diſtrictus Veronæ, nec ad alias cuſtodias nocturnas faciendas. Et dicto tempore ſe non debeant a dictis Sortibus ſeparare, niſi occaſione faciendi ſuas manifeſtationes, vel alia juſta de cauſſa: & ſi dicta occaſione voluerint ſe a dictis Sortibus ſeparare, ſemper unus eorum remaneat in Sorte cauſſa ſui officii exercendi: & incontinenti factis manifeſtationibus ſuis, debeant ad ſuam Sortem cuſtodiendam redire. Facta vero vindemia dicti ſaltuarii non ſint aſtricti ſtare in dictis Sortibus de nocte, ſed quilibet ipſorum ire teneatur ad ſuas Sortes cuſtodiendas, omnique die circuire, & circare uſque ad alias Calendas Junii: quod ſi non ſervaverint, puniantur pro quolibet, & qualibet vice in x. ſol. pro tempore, quo ſtare debent continue de die & de nocte: pro alio vero tempore, quo tenentur ire tantum, in v. ſol. & nihilominus damna emendare teneantur.

De ſaltuaria ſolvenda ſaltuariis Sortium circa civitatem, & quod infra duos menſes debeant ſibi de ea facere ſolvi. Cap. LIX.

ITEM, quod de cætero ſaltuariis Regularum, & Sortium terrarum & poſſeſſionum exiſtentium circa civitatem & burgos Veronæ fiat ſolutio ſaltuariæ in denariis tantum per laboratores ipſarum terrarum

 & poſſeſ-

& possessionum, secundum quod fuerit ordinatum per laboratores & consortes earum. Et si in aliis rebus dicta solutio fieret, solventes & accipientes pro quolibet, & qualibet vice, puniantur in centum sol. Et si dicti saltuarii acciperent pro saltuaria ultra id, quod ex forma præsentis Statuti accipere deberent, puniantur pro quolibet, & qualibet vice in centum sol., & in restitutione ejus, quod ultra acceperint, facienda ei, cui accepissent; & de predictis quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni. Ad quam solutionem saltuariæ dictis saltuariis faciendam Judex Sortium omnes debentes solvere realiter & personaliter compellat summarie, sine aliqua scriptura facienda, & eos pignerari faciat realiter & personaliter sine aliqua citatione, si de hoc fuerit requisitus infra duos menses a die exitus officii dictorum saltuariorum; infra quos quilibet saltuarii teneantur & debeant petere & exigere omnem eorum saltuariam: aliter autem eis postea audientia non præbeatur, & præsumatur debitorem solvisse, si solutionem allegaverit.

Quod nullus consors, nec alia persona præter Saltuarios stet in nocte in aliqua Sortium circa civitatem sine licentia. Cap. LX.

ITEM, quod nullus consors, nec aliqua alia persona præter saltuarios debeat stare de nocte in aliqua dictarum Sortium existentium circa civitatem & burgos sine licentia gastaldionis, vel fidejussoris earum: & qui contrafecerit, puniatur pro quolibet, & qualibet vice in xx. sol. Et quod dictam licentiam prædicti gastaldio vel fidejussor dare non possint, nisi sit justa caussa dandi.

Quod terræ & possessiones circa civitatem & burgos non existentes in Sorte, ponantur in Sorte. Cap. LXI.

ITEM, quod omnes & singulæ terræ & possessiones existentes circa civitatem & burgos Veronæ, quæ non sunt in Sorte aliqua, ponantur & recipiantur in Sorte proximiori ipsis terris & possessionibus; aut Domini, & laboratores earum in ipsis terris & possessionibus Sortem per se faciant, pœna & banno xl. sol. pro quolibet, & qualibet vice. Et quod Iudex Sortium vinculo sacramenti de prædictis inquisitionem facere teneatur & punire eos qui prædicta non observaverint. Et hoc Statutum non habeat locum in hortis, & viridariis conjunctis & propinquis domibus contratarum civitatis & burgorum Veronæ.

Quæ

Quæ terræ & possessiones intelligantur esse circa civitatem & burgos Veronæ. Cap. LXII.

ITEM declaramus, & Statuimus, quod omnes terræ & possessiones, & Sortes & Regulæ earum, quæ sunt juxta civitatem & burgos Veronæ, & non sunt de pertinentia alicujus villæ, vel domorum campaneæ Veronæ, intelligantur esse circumstantes ipsi civitati, & burgis Veronæ.

Quod Bestiæ Caprinæ non pasculentur in Sortibus circa civitatem, nec in cæsis earum. Cap. LXIII.

ITEM, quod nullo modo bestiæ caprinæ possint pasculare in Sortibus terrarum & possessionum existentium circa civitatem & burgos Veronæ, nec in cæsis ipsarum Sortium, pœna & banno xl. sol. pro sclapo, & inde inferius; & centum sol. pro malga. Salvo, quod quælibet persona veniens de villa ad civitatem Veronæ cum bestiis caprinis caussa vendendi vel alia caussa, possit, veniendo cum illis per viam publicam & rectam ad veniendum versus Veronam, pasculare in cæsis ipsius viæ ab ea parte ipsarum cæsarum, quæ est a latere ipsius viæ.

De Vua acerba, vel matura non portanda, habenda, vel tenenda. Cap. LXIV.

ITEM, quod nulla persona debeat deferre, seu portare, aut habere, vel tenere vuam acerbam, vel maturam de suis vineis, vel alienis: de suis tamen possit deferre, habere, & tenere usque ad tres arzimos, & non ultra: & qui contrafecerit pro quolibet, & qualibet vice, & pro quolibet arzimo in v. sol. puniatur: & de hoc quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni. Et quilibet possit habere, portare, & tenere, & vendere quantum voluerit de infrascriptis vuis suis tantum, videlicet lujana brumesta, varono, & aliis vuis de pergola: Et quod tempore vindemiæ quælibet persona possit deferre, habere, & tenere de suis vuis, quando vindemiantur, quantum voluerit.

De aliqua Vua non conducenda in Mercato, nec alibi extra vineas caussa vendendi, nisi fuerit vua de pergola. Cap. LXV.

ITEM, quod nulla persona debeat conducere ante vindemiam aliquam vuam in Mercato fori, nec per civitatem, neque per burgos, neque per villas, neque per alia loca extra vineas caussa vendendi, nisi fuerit vua de pergola, aut varones, seu brumestæ, sive lujanæ: & qui contrafecerit, pro unaquaque vice in xx. sol. & in amissione vuæ pu-

niatur. Et quod emptores etiam teneantur ad dictum bannum solvendum xl. sol. pro quolibet, & qualibet vice: & de prædictis omnibus quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni.

De Damnatore capiendo, & de pęna personali eidem inferenda, si condemnationem pecuniariam non solverit ad terminum. *Cap. LXVI.*

ITEM, quod si quis cum persona damnum dederit in aliqua dictarum Sortium vel Regularum existentium circa civitatem, & burgos Veronæ, sive in hortis, sive in viridariis civitatis & burgorum, Judex Sortium teneatur & debeat vinculo sacramenti & pęna x. libr., ipsum personaliter capi facere juxta posse, & in carceribus communis Veronæ detrudi, & ibi eum facere permanere donec condemnatus, vel absolutus fuerit, nisi bonam, & idoneam securitatem fecerit de eo, quod appareret ipsum puniri, & condemnari debere. Et si per sententiam condemnatus fuerit communi Veronæ, & dictam condemnationem non solverit infra x. dies, ac etiam damno passo non emendaverit incontinenti, dictis x. diebus elapsis submergatur ter in aqua lavelli Capitelli, & post modum ponatur; & stet ligatus ad catenam Capitelli per unum diem cum illa re sive rebus, quam vel quas acceperit, seu de quibus damnum dederit, vel cum de similibus rebus; & tamen per hoc non intelligatur esse ab emendatione damni absolutus. Si vero secundo damnum dederit in prædictis Sortibus seu Regulis, hortis, seu viridariis, similiter capiatur, & in carceribus communis Veronæ detrudatur, & ibi stet donec condemnatus vel absolutus fuerit, nisi bonam, & idoneam dederit securitatem ut supra. Et si condemnabitur ut supra, & non solverit ad terminum ut supra, quod incontinenti elapsis dictis x. diebus ut supra, prædictæ pœnæ inferantur eidem, & insuper circa Capitellum Fortiter fustigetur; & tamen per hoc non intelligatur esse ab emendatione damni absolutus. Si vero tertio, vel inde superius damnum dederit ut supra, condemnetur realiter & personaliter arbitrio D. Potestatis, inspecta qualitate, & conditione personæ, ac delicti; & nihilominus damnum reddat patienti. Si vero dicta persona, quæ damnum dederit, ut supra, capi non poterit, vel coram Judice non comparuerit, immo tanquam contumax passa fuerit se condemnari, & post ipsam condemnationem pervenerit in fortiam communis Veronæ, nisi dictam condemnationem solverit infra tertiam diem postquam in fortiam pervenerit, submergetur, & fustigetur & ponatur, & stet ligatus ad catenam per unum diem, & reddat damnum. Si vero iterato passus fuerit tanquam contumax condemnari de prædictis, & postmodum in fortiam communis Veronæ pervenerit, puniatur realiter & personaliter ad arbitrium D. Potestatis, & reddat damnum.

De

De aqua rivi decurrentis a contrata Avesæ non auferenda, nisi certis diebus, & noctibus. Cap. LXVII.

QUUM fons, qui oritur in contrata Avesæ penes Monasterium Camaldulensem & laudabili majorum industria atque expensa decurrit ad civitatem in Plateam Mercati fori, sit maximo commodo & decori civitatis; Statuimus, quod quicumque acceperit, seu abstulerit aquam rivi decurrentis a contrata Avesæ, ad civitatem Veronæ de alveo suo, emendet centum sol. communi Veronæ pro qualibet vice, nisi in Dominicis diebus aut festis Apostolorum, & Sanctæ Mariæ Matris Domini: exceptis illis, qui haberent rationem, vel potestatem auferendi caussa reficiendi molendina sua. Et illi, qui acceperint tempore concesso, accipiant cum verbo, & licentia Judicis dugalium, & Sortium communis Veronæ, & teneantur etiam reficere vadum, unde aquam abstulerint cum designatione, & præcepto dicti Judicis dugalium, & Sortium, sub pœna prædicta. Ita quod ipse Judex possit & debeat dare parabolam unicuique accipienti medietatem aquæ prædicti rivi in noctibus prædictorum dierum, & festivitatum, & alia medietas decurrat per vasum illius rivi; cujus banni suprascripti medietas sit accusatoris; & de hoc quilibet sit accusator. Et manifestationes fieri debeant coram Judice ad officium dugalium, & sortium deputato, salvo eo, quod illi de Sancto Georgio possint accipere aquam dicti rivi a domo q. Marci de Gentilino, usque ad domum q. domini Odorici de Corato, sine aliqua pœna, & banno: & nihilominus Judex dugalium, & sortium accipere possit dictum bannum. Et si ipse Judex contra formam præsentis Statuti dederit alicui licentiam accipiendi de dicta aqua, exceptis diebus, & noctibus dierum suprascriptarum concessis, videlicet dierum Dominicorum, Apostolorum, & Sanctæ Mariæ Matris Domini, quod ipse Iudex emendet de suo dictum bannum centum sol. communi Veronæ. Et quod ipse Iudex procuratori facere teneatur, ne fiat contra prædicta modis omnibus, quibus melius poterit. * Hoc idem habetur in cap. xxxiv. libri quarti.

HÆC SUNT STATUTA COMMUNIA REGULIS, & SORTIBUS, TAM CIRCA CIVITATEM, ET BURGOS VERONÆ, QUAM IN DISTRICTU, ET TAM OFFICIO JUDICIS SORTIUM VERONÆ, QUAM VICARIORUM VILLARUM.

Quod cuilibet liceat suum regulare; & de modo, & forma regulandi; & saltuaria solvenda. Cap. LXVIII.

ITEM, quod unicuique liceat quolibet tempore regulare suas terras, vineas, & olivas, prata, & ortos nemora, glareas, & paludes. Et si aliquis voluerit contradicere, nihilominus valeat regulare, donec quæstio fuerit deter-

determinata, non præjudicando alicui partium in possessione, vel quasi. Et quod regulare volentes non possint nec debeant ponere, sive regulare possessiones, quas habent in pluribus villis, seu pertinentiis in una Regula, nec sub uno Gastaldione; sed licitum sit quibuslibet personis regulare, sive in Sortem ponere quicquid solummodo habent in pertinentia cujuslibet villæ, seu curiæ, & pertinentiæ per se & non aliter; & si aliter regulaverint, ipso jure non valeat talis Regula. Et quod illi de ipsa Regula teneantur & debeant solvere saltuariis saltuarias dictæ Regulæ de novo factæ custodientibus, & non aliis, secundum consuetudinem & ordinamenta communis Veronæ ipsarum Regularum.

De securitate per Saltuarios facienda. *Cap. LXIX.*

ITEM, quod quilibet saltuarius, vel saltuarii teneantur & debeant in principio sui officii facere securitatem suo Vicario, si fuerint in villis, vel judici Sortium, si fuerint circa civitatem, x. libr. pro quoque, de bene custodiendo & salvando bona Sortis & Regulæ, & attendendo præcepta ipsius Vicarii sive Judicis; & similiter præcepta gastaldionis, & fidejussoris ejus facta ad voluntatem consortium dictæ Sortis, & Regulæ; & de reddendo damnum factum in Sorte sive Regula, unde nesciret reddere rationem, vel dare malefactores qui damnum fecissent: & hoc ad terminum sibi datum per dictum Vicarium, vel Judicem. Et hoc in banno xx. sol pro unoquoque, & quaque vice; & nihilominus dictam securitatem facere teneantur.

Quæ arma Saltuarii portare possint. *Cap. LXX.*

ITEM, quod dicti saltuarii a domo sua eundo ad dictas Sortes custodiendas, in ipsis Sortibus stando, & inde redeundo ad domum suam, possint impune portare, habere, & tenere infrascripta arma, videlicet, rangonum, lanceam, cultellam, scutum, vel rotellam, collatium, bacinellum, vel cerveletiam; nullo autem modo, arcum, nec ballistam.

Quod quilibet Gastaldio Sortis & Regulæ scribi faciat in libro omnes manifestationes & intratas, ac etiam datias; & reddere teneantur de prædictis rationem. *Cap. LXXI.*

ITEM, quod quilibet Gastaldio cujuslibet Sortis & Regulæ, teneatur & debeat facere scribi in libro Sortis seu Regulæ omnes datias impositas per eos cum consortibus ipsarum Sortium & Regularum, & etiam omnes manifestationes & intratas, quæ ad eorum manus pervenerint, & caussas pro quibus dictæ datiæ fuerint impositæ; & infra xv. dies post exitum sui officii reddere de prædictis rationem, & dare, ac assignare

gnare omnes rationes, & res pertinentes ad Sortem vel Regulam novo gastaldioni infra dictum tempus. Quod si facere recusaverit, puniatur pro quolibet, & qualibet vice in xx. sol; & nihilominus prædicta incontinenti facere teneatur.

Infra quot dies dari debeant manifestationes. Cap. LXXII.

ITEM, quod saltuarii, sive jurati teneantur & debeant suas manifestationes damnorum & bannorum facere, & dare suis Vicariis, si fuerint in villis, sive Judici Sortium, si fuerint circa civitatem, infra octo dies a tempore damni dati, sive banni commissi; nec in se eas, nec aliquam earum retinere debeant, nisi justo impedimento retinerent, pœna & banno lx. sol. pro quolibet, & qualibet vice, & restitutionis damni & banni: & nihilominus dictam manifestationem facere teneantur.

Quod omnes dies damni dati, sive banni commissi scribantur per Notarium Judicis Sortium, vel Vicarii villarum in manifestatione. Cap. LXXIII.

ITEM, quod notarius Iudicis Sortium, vel Vicarii villæ, qui manifestationes scribet, teneatur scribere diem in libro manifestationum, in quo die damnum datum fuerit, vel bannum commissum: & si dies ipse non fuerit ita scriptus, manifestatio facta non præjudicet manifestatis, & absolvantur, ac absoluti sint ipso jure a dictis manifestationibus, non obstante aliquo Statuto in contrarium loquente.

De pœna Saltuarii facientis furtum, aut celantis manifestationes. Cap. LXXIV.

ITEM, quod si quis saltuarius, vel juratus alicujus Sortis vel Regulæ, vel aliqua persona de familia sua aliquod furtum fecerit in eadem Regula & Sorte de aliquibus rebus Sortis, aut alicujus consortium; aut commiserit damnum aliquod, seu celaverit aliquam manifestationem, puniatur in xl. sol. pro quolibet, & qualibet vice, & in emendatione banni & damni; & de prædictis quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni.

Quid liceat agere Saltuariis, & Dominis rerum in inventione damnorum. Cap. LXXV.

ITEM, quod licitum sit saltuariis, & Dominis terrarum & possessionum existentium circa civitatem & burgos Veronæ, & hortorum & viridariorum existentium in ipsa civitate seu burgis, & similiter in hortis & viridariis villarum, si non cognoverint damnum dantem in eis, cla-

clamare, & illum capere & detinere, donec nomen illius scriberint: & si fuerit persona suspecta, possint illum ducere in fortiam D. Potestatis, si fuerit in Civitate, vel circa eam, aut Vicarii, si fuerit in villis, aut sibi pignus auferre. Et si bestias invenerint sine custode cognito, liceat ipsis eas capere, & officio dicti Judicis, vel Vicarii præsentare. Et si saltuarii in prædictis fuerint negligentes, ad restitutionem damni in duplum condemnentur; de quo tamen postea contra damnum dantem possint habere regressum. Et quod nullus de per se vel per alios audeat se se opponere dictis capientibus, vel capere volentibus aliquam personam, vel bestiam de prædictis, aut ipsam personam retinentibus, pœna & banno centum sol. pro quolibet, & qualibet vice. Et ad prædicta omnia facienda & complenda, quilibet requisitus teneatur & debeat præstare auxilium, & favorem, banno lx. sol. pro quolibet, & qualibet vice.

Quid Saltuarii in suis manifestationibus dicere & declarare teneantur. Cap. LXXVI.

ITEM, quod saltuarii in suis manifestationibus, dicere & daclarare teneantur quantitatem fructuum, vuarum, bladorum, & aliarum rerum, quam viderint accipi, seu acceptam esse per aliquam personam manifestatam per eos, & diem damni dati, & locum ubi, damnum datum fuerit; quod si non fecerint, puniantur pro quolibet, & qualibet manifestatione in xx. sol. & emendet damnum, passo: non tollendo per hoc, quin ipsi saltuarii facere debeant etiam manifestationes de solo banno commisso contra Statuta, etiam sine damno.

Ne Saltuarii ducant aliquam personam per Sortem, sua auctoritate. Cap. LXXVII.

ITEM, quod nullus saltuarius debeat secum ducere aliquam personam per Sortem, sua auctoritate, absque licentia gastaldionis & fidejussoris, aut Judicis, vel Vicarii: & qui contrafecerit, emendet xx. sol. pro quoque, & quaque vice. Quam licentiam dicti gastaldiones, sive Judex & Vicarius, nisi justa causa dare non possint.

Quod quilibet Manifestatus, qui comparuerit, stare debeat in fortia communis Veronæ, donec deposuerit, vel satisdederit de condemnatione, & damno. Cap. LXXVIII.

ITEM, quod quicumque repertus, vel manifestatus fuerit dare, aut dedisse damnum, vel aliter contrafecisse Statutis, si comparuit coram Judice Sortium, vel Vicario villæ, stare debeat in fortia, & virtute

tute communis Veronæ, donec absolutus, vel condemnatus fuerit; nisi officium bene assecuraverit vel per depositum vel per pignus vel per fideiussorem de condemnatione solvenda communi, & de mendo sive damno restituendo ei, qui damnum receperit. Si vero non comparuerit infra terminum eidem assignatum, tunc iterum ad alium terminum citetur. Et adhuc non comparens, de eo, de quo fuerit manifestatus, habeatur pro confesso, & contra ipsum feratur sententia; nisi ante sententiam venerit, mandatis dicti Judicis, vel Vicarii pariturus.

Quod Manifestati constringantur officium assecurare antequam in defensione audiantur; & quod Manifestatus ab uno tantum saltuario, jurando contrarium absolvatur. Cap. LXXIX.

ITEM, quod si aliqua manifestatio facta fuerit per juratos, sive saltuarios alicujus Sortis seu Regulę, tam de existentibus circa civitatem & burgos, quam in villis, sive per quemcumque alium, qui possit manifestare, ille vel illi, qui manifestati fuerint, visa publica scriptura ipsius manifestationis, antequam ipsius manifestati aliqua ratio audiatur, constringatur officium assicurare per depositum, vel pignus, vel satisdationem de condemnatione, & damno, secundum formam suprascripti Statuti; & ejus postea ratio audiatur. Si vero per unum juratum, aut saltuarium solum facta fuerit manifestatio alicujus, & manifestatus jurare voluerit, & juraverit non fecisse, nec dedisse damnum, neque ita esse, tunc absolvatur sine aliquo gravamine eidem faciendo, nisi ipse juratus, aut saltuarius, vel gastaldio Sortis aut Regulæ, seu massarius villæ probaverit ita verum esse, ut in manifestatione continetur, saltem per unum bonum & idoneum testem in Judicio productum, pręsente adversario, vel legitime citato.

Quod manifestationes dari debeant Judici, vel ipsi Vicario, qui permittant eorum exempla haberi. Cap. LXXX.

ITEM, quod saltuarii, sive jurati Sortium & Regularum existentium tam circa civitatem & burgos, quam in villis, & omnes alii qui ex forma Statutorum possunt manifestare, sacramento teneantur & debeant suas manifestationes facere Judici Sortium, sive Vicario villæ penes ejus notarium; qui Iudex & Vicarius permittant eorum exemplum accipi per personas manifestatas, præstita prius per eas securitate, vel per depositum, vel per pignus, vel per fideiussorem de condemnatione & damno secundum formam Statuti supradicti cap. lxxviii. & per gastaldiones dictarum Sortium & Regularum, sive per ipsos saltuarios, aut per massarium, vel alium scribanum communis villæ, sine aliqua solutione de hoc facienda notario dicti Iudicis, vel Vicarii. Et si dicti saltuarii,

Z z vel

vel jurati penes alium notarium, aut aliter suas manifestationes fecerint aut dederint, cadant in pœnam lx. sol. pro quoque, & quaque vice.

De exemplo manifestationis dando cuilibet manifestato.
Cap. LXXXI.

ITEM, quod teneantur dicti Judex & Vicarii vinculo Sacramenti & banno centum sol., ante aliquam defensionem recipiendam a manifestato, dari facere ipsi manifestato exemplum ipsius manifestationis, & nomen manifestatoris sive manifestatorum, & diem & locum ipsius manifestationis, si petatur. Data prius bona securitate per manifestatum, secundum qualitatem ipsius manifestationis, delicti, & damni; & secundum formam Statutorum prædictorum.

Quod omnes bestiæ extra damnum, & Sortes pasculentur.
Cap. LXXXII.

ITEM, quod omnes bestiæ possint extra damnum, & extra Sortes pasculare; & quod nullus possit cum bestiis in viis Sortium, sive vicinalibus pasculare sine licentia Judicis Sortium, aut vicarii villæ. Item, quod nullus possit cum suis bestiis pasculare in suis bladis, nec herbam facere, vel pasculare in suis pratis sine licentia dicti Judicis vel Vicarii danda cum scientia saltuariorum. Item, quod nullus possit in alienis bladis, vineis, olivis, & aliis fructibus arborum alterius pasculare, nec in alienis pratis, sive terris herbam facere, sine licentia Dominorum, & Judicis Sortium, aut Vicarii cum scientia saltuariorum. Item, quod tempore quo prata seantur, quilibet possit cum suis bobus, cum quibus debet fœnum carrizare, pasculare impune in pratis de quibus carrizabitur. Item, quod quælibet persona possit cum suis bestiis pasculare, & herbam facere in viis publicis, & aliis viis extra Sortes, & etiam in vigris, & stipulis extra Sortem, & damnum: & hæc intelligantur ubi non sunt vineæ, neque olivæ. Item, quod quælibet persona possit herbam silvaticam facere supra suum in Sorte, & extra Sortem. Liceat autem cuilibet cum suis bestiis pasculare, etiam sine licentia prædicta, in suis pratis propriis vel conductitiis secatis, & amplius non secandis illo anno.

In quibus locis Sortium & Regularum, & cum quibus bestiis & quando, Consortes supra suum possint pasculare.
Cap. LXXXIII.

ITEM, quod quælibet persona ex dictis consortibus possit in dictis Sortibus & Regulis pasculare cum suis bestiis bovinis, & aliis bestiis majo-

majoribus super suo tantum, & non super alieno, scil. in vigris, stipulis, & terris vacuis, & etiam in suis vineis cum illis bestiis, cum quibus deberent in die vindemiæ vuas vindemiatas ipsarum vinearum carrizare, existente semper cum dictis bestiis idoneo custode. Et si dictæ bestiæ bovinæ non essent suæ, dum tamen cum ipsis laboraret, vel carrizare deberet vuas vindemiatas, ut supra, tunc eo die in eis Sortibus sive Regulis possit in dictis locis pasculare, ut supra dictum est; & hoc non obstante aliquo Statuto in contrarium loquente.

De Bestiis non tenendis de nocte in Sortibus. Cap. LXXXIV.

ITEM, quod nulla persona super suo, nec super alieno, debeat tenere de nocte aliquas bestias minores aliqua occasione, nec etiam bestias majores, nisi causa cum dictis bestiis majoribus laborandi: & qui contrafecerit, puniatur de bestiis minoribus usque ad sex, & inde inferius pro qualibet, in v. sol., & de sclapo, in centum sol., & de malga, in x. libr; de bestiis vero majoribus pro qualibet, in xx. sol., & qui eas ibi teneret, in xl. sol. Et quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni.

De Bestiis majoribus damnum dantibus & custodibus earum, qualiter puniantur. Cap. LXXXV.

ITEM, quod si aliqua bestia magna inventa fuerit in dictis Regulis seu Sortibus, seu in aliqua earum faciens damnum in bladis, seu leguminibus, in vineis & olivis, & in aliis rebus fructiferis, guado, roza, lino, roso, & canevo, pro unaquaque reddat in die x. sol., in nocte vero duplum, & reddat damnum patienti, secundum quod erit per consortes, seu æstimatores constitutos ordinatum. Et illi, qui cum dictis bestiis inventus fuerit, puniatur in x. sol. pro uno quoque, & quaque vice in die, in nocte vero duplum. Si autem pasculaverit in pratis dictarum Sortium sive Regularum, emendet pro una quaque vice in die v. sol., & in nocte duplum, & reddat damnum: & custos, qui cum eis erit, puniatur in v. sol. in die, & in nocte duplum. In vigris vero, qui non secantur, nec soliti sunt secari, & in terris vacuis alienis ipsarum Regularum & Sortium, emendet pro qualibet vice in die xxx. denar., & in nocte duplum, & reddat damnum ut supra. Ita tamen quod ille, cujus erit illa bestia, non teneatur solvere, nec reddere de dicto damno dato seu æstimato, nisi tantum, quantum verisimile sit ipsam bestiam dare potuisse illa vice seu vicibus, quibus inventa seu manifestata fuerit damnum dedisse: residuum vero dicti damni restituatur per commune villæ, vel saltuarios, vel alias personas, quæ ad hoc de jure tenerentur. Et hoc idem intelligatur in omnibus, & singulis aliis Statutis loquentibus de damnis per bestias datis.

De Bestiis minoribus scilicet, de sclapo ovium damnum dantibus; & quot oves intelligantur esse sclapum, & quot malga.
Cap. LXXXVI.

ITEM, quod de bestiis minoribus, scil. de sclapo ovium, si inventæ fuerint in dictis Regulis & Sortibus, seu aliqua earum pascentes, seu damnum facientes in bladis, seu leguminibus, vineis, olivis, & aliis arboribus fructiferis, & garzonis, seu guado, vel roza, roso, lino, & canevo, emendet in die xl. sol., in nocte vero duplum, & reddat damnum patienti, secundum quod erit æstimatum, ut supra: & pecorarii, qui cum eis erunt, emendent x. sol. pro quoque in die, in nocte vero duplum. Et sclapum ovium intelligatur esse a sex superius usque ad quadraginta; abinde vero supra, intelligatur & dicatur malga ovium.

De Malga Ovium damnum dante. Cap. LXXXVII.

ITEM, de malga ovium, quæ inventæ fuerint in dictis Regulis seu Sortibus pascentes, aut damnum facientes in dictis bladis, leguminibus, vineis, & olivis, & in aliis arboribus fructiferis, & garzonis, guado, & roza, lino, & roso, & canevo, emendet pro qualibet vice centum sol. in die, in nocte vero duplum, & reddat damnum patienti, secundum quod erit æstimatum ut supra: & pecorarii, qui cum eis erunt, emendent pro quolibet in die x. sol., in nocte vero duplum.

De sex minoribus Bestiis, vel abinde infra, damnum dantibus.
Cap. LXXXVIII.

ITEM, quod si sex vel abinde infra de prædictis bestiis minoribus inventæ fuerint in prædictis bladis, seu rebus facientes damnum, seu pascentes, seu euntes per dictas Regulas vel Sortes, emendet pro unaquaque duos sol. in die, in nocte vero duplum, & reddat damnum patienti ut supra: & qui cum eis erit, emendet x. sol. in die, in nocte vero duplum.

De Capra & Hirco damnum dantibus. Cap. LXXXIX.

ITEM, quod si capra vel hircus inventi fuerint in vineis, olivis, & aliis arboribus fructiferis, hortis, et viridariis dictarum Regularum et Sortium, quia est animal de prædictis magis damnosum, emendet pro qualibet vice xx. sol. in die, in nocte duplum, et reddat damnum patienti, secundum quod æstimatum fuerit ut supra: et pecorarius, sive caprarius, qui cum eis erit, emendent xx. sol. in die, in nocte duplum. In bladis autem, & aliis prædictis rebus dictarum Regularum & Sortium ut sup., emen-

emendet in die pro qualibet v. sol., in nocte duplum, & reddat damnum patienti, secundum quod erit ęstimatum ut supra: & pecorarius, sive caprarius, qui cum eis erit emendet x. sol. in die, in nocte vero duplum.

De Bestiis minoribus prædictis ovinis & caprinis damnum dantibus in vigris, & herba silvatica, & pratis. *Cap.* XC.

ITEM, quod si bestiæ minutæ, videlicet, ovinæ & caprinæ iuventæ fuerint in dictis Regulis & Sortibus pascentes, seu damnum facientes in vigris, & herba silvatica, in die de sclapo emendet x. sol., & de malga xxx. sol., & usque ad sex & inde inferius xII. denar. pro quaque, & in nocte duplum, & reddat damnum patienti. Si vero in pratis solitis secari reperiantur ut supra, emendet in die de sclapo xx. sol., de malga lx. sol., & usque ad sex & inde inferius duos sol. pro quaque, & in nocte duplum, & reddat damnum ut supra: & pecorarii sive caprarii, qui cum eis erunt in pratis tantum emendent x. sol. pro quoque in die, & in nocte duplum: & sclapum caprarum sive hircorum intelligatur esse a sex superius usque ad xl., a xl. vero supra, intelligatur esse malga.

De Anseribus damnum dantibus. *Cap.* XCI.

ITEM, quod si anseres alicujus personæ damnum dederint in bladis, leguminibus, vineis, & herbis ad manducandum, & in hortalibus positis tam in civitate & burgis Veronæ, quam in districtu, quod illa persona, cujus essent, puniatur pro qualibet ansere, & qualibet vice in xII. denariis, & damnum reddat. Et de predictis stetur sacramento ejus, qui damnum substinuerit, cum probatione unius testis.

De Porcis damnum dantibus. *Cap.* XCII.

ITEM, quod de quolibet porco, & porca puniatur in duobus sol. in die, & in nocte duplum pro qualibet vice, & reddat damnum patienti: & porcarii, qui cum eis erunt, emendet quilibet v. sol. pro quaque vice in die, in nocte duplum. Et prædicta locum habeant tantum quando invenirentur in vigris, & herba silvatica. Si vero in bladis, leguminibus, vineis, & quibuscumque aliis rebus fructiferis, garzonis, guado, roza, roso, lino, & canevo, & aliis rebus esui aptis reperiantur, emendet pro quolibet porco sol. v., & reddat damnum ut supra, & porcarius, siue porcarii emendent pro quolibet x. sol. in die, & in nocte duplum.

Quod

Quod quælibet persona, cujus essent bestiæ facientes contra Statuta, pro suis famulis seu custodibus teneatur. Cap. XCIII.

ITEM, quod quælibet persona, cujus essent bestiæ cujuscumque generis facientes contra Statuta & ordinamenta communis Veronæ facta pro dictis Regulis & Sortibus, teneatur & debeat emendare ac solvere damna, & banna pro suis famulis seu custodibus ipsarum bestiarum secundum quod in ipsis Statutis & ordinamentis continetur. Salvo quod, si Dominus dictum suum famulum seu custodem condemnatum dederit, & præsentaverit in fortiam communis Veronæ, videlicet Judici Sortium, aut Vicario villæ infra terminum condemnationis solvendæ, tunc ipse Dominus ad ipsam condemnationem solvendam, & restitutionem damni faciendam pro dicto suo famulo seu custode taliter condemnato minime teneatur.

Qui manifestari non possint; & qui damnum dedisse intelligatur. Cap. XCIV.

ITEM, quod nullus minor septem annis possit nec debeat manifestari nec teneri in aliquo banno Sortium & Regularum, tam districtus Veronæ, quamm etiam circa civitatem & burgos Veronæ, licet reperiatur contra ordinamenta fecisse; & quod nulla persona possit nec debeat manifestari in stratis publicis, nec in aliquo alio loco, nisi reperiretur in Regulis & Sortibus fecisse, & facere contra Statuta & ordinamenta ipsarum Regularum & Sortium, sive communis. Et persona a septem annis supra, quæ per aliquem vel aliquos qui possint manifestare, inventa fuerit in stratis publicis, vel in aliis quibuscumque locis dictarum Regularum & Sortium, tam civitatis quam districtus, ducere, seu portare, vel habere ligna, herbas silvaticas, seu domesticas, vuas, seu alios fructus; vel aliquod aliud accepisse, vel fecisse contra Statuta seu ordinamenta dictarum Regularum & Sortium, sive communis Veronæ, intelligatur facere & fecisse, & damnum dedisse in dictis Regulis seu Sortibus: nisi dicta persona dictis saltuariis, vel aliis, qui manifestare possunt, requirentibus parata fuerit ostendere, & ostenderit manifeste locum proprium, vel quem saltem teneat vel laboret, de quo loco dicta res acceperit, & potuerit juste accipere, vel unde ad eam juste pervenerit; quod si non fecerit, puniatur secundum Statuta & ordinamenta dictarum Regularum & Sortium, sive communis, & emendet damnum passo, secundum quod fuerit æstimatum.

De

De pœna celantis nomen, & supranomen suum. *Cap. XCV.*

ITEM, quod si fuerit inventa aliqua persona per saltuarios, vel vicarium, aut Judicem, vel per aliquem alium, qui ex forma Statutorum manifestare potest, damnum dare in terris seu possessionibus, aut rebus alienis, vel aliquod committere, vel facere contra formam Statutorum, & celaverit vel mutaverit, vel etiam dicere noluerit nomen suum vel cognomen, vel nomen, & cognomen Domini sui, puniatur in centum sol. pro qualibet vice.

De pœna illius, qui cum persona damnum fecerit de bladis, vel leguminibus. *Cap. XCVI.*

ITEM, quod si aliqua persona fecerit, seu inventa fuerit in dictis Regulis seu Sortibus faciens damnum de bladis, & leguminibus, puniatur de fasce, vel minus fasce in xl. sol., de soma, in centum sol., de plaustro in x. lib. in die, et in nocte duplum, et emendat damnum ut supra. Eadem pœna puniatur, qui cum navi commiserit prædicta, vel aliquod prædictorum; & ille cujus esset navis, teneatur damnum datum solvere pro illis, qui in dicta navi essent, habendo regressum contra dictos damnatores, pro quibus solveret.

De poena facientis damnum de herba silvatica. *Cap. XCVII.*

ITEM, quod si aliqua persona fecerit, seu inventa fuerit in dictis Regulis seu Sortibus faciens damnum de herba silvatica, puniatur de fasce vel minus fasce, in decem sol., de soma, in xx. sol., de plaustro, in lx. sol. in die, et in nocte duplum, et reddat damnum patienti ut supra, eadem pœna puniatur qui cum navi commiserit prædicta, vel aliquod prædictorum, et ille cujus esset navis, damnum datum solvere teneatur pro illis, qui essent in dicta navi, habendo regressum contra damnatores, pro quibus solveret.

De poena facientis damnum de herbis ad manducandum, cæpis, fructibus, alliis, leguminibus, & aliis comedibilibus. *Cap. XCVIII.*

ITEM, quod si aliqua persona fecerit, seu inventa fuerit in aliqua dictarum Regularum et Sortium faciens damnum de herbis ad manducandum, seu fructibus, seu cœpis, alliis, et calognis, seu leguminibus, in tavellis aut granis ipsorum, vel aliis rebus comedibilibus, emendet de canistro et inde inferius xx. sol., de sacco xl. sol, de soma lx. sol de plaustro x. lib. in die, et in nocte duplum, et reddat damnum ut supra.

ſupra. Et illud idem intelligatur de garzonis, roſo, guado, roza; lino, & canevo, & ſeminibus eorum, & de aliis quibuſcumque ſeminibus. Et eadem pœna puniatur qui cum navi commiſerit prædicta vel aliquod prædictorum; & ille cujus eſſet navis, teneatur damnum ſolvere pro illis, qui in dicta navi eſſent, habendo regreſſum contra illos damnatores, pro quibus ſolveret.

De arboribus, plantonis, poſtillis, & ramis arborum, & cæſis non incidendis, cavandis, extirpandis, ſeu devaſtandis. Cap. XCIX.

ITEM, quod ſi aliqua perſona inventa fuerit in aliqua prædictarum Sortium & Regularum cavans, extirpans, ſeu incidens arborem fructiferam, ſeu aliquem plantonum olivarum, aut aliquem poſtillum ſubſtinentem vineam, vel feciſse aliquod de prædictis, puniatur in die de qualibet arbore, vel plantono olivarum, ſeu poſtillo ſubſtinente vineam in centum ſol. & in nocte duplum, & reddat damnum patienti pro qualibet vice. Si vero ramum alicujus arboris fructiferæ inciderit, ſeu ruperit, vel aliter devaſtaverit, puniatur pro quolibet, & qualibet vice in xx. ſol. in die, in nocte vero duplum, & reddat damnum. Eadem pęna puniatur, qui cum navi commiſerit prædicta, vel aliquod prædictorum; & ille cujus eſset navis teneatur damnum datum ſolvere pro illis, qui eſsent in dicta navi, habendo regreſſum contra illos damnatores, pro quibus ſolveret.

Item, de qualibet arbore non fructifera & de cæſis, emendet in die xx. ſol., in nocte duplum, & reddat damnum ut ſupra. Si vero cavaverit, ſeu inciderit vel extirpaverit, aut aliquo alio modo devaſtaverit aliquem plantonum alicujus arboris non fructiferæ, puniatur pro quolibet, & qualibet vice in x. ſol in die, in nocte vero duplum, & reddat damnum. Si vero plantonum alicujus arboris fructiferæ, præter plantonum olivarum, puniatur pro quolibet, & qualibet vice in in xx. ſol. in die, in nocte vero duplum, & reddat damnum. Eadem pœna puniatur, qui cum navi commiſerit prædicta vel aliquod prædictorum; & ille cujus erit navis teneatur damnum datum ſolvere pro illis, qui eſſent in dicta navi, habendo regreſsum contra dictos damnatores, pro quibus ſolveret.

De poena illius qui inciderit, vel extirpaverit, ſeu deſtruxerit alienas vites, ſeu de palmitibus earum. Cap. C.

ITEM, quod ſi qua perſona inciderit vel extirpaverit, ſeu deſtruxetit alienas vites exiſtentes in dictis Regulis & Sortibus, aut hortalibus, ſeu viridariis civitatis, burgorum, & villarum diſtrictus Veronæ, puniatur pro quolibet, & qualibet vice de qualibet vite inciſa, vel extirpata, ſeu

seu destructa a decem vitibus infra, in lx. sol. in die, in nocte vero duplum; abinde vero supra puniatur realiter & personaliter arbitrio D. Potestatis & totius curiæ vel majoris partis, inspecta qualitate, & quantitate damni, & conditione personæ & reddat damnum patienti secundum quod fuerit æstimatum. Si vero inciderit de palmitibus ipsarum vitium, puniatur de fasce & minus fasce in lx. sol., de soma in centum sol., abinde vero supra ad arbitrium D. Potestatis & totius curiæ, vel majoris partis, nisi prædicta omnia fecisset de licentia Domini ipsarum vinearum, & gastaldionis: & de prædictis omnibus & singulis, quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni.

De lignamine vinearum non accipiendo, seu deferendo. Cap. CI.

ITEM, quod si quis intraverit in aliquam prædictarum Sortium sive Regularum, & de lignamine acceperit, emendet de fasce & minus fasce xx. sol., de soma xl. sol., de plaustro centum sol. in die, & in nocte duplum, & reddat damnum. Et si aliqua persona inventa fuerit accipere seu accepisse, aut deferre de lignaminibus vinearum, sive suarum, sive alienarum, videlicet a prima die mensis Maii, usque ad Calendas mensis Martii sequentis, emendet pœnam, & bannum supradictum. Eadem pœna puniatur, qui cum navi commiserit prædicta vel aliquod prædictorum; & ille cujus esset navis, damnum datum solvere teneatur pro illis qui essent in dicta navi, habendo regressum contra dictos damnatores, pro quibus solverit; & de prædictis quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni. Si vero alicui, qui non habet vineas, vel arbores inventum fuerit lignamen in domo habere, vel circa, vel in curia, vel alibi, teneatur reddere rationem unde & quomodo illud habuerit, si inde per aliquem officialem vel consortem fuerit requisitus. Et si rationem non reddiderit præsumatur illud abstulisse damnose, & priori conquerenti de eodem damno de prædicto lignamine sibi invento satisfacere compellatur, tanquam si constiterit eum damnum dedisse. Et quilibet præsummatur damnum dedisse, qui vineas, vel fructus non haberet in illa parte, in qua abstulerit de illis, nisi de licentia Domini illius loci unde abstulisset, hoc fecisset, de qua licentia juramento ipsius Domini stetur.

Quod nulla persona supra dorsum portet de aliquibus lignaminibus ab occasu solis usque ad ortum; & quod nullus operarius veniens a laborerio portet secum aliqua ligna. Cap. CII.

ITEM, quod nulla persona audeat vel præsumat ducere, seu portare supra dorsum ad domum, vel alio de aliquibus lignaminibus suis, vel alienis ab occasu solis, usque ad ortum solis sequentis diei, & qui contra-

trafecerit, puniatur pro quolibet, & qualibet vice in xx. fol.. Et quod nullus operarius veniens a laborerio alicujus audeat fecum ducere aliqua ligna de dictis Sortibus, banno prædicto: & de prædictis omnibus quilibet fit accufator, & habeat medietatem banni, & credatur accufatori cum uno tefte, & cum facramento.

De poena accipientis, feu incidentis de lignis Nemorum. Cap. CIII.

ITEM, quod fi aliqua perfona inciderit, vel inventa fuerit incidere, feu inventa fuerit accipere de lignis nemorum alicujus perfonæ dictarum Regularum feu Sortium, vel alicujus communis, feu univerfitatis districtus Veronæ, puniatur de fafce vel minus fafce in x. fol., de foma in xx. fol., de plauftro in xl. fol., in die, & in nocte duplum, & reddat damnum patienti. Eadem pœna puniatur, qui cum navi commiferit prædicta vel aliquod prædictorum; & ille cujus effet navis, damnum datum folvere teneatur pro illis qui effent in dicta navi, habendo regreffum contra dictos damnatores, pro quibus folverit.

Quod nulla perfona intret in aliquam prædictarum Sortium & Regularum fine licentia. Cap. CIV.

ITEM, quod fi aliqua perfona intraverit in aliquam prædictarum Sortium five Regularum fine licentia gaftaldionis & faltuariorum, emendet pro unaquaque vice in die x. fol., & in nocte duplum, & reddat damnum. Et per hoc Statutum non intelligatur effe alicui perfonæ prohibitum intrandi terras, & poffeffiones quas habet, feu laborat in dictis Regulis feu Sortibus & quod dictam licentiam dicti gaftaldiones, feu faltuarii dare non poffint alicui perfonæ intrandi dictas Regulas feu Sortes, nifi efset jufta cauffa dandi.

De poena euntis per alienas terras fine licentia Domini. Cap. CV.

ITEM, quod fi quis iverit cum perfona, & beftiis, five cum plauftro, aut plovo, vel fine, per alienam terram fine licentia Domini, emendet de perfona quinque fol., & de beftiis fine plauftro, vel plovo quinque fol. pro quaque, de beftiis cum plauftro, vel plovo x. fol. pro quaque, & qualibet vice in die, & de nocte duplum, & reddat damnum.

De

De poena intrantis hortum, broilum, seu viridarium, vel clausuram alicujus sine licentia Domini. Cap. CVI.

ITEM, quod nullus intret hortum, broilum, seu viridarium, vel clausuram alicujus sine licentia Domini illius rei, vel ejus uxoris, vel filii adulti: & si in aliquo prædictorum fuerit contrafactum, puniatur contrafaciens in lx. sol., & in restitutione damni; & quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni.

De poena intrantis in alienis bladis & leguminibus, vineis, lino, & roza, caussa sparaverandi. Cap. CVII.

ITEM, quod nulla persona debeat intrare in alienis bladis, leguminibus, vineis, miltio, panico, millica, lino, & roza, caussa sparaverandi. Salvo quod nobiles cives civitatis Veronæ, videlicet illi tantum qui sparaverium habuerint, intrare possint in prædictis occasione prædicta, & non alii: & si quis contrafecerit, puniatur in c. sol. pro quolibet; & qualibet vice; & quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni.

De Cazzatoribus, Civetatoribus, & Oselatoribus puniendis intrantibus alienas terras, frugibus in eis pendentibus. Cap. CVIII.

ITEM, quod nullus venator, civetator, vel aucupator intrare debeat terras alienas frugibus pendentibus in ipsis terris, caussa carzandi, civetandi, vel oselandi, seu alia de caussa, quæ esset contra ordinamenta Regularum & Sortium: & si quis contrafecerit, puniatur pro quolibet, & qualibet vice in lx. sol.; & quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni. Et per hoc Statutum non derogetur in aliquo superiori proximo Statuto.

De Vindemiantibus, seu accipientibus de uvis alicujus dictarum Sortium & Regularum. Cap. CIX.

ITEM, quod si aliqua persona vindemiaverit vel acceperit, seu inventa fuerit vindemians, vel accipiens de uvis dictarum Regularum & Sortium, emendet de canistro & inde inferius lx. sol., de soma centum sol., de plaustro lib. x. in die, in nocte vero duplum; & reddat damnum patienti. Eadem vero pœna puniatur, qui cum navi commiserit prædicta, vel aliquod prædictorum & ille cujus esset navis teneatur damnum datum solvere pro illis de navi, habendo regressum contra illos damnatores, pro quibus solverit.

De vindemiantibus, seu facientibus mustum ante diem vindemiæ.
Cap. CX.

ITEM, quod nulla persona de Verona, & districtu possit, nec debeat vindemiare, neque mustum facere in brentis, neque in situlis, aut similibus ante diem vindemiæ faciendæ, & ordinandæ per gastaldiones & consortes Sortium & Regularum, & massarios villarum cum voluntate consortium, nec etiam accipere vuam in canistris, nec aliis vasis, nec gremiis, nec rociis, nec aliquo alio modo de suis vineis nec alienis: & qui contrafecerit, puniatur in lx. sol. scil. ille qui vindemiaverit; sed qui mustum fecerit, puniatur in centum sol., & in utroque casu in amissione vuarum, & restituat damnum patienti. Et saltuarii teneantur sacramento accusare facientes contra prædicta, banno prædicto pro quolibet, & qualibet vice: & de hoc quilibet sit accusator, cujus banni medietas sit communis, & alia accusatoris. Et hoc Statutum intelligatur, & observetur remota omni consuetudine de vindemiis interdicendis, & alia quæ in contrarium esset.

Quod nulla persona, post vindemiam illius terræ peractam, teneat vuam, caussa faciendi mustum. Cap. CXI.

ITEM, quod nulla persona debeat tenere, vel habere vuam in domo sua, vel alibi in aliqua terra post vindemiam illius terræ peractam, nisi in corcinis suspensam, vel in stanghis, vel alibi publice causa salvandi sine fraude, & non caussa faciendi mustum; & si quis vuam tenuerit absconsam, vel causa faciendi mustum habuerit post vindemiam peractam ut dictum est, vel quocumque modo fecerit contra prædicta vel aliquod prædictorum, pro qualibet vice, & quolibet capitulo puniatur in centum sol., & vuam amittat: & quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni. Et qui emerit dictam vuam, emendet pro qualibet vice centum sol.; & de hoc quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni, & alia medietas sit communis. Et quod nulla persona possit, nec debeat aliquo modo vel ingenio, facere nec fieri facere mustum, neque vindemiare vuas in aliquo vase de suis vineis, nec de alienis ante vindemiam ordinatam per gastaldiones & consortes Sortium & Regularum, & massarios villarum cum voluntate consortium; & qui contrafecerit, puniatur pro quolibet, & qualibet vice in centum sol., & in amissione vuæ: & de hoc quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni, & alia medietas sit communis.

De laborantibus vinearum ad drictum, quod non audeant portare vuas de ipsis vineis. Cap. CXII.

ITEM, quod nulla persona die vindemiæ vinearum, nec ante ipsam diem audeat, vel præsumat de die, vel de nocte per se vel alios, portare, seu portari facere aliquo modo vuas de vineis quas laboraret ab aliqua persona ad drictum, die vero vindemiæ possit portare, seu portari facere de dictis vuis cum licentia Domini a quo laboraret dictas vineas, vel ejus nuncii, & aliter non; & qui contrafecerit puniatur pro quolibet, & qualibet vice in lx. sol. in die, & in nocte duplum, & reddat damnum patienti; & de hoc quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni; stetur que sacramento Domini cum probatione unius testis.

De Spicatoribus, quo tempore non debeant intrare in campos frugum. Cap. CXIII.

ITEM, quod nullus spicator, vel spicatrix debeat intrare in campos blavorum, vel leguminum, donec covæ non fuerint ligatæ, nec in vineas donec non fuerint vindemiatæ, nec etiam in vineas alicujus Sortis, donec omnes vineæ illius Sortis non fuerint vindemiatæ, nec in olivis, donec olivæ non fuerint collectæ. Et qui contrafecerit detineatur personaliter, & conducatur in fortiam communis Veronæ, scil. officii Judicis Sortium, vel Vicarii villæ, & pro quolibet, & qualibet vice puniatur in x. sol., & quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni.

De Vindemiatoribus, qui vindemiant alicui personæ, quod non portent vuas ab ipsis vineis. Cap. CXIV.

ITEM, quod vindemiatores alicui personæ vindemiantes, non audeant, nec præsumant portare seu ducere vuas a vineis, quas vindemiassent; & qui contrafecerit puniatur pro quolibet, & qualibet vice in xx. sol., & reddat vuas cui abstulisset nisi ipsas ducerent seu portarent ad domum illius personæ cui vindemiassent, & quidem de ejus scientia, & mandato; & de hoc stetur sacramento illius cui vindemiassent.

Quod liceat Gastaldioni, & Fidejussori vindemiare per unum diem ante suos Consortes. Cap. CXV.

ITEM, quod liceat gastaldioni, & fidejussori vindemiare per unum diem ante suos consortes; pluribus autem ex consortibus dictæ Sortis Judex, vel Vicarius possit dare licentiam vindemiandi, si placuerit consortibus dictæ Sortis. *Quod*

Quod quilibet Gastaldio faciat simul esse omnes consortes caussa ordinandi vindemiam, per quatuor dies ante vindemiam. Cap. CXVI.

ITEM, quod quilibet gastaldio teneatur & debeat facere simul esse omnes consortes causa ordinandi vindemiam per quatuor dies ante vindemiam, & tunc sint appellati omnes consortes: & qui contrafecerit, puniatur pro quolibet, & qualibet vice in xx. sol.. Quæ vindemia fieri non possit nisi elapsis quatuor diebus ab eo die, quo ipsa vindemia fuerit ordinata: salvo quod propter hoc non derogetur iis, quæ in superiori proximo Statuto continentur.

De poena cavantis, seu extirpantis Terminos de confinibus alicujus. Cap. CXVII.

ITEM, quod si aliqua persona cavaverit seu extirpaverit, seu extirpari seu cavari fecerit manualiter de confinibus terminos alicujus, emendet pro qualibet vice xxv. lib. pro quoque termino, & terminus in suo statu redigatur. Si vero cum aratro, & non fraudulenter cavaverit, seu extirpaverit, tunc illa talis persona teneatur illa die, vel sequenti denunciare illis personis tenentibus, & laborantibus terras confinantes dicto termino, vel ad domum suæ habitationis, *qualiter dictum terminum, cum aratro extirpaverit non fraudulenter, & quod ipsum terminum, sive terminos paratus est reponere suis expensis in suo pristino statu*; quod si non fecerit, puniatur in centum sol.; & nihilominus dictum terminum, seu terminos in pristinum statum suis expensis reducere teneatur.

De poena cavantis in fossatis alicujus, vel alibi in Regula seu Sorte, caussa faciendi cretam, seu accipiendam menaizzam. Cap. CXVIII.

ITEM, quod nulla persona tam de consortibus, quam alienis debeat fodere in fossatis alicujus personæ, vel in stratis publicis, seu viis consortalibus seu vicinalibus seu alibi in dicta Regula vel Sorte, occasione faciendi creram, seu faciendi menaizzam & qui contra prædicta fecerit, emendet pro unoquoque, & unaquaque vice, pro fossato x. sol.; de stratis vero publicis, seu viis consortalibus, aut vicinalibus ut supra, lx. sol., & reddat damnum patienti: & de prædictis omnibus quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni.

De

De poena facientis fossatum, seu scolantis, aut cavantis, ita quod aqua aliis damnum faciat. Cao. CXIX.

ITEM, quod si quis fecerit fossatum, vel scolaverit, vel foderit, vel fodere fecerit, ita quod aqua damnum fecerit in alienis terris, vel pratis, seu bladis, seu in aliis rebus, emendet in die x. sol., & in nocte duplum pro quolibet, & qualibet vice, & reddat damnum; & dictum fossatum in pristinum statum reducatur expensis ejus, qui illud fecerit, seu fieri fecerit, banno prædicto.

De fossatis communibus mundandis, & cavandis, & sepibus reficiendis, si alter ipsorum voluerit. Cap. CXX.

ITEM, quod si aliqui consortes inter se habuerint fossatum commune in confinibus prædiorum suorum, & alter ipsorum voluerit mundari, vel cavari facere fossatum, quod alter compellatur pro parte sua idem facere, vel solvere expensis cavaturæ pro parte sua, si hoc necesse fuerit. Idem intelligatur aliquis habuerit fossatum in parte superiori, quod fossatum consuevit derivare ad terram vel fossatum inferioris vicini, si vicinus superior voluerit cavare fossatum suum indigens cavatura, quod inferior vicinus similiter teneatur cavare, vel cavari facere suum fossatum, ita quod aqua libere possit decurrere, dummodo prædictis supetant facultates ad prædicta facienda. Hoc idem observetur in sepibus reficiendis in confinibus casamentorum, hortorum, sive aliorum prædictorum.

Quod quilibet Consors possit facere, seu cavare longe a Termino per unum pedem; fornaserii vero, per duos pedes. Cap. CXX.

ITEM, quod quilibet consors possit facere fossatum, seu cavare a termino longe per unum pedem; & si contra hoc fecisset, removeatur ad petitionem gastaldionis: & qui contrafecerit, puniatur in xx. sol., & si factum fuisset reducatur in suo statu. scil. impleatur. Sed fornaserii cavantes terrenum pro fornacibus stare debeant longe a termino per duos pedes, sub pœna xl. sol., & reducendi quod fecissent in pristinum statum.

Per quantum spatium arbores & vineæ plantari debeant longe a Termino confintim, & de cæsis. Cap. CXXII.

ITEM, quod quilibet consors, seu quælibet alia persona volens plantare aliquam arborem fructiferam vel non fructiferam, illam debeat plantare longe a termiuo confinium per tres pedes, & non minus; vineam

vineam vero si plantare voluerit, ipsam plantare possit, & debeat longe ab ipso termino per unum pedem, & non minus. Et si aliqua arbor fructifera, vel non fructifera nasceretur prope dictum terminum infra dictos tres pedes, quod ipsa debeat extirpari per eum, in cujus terra nata fuerit infra tres dies, postquam eidem præceptum fuerit; & qui contrafecerit, emendet xl. sol. pro quolibet, & qualibet vice, & arbore, & ipsas arbores removere teneatur: exceptis cæsis, quæ possint in confinibus plantari, quæ tamen ascendere non possint in altitudinem ultra quantitatem viij pedum. Et hoc Statutum futuris det formam negotiis, & non ad præterita revocetur, & non habeat locum in cæsis existentibus prope vias, nec in nemoribus.

De poena ponentis ignem in Campanea, vel in terris, vel in rebus. Cap. CXXIII.

ITEM, quod si aliqua persona posuerit, seu inventa fuerit ponere ignem in campanea Veronæ, vel in pratis, seu terris cum vineis, vel sine vineis, seu cum olivis, seu aliis arboribus fructiferis, sive nemoribus, aut stipulis, sive blavis, aut aliis rebus in districtu Veronæ, emendet pro unoquoque, & quaque vice centum sol., & reddat damnum patienti secundum æstimationem factam de eis damnis, nisi dicta talis persona licentiam habuisset a Judice Sortium, vel Vicario Villæ, & non fecerit damnum.

De quibus credatur uni Consorti cum uno teste, & sine teste, & usque ad quam quantitatem. Cap. CXXIV.

ITEM, quod uni consorti cum uno idoneo teste credatur cum sacramento in manifestando, & ejus manifestationi stetur, & credatur: de damni vero quantitate ipsi consorti aut Domino rei cum dicto teste & juramento credatur, & stetur usque ad quantitatem, seu valorem lx. sol.; usque vero ad quantitatem xx. sol., credatur uni consorti, aut Domino rei cum sacramento sine aliquo teste de damno sibi dato, inspecta qualitate & conditione ipsius consortis, & Domini.

De duobus Consortibus, aut pluribus invenientibus personas, seu bestias facientes damnum. Cap. CXXV.

ITEM, quod si duo ex consortibus vel plures ex eis simul aliquam personam, seu bestias de supradictis invenerint facientes damnum in dictis Regulis, seu Sortibus, aut aliter contrafacientes, puniatur secundum regulas factas sive Statuta communis Veronæ jurando, & affirmando per sacramentum ita esse.

De

De uno Saltuario cum uno Consorte jurante, quod eorum manifestatio valeat, ac si ambo essent Jurati, sive saltuarii. Cap. CXXVI.

ITEM, si unus saltuarius solus aliquam personam seu bestias supradictas invenerit facientes damnum contra Regulas ordinatas, & aliquis ex Sortibus foret secum, qui consors illud ita esse verum affirmaverit per sacramentum coram Judice vel Vicario, citato adversario, manifestatio eorum valeat & teneat, ac si ambo essent saltuarii, seu jurati.

De uno Saltuario cum uno Famulo Judicis vel Vicarii jurante, quod eorum manifestatio valeat. Cap. CXXVII.

ITEM, quod si unus saltuarius solus cum famulo sive viatore Judicis Sortium aut Vicarii villæ invenerit facientes damnum, vel contra Regulas ordinatas, & ipse famulus, sive viator illud sacramento affirmaverit, talis manifestatio valeat & teneat, & super ipsa procedatur.

De Judice vel Vicario solo, quod ejus manifestatio valeat usque ad summam libr. trium. Cap. CXXVIII.

ITEM, quod Judex Sortium, & quilibet Vicarius villæ etiam solùs possit manifestationes facere de bannis & damnis datis usque ad summam lx. sol., & eis sine alio juramento credatur usque ad dictam summam.

Quod quilibet Consors debeat venire, seu mittere ad Sortem quando simu erit coadunata. Cap. CXXIX.

ITEM, quod quilibet consors alicujus Sortis teneatur & debeat venire, seu mittere ad Sortem, quando simul erit coadunata per præceptum gastaldionis & fidejussoris, seu Judicis vel Vicarii; & qui contrafecerit, emendet pro unoquoque, & unaquaque vice duos solidos.

Quod nullus Consors debeat se a Sorte separare, quando simul erit coadunata. Cap. CXXX.

ITEM, quod nullus consors se debeat a Sorte separare quando simul erit coadunata, sine verbo, & licentia gastaldionis, & qui contrafecerit, puniatur pro unoquoque, & unaquaque vice in duobus solidis.

De poena Confortis, qui Fidejufforem pignerari permiferit pro fuo facto.
Cap. CXXXI.

ITEM, quod fi quis confors permiferit fidejufforem pro fuo facto pignerari quod non attendiffet præcepta gaftaldionis, aut Judicis vel Vicarii, emendet pro unoquoque, & unaquaque vice x. fol., & poftea attendat.

De poena Confortis, qui permiferit de fe reclamum fieri pro negotio Sortis.
Cap. CXXXII.

ITEM, quod fi quis confors permiferit reclamum de fe fieri pro aliquo negotio ad Sortes pertinente, de eo quod recufaffet præcepta gaftaldionis, aut Judicis, vel Vicarii coram D. Poteftate & fuis Judicibus, feu Judicibus Confulibus communis Veronæ, & placitum amiferit, feu deferuerit, emendet pro unoquoque, & unaquaque vice xl. fol., & poftea attendat; & fi inde facramentum in dicta cauffa fuiffet factum, de facramento gaftaldionis puniatur in xx. fol., de facramento fidejufforis in x. fol., de quolibet alio facramento in v. fol. fi cauffam illam amififfet, vel deferuifset.

Quod nullus Confors debeat fuam herbam dare alicui ad faciendum, nifi prius data notitia Gaftaldioni, vel Fidejuffori.
Cap. CXXXIII.

ITEM, quod nullus confors dare debeat fuam herbam alicui perfonæ ad faciendum, nifi prius dixerit gaftaldioni, vel Fidejufsori; & qui contrafecerit, puniatur pro qualibet vice in x. folidis.

Quod quilibet Gaftaldio poffit & debeat ponere occulte Juratos fupra Saltuarios.
Cap. CXXXIV.

ITEM, quod quilibet gaftaldio poffit & debeat ponere ad fuam voluntatem occulte juratos fupra faltuarios, qui poffint & debeant cuftodire, & falvare omnes res in dictis Regulis pro tempore nafcentes, & qui poffint & debeant omnes facientes contra Regulas manifeftare; & Judex Sortium, vel Vicarius, vel alius Judex de ponendo fupra faltuarios in ipfis Regulis feu Sortibus nullo modo fe intromittat.

De

De poena Consortis, qui fecerit dedecus Gastaldioni vel Fidejussori, vel dismentiverit eos. Cap. CXXXV.

ITEM, quod si quis consors fecerit dedecus, vel dismentiverit gastaldionem aut fidejussorem exercendo officium Sortis, in xx. sol. pro quolibet, & qualibet vice puniatur, & postea attendat præceptum gastaldionis.

De poena Consortis, qui dismentiverit aliquem ex Consortibus coram Gastaldione, vel Fidejussore. Cap. CXXXVI.

ITEM, quod si quis consors dismentiverit aliquem ex consortibus coram gastaldione vel fidejussore, emendet pro quolibet, & qualibet vice decem solidos.

De poena Consortis, qui fregerit verba Gastaldionis quando arrengaverit. Cap. CXXXVII.

ITEM, quod si quis ex consortibus Regulæ fregerit verba gastaldionis quando arrengaverit inter consortes, puniatur pro omni vice, & pro quolibet in duobus solidis.

De poena illius, qui impediverit Consortem surgentem ad dicendum. Cap. CXXXVIII.

ITEM, quod si quis ex consortibus surrexerit ad arrengandum, sive dicendum de negotiis Sortis, & aliquis impediverit, emendet pro quolibet, & qualibet vice duos solidos.

De poena illius, qui jussus tacere recusaverit. Cap. CXXXIX.

ITEM, quod si gastaldio præceperit in Sorte, quod omnes quiescere, & tacere debeant, dum ille qui dixerit dicere voluerit de factis Sortis, nec suum dictum rumpere usque ad finem dicti sui, & aliquis contrafecerit, emendet duos sol. pro quoque, & quaque vice.

De poena Consortis, qui percusserit Gastaldionem vel Fidejussorem. Cap. CXL.

ITEM, quod si quis ex consortibus percusserit gastaldionem vel fideiussorem suum officium exercentem, emendet pro unoquoque, & unaquaque vice centum solidos.

De poena Consortis, qui alium Consortem percusserit in Sorte coadunata.
Cap. CXLI.

ITEM, si quis ex consortibus percusserit aliquem ex consortibus coram gastaldione vel fidejussore in Sorte coadunata, emendet pro unoquoque, & unaquaque vice xl. sol., & hoc intelligatur occasione Sortis.

Quod nullus Consors secum ducat ultra tres personas in Sorte, sive Regula.
Cap. CXLII.

ITEM, quod nullus consors debeat secum ducere ultra tres personas in Sorte seu Regula, nisi de licentia gastaldionis vel fidejussoris tantum supra suum: & qui contrafecerit, puniatur quinque solidis pro quolibet, & pro qualibet vice, & consors teneatur pro illis personis solvere, quas secum duxerit.

De uno libro memoriali habendo per Iudicem Sortium, & quemlibet Vicarium villæ, in quo Notarii eorum manifestationes scribant; & quid prædicti facere debeant. Cap. CXLIII.

ITEM ordinamus, quod Judex Sortium & quilibet Vicarius villæ teneantur habere penes se unum librum memorialem, in quo eorum notarii teneantur manifestationes omnes scribere, quæ fierent, & fieri vellent per saltuarios ipsarum Sortium seu Regularum, & omnes alios qui secundum Statuta, & ordinamenta manifestare possint, die ipsa qua dicta manifestatio fuerit facta; ad quæ fieri facienda, dictus Judex & Vicarii vinculo sacramenti & banno libr. x. teneantur. Et notarii, qui neglexerint vel omiserint facere prædicta, condemnentur pro quolibet, & qualibet vice in lx. sol., & plus & minus, inspecta qualitate negotii. Et quod dicti tabelliones nullam recipiant solutionem a saltuariis, seu aliis personis manifestantibus, quæ manifestare possunt secundum formam Statuti, nec a gastaldionibus, seu fidejussoribus ipsarum Sortium & Regularum pro scribendis manifestationibus, seu scripturis ipsarum manifestationum, nisi solummodo a manifestatis: & si contigerit aliquem manifestatum ab aliqua manifestatione absolvi, quod expensæ ipsi manifestato restituantur per manifestantem seu manifestantes. Teneantur etiam dicti Judex & Vicarii vinculo sacramenti infra mensem, ex quo sibi facta fuerit manifestatio, inquirere, & absolvere vel condemnare manifestatum cum restitutione damni, seu æstimationis ipsius damni facienda ei, qui damnum passus fuerit. Et cognoscere, ac procedere possint & debeant contra malefactores ex officio suo, omni die feriato & non feria-

feriato, exceptis ferijs solemnibus in honorem Dei introductis, & summarie, & sine aliqua juris solemnitate, & sine aliqua scriptura inde facienda, data dilatione ipsi manifestato octo dierum & non ultra, ad sui defensionem & probationem faciendam, nisi justa caussa esset dictum tempus prorogandi; & si dicta causa subesset prorogationi, tunc dictus Judex & Vicarij ipsum tempus usque saltem ad alios octo dies & non ultra, possint prorogare.

De inquisitione facienda per Judicem & Vicarios contra Damnatores. Cap. CXLIV.

ITEM, quod dictus Judex Sortium & quilibet Vicarius teneantur & debeant inquirere a consortibus, & ab alijs quibuscumque personis quas volverint, pro inveniendo omnes & singulas personas, de quibus esset vox & fama, quod essent vel fuissent consueti damnatores in aliqua Sorte dictarum Regularum & Sortium existentium tam circa civitatem & burgos Veronæ, quam in districtu; & si quos repererint facere vel fecisse damna dictis Sortibus seu Regulis, de quibus alias puniti seu condemnati non fuissent, puniant & condemnent eos pro unoquoque, & unaquaque vice, secundum Statuta & ordinamenta communis Veronæ pro ipsis Regulis & Sortibus facta.

De commissionibus committendis per dictum Judicem, & Vicarios. Cap. CXLV.

ITEM, quod dictus Judex & Vicarij ad postulationem gastaldionum ipsarum Sortium & Regularum, & massariorum villarum teneantur & debeant commissiones generales committere pignerandi omnes debentes aliquid dictis Sortibus, seu gastaldionibus, seu communibus occasione dictarum Regularum & Sortium, sine aliqua citatione facienda; quas commissiones teneantur etiam facere Dominis, quibus damnum fuisset datum, pro damno sibi dato.

HÆC SUNT STATUTA LOQUENTIA DE REGULIS ET SORTIBUS VILLARVM TANTUM DISTRICTUS VERONÆ.

Quod quilibet habens possessiones in villis possit Juratos & Saltuarios ponere ad manifestandum. Cap. CXLVI

ITEM, quod quilibet tam de civitate, quam de villis Veronæ habens possessiones in villis districtus Veronæ, possit Juratos; seu saltua-

tuarios ponere, qui possint & debeant omnes personas & bestias manifestare facientes damnum, & contra regulam vel regulas ordinatas, & qui erunt secundum regulas supradictas manifestati damnum emendare & restituere debeant, & bannum solvere, secundum quod de alijs rębus superius nominatis.

De saltuaria solvenda Saltuariis villarum; & quod infra duos menses debeant sibi de ea facere solvi. Cap. CXLVII.

ITEM, quod de cætero saltuarijs communium omnium villarum districtus Veronæ pro saltuaria bladorum, leguminum, & aliarum frugum, & reddituum terrarum aratoriarum & laboratoriarum, vinearum, olivarum, & pratorum non existentium in Sorte, fiat solutio ipsius saltuariæ per laboratores earum in denarijs tantum, videlicet, vi. denarijs parvulis tantum pro quoque campo; pro alijs vero terris & possessionibus villarum existentibus in Sorte, fiat solutio saltuariæ saltuarijs ipsarum Sortium similiter tantum in denarijs per laboratores ipsarum terrarum, secundum quod per consortes ipsarum Sortium fuerit ordinatum: & si in alijs rebus dicta solutio fieret, solventes & accipientes pro quolibet, & qualibet vice puniantur in c. sol.. Et si dicti saltuarij acciperent pro saltuaria ultra id, quod ex forma præsentis Statuti accipere deberent, puniantur pro qualibet vice in c. sol., & in restitutione ejus quod ultra acceperint, facienda ei, cui accepissent: & de prædictis quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni. Ad quam solutionem saltuariæ dictis saltuarijs faciendam Vicarius omnes debentes solvere realiter & personaliter compellat summarie, sine aliqua scriptura facienda, & eos pignerari faciat realiter & personaliter sine aliqua citatione, si de hoc fuerit requisitus, infra duos menses a die exitus officij dictorum saltuariorum; infra quos quilibet saltuarij teneantur & debeant petere & exigere omnem eorum saltuariam: aliter autem eis postea audientia non præbeatur, & præsumatur debitorem solvisse, si solutionem allegaverit.
* Videatur cap. lix. hujus libri.

De modo & forma dandi & ponendi Saltuarios terris, pratis, vineis, olivis, & nemoribus. Cap. CXLVIII.

ITEM, quod si aliqua persona de Verona & Veronensi districtu regulaverit, & regulari fecerit, vel in Sortem ponere volverit terras, prata, vineas, olivas, aut nemora, & saltuarios habere non poterit, qui velint ipsam Regulam vel Sortem custodire, quod tunc massarius, commune, & homines ipsius villæ, in pertinentia cujus dictæ possessiones regulatæ, seu in Sortem positæ fuerint, teneantur & debeant dare saltuarios cuilibet petenti, bonos & legales homines ipsius terræ, ad dictam

ctam Regulam custodiendam seu Sortem: quod si facere recusaverint, tunc Vicarius dicti loci possit & debeat ipsos massarios, commune, & homines constringere ad supradicta complenda, tam die feriato, quam non feriato. Et si terræ, vineæ, prata, olivæ, & nemora, vel aliæ possessiones, quæ esset de iurisdictione alicujus villæ inhabitatæ laborarentur, & regularentur seu in Sortem ponerentur, quod massarius, commune, & homines villæ proximioris illi villæ inhabitatæ teneantur & debeant petenti dare bonos & idoneos saltuarios pro custodiendo ipsam Regulam seu Sortem; quod si facere recusaverint, dictus Vicarius eos constringere teneatur ut supra: hoc addito, & expressim dicto, quod nullus possit banna imponere dictis Regulis, nisi de voluntate & consensu dicti Vicarij, ad cujus officium & judicium omnia banna, & manifesta sive denunciationes dictorum saltuariorum deferantur.

De custodia facienda per Saltuarios in Sortibus & Regulis villarum. Cap. CXLIX.

ITEM, quod saltuarij Sortium & Regularum existentium in villis, ubi sunt etiam vineæ, vel olivæ, teneantur & debeant stare continue in Sortibus, de quibus fuerint saltuarij constituti de die & de nocte, a Calendis Iunij usque ad vindemias factas illarum Sortium, de quibus fuerint saltuarij, & dicto tempore se non debeant a dictis Sortibus separare, nisi occasione faciendi suas manifestationes, vel alia justa caussa; & si dicta occasione voluerint se a dictis Sortibus separare, semper unus eorum saltuariorum remaneat in Sorte caussa officij exercendi, & incontinenti factis suis manifestationibus debeant ad suam Sortem custodiendam redire. Facta vero vindemia, dicti saltuarij non sint adstricti stare in suis Sortibus de nocte, sed quilibet ipsorum ire teneatur ad suas Sortes custodiendas, omnique die circuire & circare usque ad alias Calendas Junij. Quod si non observaverint, puniantur pro quolibet, & qualibet vice in x. sol. pro tempore, quo debent stare continue de die & de nocte; pro alio vero tempore, quo tenentur ire tantum in die, in v. sol., & nihilominus damna emendare teneantur. Vbi vero non sunt vineæ, nec olivæ, dicti saltuarij ire teneantur omni die ad suas Sortes & Regulas custodiendas, & ipsas circare & circuire, ut supra, bannos v. sol. pro quolibet, & qualibet vice. * Conferatur cum cap. LVIII. hui. libri.

Ne Saltuarij Sortium Villarum vim faciant ut pignera dentur sibi. Cap. CL.

ITEM, quod ſaltuarijs non liceat auferre pignera vi ab illis qui Regulam fregerint, ſine commiſſione Vicarij; illa autem quiete, & voluntarie accipere poſſint: niſi tempore inventionis, quando damnum dantes eſſent alterius juriſdictionis.

Vt damna denuncientur Dominis prædiorum per Saltuarios. Cap. CLI.

ITEM, quod omnes & ſinguli ſaltuarij Regularum & Sortium terrarum, & poſſeſſionum diſtrictus Veronæ, per ſe vel per alios pro eis, teneantur denunciare Dominis prædiorum, de quibus ſaltuarij ſunt, aut domui, aut familiæ ſuæ damna, quæ ipſi Domini ignorarent eis data in ipſis prædijs, & dare damnatores infra xv. dies a tempore damni dati: quod ſi non fecerint, teneantur damnum emendare eis, quibus fuerit illatum, ſecundum quod fuerit æſtimatum, vel ſecundum quod fuerit probatum, data electione ipſis damnum paſſis probandi, vel faciendi ęſtimari. Et quod Judex Sortium, vel Procuratorum communis Veronæ, vel Vicarius villæ teneatur ipſos ſaltuarios & eorum ſecuritates compellere ad emendationem ipſorum damnorum, ſecundum quod fuerit probatum, vel ęſtimatum, niſi ipſi ſaltuarij darent damnatores, & manifeſtationes de eis legitime factas; quæ damna a dictis ſaltuarijs peti poſſint ſolummodo infra duos menſes continuos a tempore, quo ipſi Domini ſciverint dictum damnum eſſe datum. Et de ſcientia, & ignorantia credatur, & ſtetur ſacramento ipſorum Dominorum: & hoc non obſtante ali quo Statuto in contrarium loquente, niſi aliter de ſcientia legitime probaretur.

De Regulis, & Bannis, ac Manifeſtis non alienandis. Cap. CLII.

ITEM, quod commune vel officiales alicujus villæ non poſſint nec debeant vendere nec locare, ſeu pigneri obligare, ſeu aliquo modo alienare Regulas, vel banna, & manifeſta ſui communis: & quicquid contrafactum fuerit, ſit ipſo jure nullum, & totum ad commune illius villæ perveniat, reſtituendo pro rata temporis pretium: & qui contrafecerit, emendet pro banno centum ſol. Et de hoc quilibet ſit accuſator; cujus banni medietas ſit communis, & alia accuſatoris.

Qua-

Qualiter, & in quo loco Gastaldiones & Fidejussores vendere possint herbam silvaticam suarum Sortium & Regularum, Cap. CLIII.

ITEM, quod gastaldiones & fidejussores cujuslibet Sortis sive Regulæ, cum voluntate & consensu omnium consortium ipsarum Regularum & Sortium, vel majoris partis possint vendere herbam silvaticam ipsius Sortis vel Regulæ quibus voluerint, non obstante contradictione massarii, & communis villæ, in cujus pertinentia ipsa Sors sive Regula fuerit. Et ipsa venditio fieri debeat in publica Regula sive Sorte tantum; & pretium inde redactum detur in manu fidejussorum dictarum Regularum & Sortium, seu cujuslibet earum, & inter eos consortes pro rata camporum dividatur, in qua sint omnes consortes, vel major pars cujuslibet Sortis; vel ponatur in utilitatem dictarum Regularum & Sortium, secundum quod consortes fuerint concordes. Et si aliter fieret venditio de dicta herba silvatica, talis venditio ipso jure non valeat, & venditor puniatur in centum sol. pro quolibet, & qualibet vice communi Veronæ, & in restitutione pretii facienda ei, qui dictam herbam emisset: salvo quod nullo modo, vel ingenio dicti gastaldiones vel fidejussores possint vendere herbam silvaticam eorum locorum dictarum Regularum & Sortium, in quibus essent vineæ, vel olivæ. Et qui contrafecerit, puniatur in decem libris communi Veronæ.

Ne in pratis, seu vineis, & hortis hominum civitatis Veronæ cum bestiis pasculetur. Cap. CLIV.

ITEM, quod homines villarum, vel alii nullo modo vel tempore possint nec debeant cum aliquibus bestiis pasculare in pratis, seu vineis, vel olivis, vel bladis, vel hortis, seu viridariis hominum civitatis Veronæ sitis tam in villis, quam circa civitatem; & si quis contrafecerit, pro omni tempore debeat emendare banna & damna, secundum Rregulas & Statuta communis Veronæ.

In quibus locis Consortes villarum Cives Veronæ cum suis bestiis possint impune pasculare. Cap. CLV.

ITEM, quod consortes villarum cives Veronæ possint impune cum suis bestiis pasculare extra damnum super communia & campaneas villarum, de quibus consortes fuerint, sicut terrerii faciunt dictæ villæ; non obstante aliquo Statuto in contrarium loquente.

In quibus locis liceat Consortibus impune pasculare. Cap. CLVI.

ITEM, quod omnes consortes, sive qualibet persona commorans in villa aliqua, possit cum suis bestiis quas tenet in illa, pasculare in Campanea illius villæ extra damnum, non obstantibus Statutis seu Regulis in contrarium

factis per suas villas. Et quod consors aliquis, seu aliqui de aliqua villa, burgo, vel castello, sive loco, non possint nec debeant cum suis bestiis pasculare in districtu alterius villæ, castelli, vel loci, in damnum vel extra damnum; & tamen quod per hoc jurisdictioni alicujus non præjudicetur.

Quod quælibet villa districtus Veronæ teneatur habere gregem porcorum. Cap. CLVII.

ITEM, quod quælibet villa districtus Veronæ teneatur & debeat habere & tenere gregem porcorum & porcarum, ita quod omnes habentes porcos & porcas in villa mittant eos ad dictum gregem, alioquin teneant eos porcos seu porcas in domibus, vel curtivis suis clausos, & inde exire non permittant, banno pro quolibet porco, & qualibet vice v. sol. in die, in nocte duplum; & de hoc quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni.

De Operariis laborantibus ad pretium in campanea alicuius villæ, quando debeant esse, & quantum stare in laboreriis. Cap. CLVIII.

ITEM, quod rustici operarii mercede conducti, qui vadunt ad laborandum in campanea alicujus villæ, vel alibi per Sortes & Regulas, debeant esse in locum laborerii ante ortum solis, & inde non discedant usque ad occasum solis, & portent secum id quod necessarium eis fuerit, pro esu & potu; & qui contrafecerit, puniatur pro quolibet, & qualibet vice in x. sol.; & de hoc quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni. Et specialiter saltuarii, sive jurati Sortium & Regularum teneantur manifestare quemlibet contra prædicta facientem.

Ne Vicarii villarum post exitum officii accipiant banna. Cap. CLIX.

ITEM, quod Vicarii villarum non possint nec debeant exigere aliquid occasione bannorum, seu Regularum ab hominibus illius villæ, cujus fuerint Vicarii, occasione sui officii, postquam exierint de officio, nisi habuerint pignus ipsi vel massarii villarum, vel nisi tempore sui officii contra eos processerint: eo salvo quod si occasiones, propter quas multæ, sive taleæ factæ sunt, evenerunt vel evenerint infra xv. dies ab exitu sui officii, quod ipsi Vicarii eas possint exigere, licet pignus non habuerint, vel contra eos non processerint.

Inter quos, & pro quanto utilitas dictorum bannorum, manifestationum, & condemnationum dividatur. Cap. CXX.

ITEM, quod medietas bannorum, ipsarum manifestationum, & condemnationum sit Vicarii villæ & alia medietas sit communis, & hominum ipsius villæ; quam medietatem suam ipse Vicarius possit exigere per se, si voluerit, aut permittere, vel facere ipsam exigi simul cum alia medietate communis, arbitrio ipsius Vicarii.

HÆC

HÆC SUNT STATUTA GENERALIA VILLARUM, ET VICARIATUUM.

De uno bono Masfario sibi eligendo per singula Communia villarum, aliter ipsa communia, & quilibet de ipsis communibus pro dicto Masfario teneantur; qui etiam intelligatur esse Syndicus sui communis.
Cap. CLXI.

COMMUNIA villarum & locorum singula teneantur & debeant eligere unum bonum masfarium, qui bene attendat, & obediat, & non dissipet pignera in suis manibus consignata; & si aliter fecerit, teneantur ipsa communia & homines ipsorum communium ad debita pignerum. Et de prædictis possint insolidum realiter ipsa communia & singulares de communitatibus conveniri, nec liberentur nisi debitorem ad carceres communis Veronæ conduxerint, vel pignera designata conduxerint in manibus massarii pignerum Veronæ: quo facto ipsa communia & homines liberentur, & ulterius molestari non possint. Et in omnibus casibus prædictis dicti homines & communia regressum habeant realem & personalem contra debitores, quorum prætextu fuerint molestati, etiam si regressus de facto non fuerit datus: & quilibet massarius pro suo nuncio teneatur. Qui etiam massarii sint, & intelligantur esse suarum communitatum Syndici ad lites, ad agendum & defendendum. * Hoc idem habetur in cap. xlv. lib. primi.

De una securitate generali facienda per Masfarios villarum in principio regiminis Cap. CLXII.

ITEM, quod omnes masfarii & communia villarum teneantur & debeant in principio regiminis D. Potestatis, videlicet infra mensem, facere unam bonam & idoneam securitatem pro eorum villis, secundum qualitatem & quantitatem villarum, coram D. Potestate Veronæ, de attendendo & observando præcepta D. Potestatis & suorum Judicum & officialium, & de emendando damna, & robarias, quæ fierent in eorum villis & pertinentiis, & de non accipiendo nec permittendo in eis ad totum suum posse aliquos rebelles Illustriss. nostri Dominii, nec bannitos communis Veronæ, nec barros, immo potius de capiendo illos, & omnes alios malefactores, & conducendo illos in fortiam D. Potestatis pro posse suo: & quod dictæ securitates sint generales, & durent per unum annum. Et quod Judices, & notarii, & cæteri officiales communis Veronæ non possint nec debeant accipere alias securitates a dictis communibus, seu dictis suis masfariis pro illis villis. Et quod D. Potestas teneatur facere attendi & observari omnia prædicta, & admonere

in primo mense sui regiminis omnes suos Judices & officiales, quod aliam securitatem a dictis communibus non accipiant: & si quis Judex, seu notarius, sive quispiam alius officialis contrafecerit, solvat pro unaquaque vice centum solidos. * Simile est in cap. xlv. lib. primi.

Quod Communia villarum nullam faciant Adunantiam sive Consilium, sine licentia sui Vicarii. Cap. CLXIII.

ITEM, quod aliqua communia & homines communis Veronæ non audeant nec præsumant facere aliquam adunantiam suorum hominum, nec visinantiam sive consilium sine licentia Vicarii, ad hoc ut ipse possit interesse, vel suum notarium mittere. Et quod ipsa communia similiter non possint aliquam datiam ponere sine licentia ipsius Vicarii. Et communia, quæ contrafecerint in aliquo prædictorum, cadant in pœnam libr. xxv., & massarius aut alius, qui vocavisset aut vocari fecisset viciniam sive consilium, aut proposuisset de datia imponenda, vel eam exegisset, cadat in pœnam libr. x. denar. pro quoque; quarum pœnarum tertia sit accusatoris, & tertia ipsius Vicarii, & alia tertia Cameræ Illustriss. nostri Dominii; & ubi non sit accusator, illa tertia veniat in commune Veronæ. * Conferatur cum cap. xlvi. lib. primi.

De æstimis faciendis in villis, & qua forma fieri debeant; & de datiis imponendis. Cap. CLXIV.

ITEM, quando æstimum novum in aliqua villa vel loco districtus Veronæ fieri debuerit, Statuimus, quod massarius illius villæ, vel loci cum licentia sui Vicarii teneatur & debeat congregari facere suam Viciniam, & omnes citari ad domum suam, in qua duæ partes intersint vicinorum masculorum in æstimo villæ scriptorum xviii. annorum, & inde superius usque ad lxx. annos ad minus, & inter vicinos dictæ terræ faciant eligi ad brevia, seu fabam sex bonos & legales homines dictæ terræ, scil. duos de minoribus, duos de mediocribus, & duos de majoribus; qui sex cum electi fuerint modo prædicto, incontinenti, si præsentes fuerint, vel die sequenti, coram Vicario vel delegato suo jurare debeant ad sancta Dei Evangelia bona fide, sine fraude facere æstimum novum suæ terræ, & ipsum complere infra x. dies postquam electi fuerint, vel amplius tempus, si viciniæ vel majori parti placuerit; & æstimare omnes personas debentes facere & solvere datias, onera, & factiones cum dicto communi & hominibus, & omnia sua mobilia & immobilia, possessiones & jura: exceptis domibus muratis & cupatis, quas inhabitant, & tenent ad usum suum, & familiæ suę. Et non debeant se æstimare, sed postea æstimentur, modo prædicto, per tres æstimatores tantum eodem modo electos infra v. dies ex quo electi fuerint. Possit tamen unaquaque vicinia, secundum quod magis esset populosa, eligere æstimatores plures

plures numero, utputa tres de majoribus, & tres de mediocribus, & tres de minoribus, dummodo in tribus dictis gradibus servetur çqualitas, & facere suum çstimum per tres mudas çstimatorum, abijciendo postea majorem & minorem çstimi quantitatem, & retinendo mediocrem; sive etiam per quinque mudas çstimatorum, abijciendo similiter majorem & minorem, & intertiando postea tres mediocres: in quibus quidem casibus idem modus servetur in çstimando postea dictos çstimatores: Quod quidem æstimum taliter factum duret per unum annum proxime venturum. Dantes licentiam dictis çstimatoribus eligendis, quod ponere possint ad sacramentum omnes personas, quas volverint, dictæ terræ, & cujuslibet alterius districtus Veronç, pro inveniendo bona, possessiones, & jura personarum solvere debentium cum ipsa terra; cognoscentes, quod si qua persona cessaverit dicere, & manifestare dictis æstimatoribus omnia sua bona ut superius dictum est, omnium, quæ cessaverit manifestare eis, quarta pars devenire debeat in commune villç, banno xxv. librarum pro qualibet persona contrafaciente: Et quod omnes datiæ, quæ de cætero fuerint imponendç in ipsa villa, ponantur & poni debeant pro libr. sui çstimi; cçtera autem onera & factiones operariorum, armatorum, plaustrorum, vastatorum, & aliorum quæ in faciendo consistant, ponantur & poni debeant secundum voluntatem majoris partis ipsius viciniæ. * Idem habetur in cap. clxv. lib. secundi.

Quod singuli Vicariatus habeant quintum librum Statutorum. Cap. CLXV.

ITEM, quod quælibet Potestaria, & Vicariatus districtus Veronæ habere continue debeat unum librum in membranis, cum parmulis, in quo sit descriptus quintus liber Statutorum communis Veronæ, incipiendo a pagina posita sub rubrica: *Hæc sunt Statuta communia Regulis & Sortibus, tam circa civitatem, & burgos Veronæ, quam in districtu; & tam officio Judicis Sortium Veronæ, quam Vicariorum villarum* ad cap. lxviii. hujus libri; qui liber stare debeat penes Potestatem vel Vicarium dicti loci, de successore in successorem consignandus: & quilibet Potestas, & Vicarius, qui in introitu dicti officij sui dictum librum ad officium non invenerit, & sibi non consignaretur, teneatur & debeat statim scribi fieri, & facere unum per modum prædictum, expensis communitatum sui Vicariatus.

GENERALIA OMNIUM STASTUTORUM PRÆSENTIS VOLUMINIS.

Quod prædicta Statuta omnibus aliis Statutis debeant derogare, quæ prædictis obstarent. Cap. CLXVI.

ITEM Statuimus & ordinamus, quod nulla persona audeat vel prçsumat interpretari, vel aliquam extensionem facere contra Statuta in præsenti volumine Statutorum scripta & posita, nec eis, nec alicui prædicto-

dictorum aliquem extrinsecum intellectum dare; sed prædicta omnia & singula Statuta prout jacent inviolabiliter observentur, sine aliqua extensione, interpretatione, vel aliquo extrinseco intellectu; in, & sub pœna centum libr. pro quoque, & quaque vice: & quod ubicumque dicitur *de masculo*, intelligatur per omnia *de fœmina* esse dictum.

Ne contra Sanctam Ecclesiam, & ejus libertatem, ac personas Ecclesiasticas prædicta Statuta valeant. Cap. CLXVII.

AD Dei riverentiam, Matrisque ejus, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Statuimus & ordinamus, quod omnia Statuta & ordinamenta compilata, sive posita & scripta, ordinanda & compilanda, sive ponenda & scribenda de cætero in libris Statutorum, sive postarum communis Veronæ loquentia, sive continentia aliqua, quæ sint vel esse possint contra S. Ecclesiam, vel Ecclesiasticam libertatem, seu Ecclesiaticas personas, ipso jure sint cassa, & vana, & irrita, & nullius efficaciæ ac valoris, & abrogata ipso jure pænitus habeantur.

Finis Libri Quinti Statutorum Magnificæ Civitatis Veronæ.

Laus Deo omnipotenti, eiusq; Genitrici Virgini Mariæ.

FRANCISCUS Foscari dei Gratia Dux Venetiarum, &c. Nobilibus & Sapientibus viris Zichariæ Trivisano Doctori de suo mandato Potestati, & Antonio Venerio militi Capitaneo Veronæ, & Successoribus suis fidelibus, dilectis salutem, & dilectionis affectum. Per egregium legum Doctorem D. Petrumfranciscum de Justis Oratorem vestrum, ac illius fidelissimę Communitatis nostræ Veronæ nobis præsentata fuerunt Statuta de licentia nostra reformata, vobis Potestate præsente sub nomine nostro, & supplicatum ut illa approbare & confirmare dignaremur. Nos vero dictæ Communitati in cunctis convenientibus complacere volentes, ipsa Statuta tenore præsentium cum nostro Consilio Rogatorum duximus confirmanda, & approbanda: reservato tamen arbitrio, & libertate nobis in eis addendi & minuendi, corrigendi & mutandi, ut de tempore in tempus nobis conveniens esse videbitur.

Datum in nostro Ducali Palatio xı. Octobris, Indictione xıv. Mccccl.

PRI-

PRIVILEGIA
MAGNIFICÆ CIVITATIS
VERONÆ.

Privilegium a Bulla aurea capitulorum promissorum per illustriss. Dominium nostrum Venet. suæ fidelissimæ Communitati Veronæ tempore adepti ejusdem Civitatis Dominij.

NOS Michael Steno Dei gratia Dux Venetiarum, &c. Universis & singulis præsens nostrum Privilegium inspecturis facimus manifestum, quod quum magnificus & potens D. Franciscus de Gonzaga Mantuæ &c. Imperialis Vicarius Generalis, & nostri Exercitus terrestris tunc contra Veronam Capitaneus generalis; ac strenus & generosus miles D. Jacobus de Verme carissimus & honorabilis Civis noster; & nobiles & sapientes viri Gabriel Aimo miles Gubernator, Jacobus Suriano miles, Rossus Marino, Barbonus Mauroceno Provisores in dicto Exercitur ante introitum quem fecerunt nostro nomine in Civitate prædicta, promisserint Communitati, & Civibus dictæ Civitatis capitula infrascripta: quæ postea egregij & spectabiles milites D. Peregrinus de Cavolongis, Veritas de Veritatibus, Joannes de Peregrino, Aleardus de Aleardis, Petrus de Sacco, Paulusphilippus de Fragastorijs, & Joannesnicola de Salernis, ac eximius legum Doctor. D. Jacobus de Fabris, jurisperiti D. Joannes de Castro & Bartholomæus de Carpo, necnon nobiles & sapientes viri Petrus de Caballis, Dominicus de Ciserchis, Thomæus de Caliarijs, Clemens notarius de Insulo, Gaspar de Quinto, Leo de Confalonerijs, Tebaldus de Broilo, Nicolaus de la Capella, Ruffinus a Campanea, Pasius de Guarientis, & Zeno de Nigrellis, omnes honorabiles Oratores & Syndici & procuratores dictorum civium & communitatis Veronæ ad nostram præsentiam transmissi, daturi nobis Dominium dictæ civitatis, & ob hanc & certas alias caussas per publicum nostrum Privilegium confirmari eisdem supplicarunt: Nos cognoscentes quod honor Principis honesta perquirentis admonet,

& ra-

& ratio publicæ utilitatis exposcit, ut per bellorum duces, caussa exposcente, promissa firmitatem obtineant, illaq; præcipue, quæ per confirmationis petitæ suffragium auctoritas principalis accipiat, cum auctoritate nostrorum Consiliorum ipsa omnia Capitula infrascripta, & secundum quod per ipsos nostros Capitaneum & Nobiles promissa fuerunt prædictæ Communitati & Populo Veronensi nobis subdito & fideli, tenore præsentis nostri Privilegij duximus confirmanda. Intendentes, & mandantes omnibus nostris Rectoribus & officialibus, qui sunt & per tempora fuerint in nostra Civitate Veronæ, quatenus ipsa capitula & eorum quodlibet, inquantum ad ipsos & ipsorum quemlibet spectat & pertinet, ac spectabit & pertinebit eisdem Civibus & Communitati debeant inviolabiliter observare.

Tenor autem Capitulorum prædictorum est in hac forma.

PRIMO, quod omnes & singuli tam cives, quam alij quomodolibet commorantes & habitantes in civitate Veronæ, conserventur salvi, illæsi, & indemnes ab omni injuria, saccomano, vel præda, vel violentia, quæ posset occurrere, vel evenire occasione acquisitionis dictæ civitatis Veronæ; & si quid in contrarium occurreret, quod contra inferentem injuriam debita ultio insurgat, & damnum passum restauretur.

2 Item, quod nullus Veronensis, vel alius, cujus status aut conditionis existat, propter aliquam caussam, sive veram sive falsam, quæ quovis modo usque in præsentem diem alicui posset opponi, adscribi, vel imputari, nunc aut in futurum, puniatur aut injurietur, seu male tractetur, aut in confinibus aliquibus extra civitatem Veronæ, seu districtum ponatur; immo æquo & pari libramine absque suspicione, nulla habita consideratione, quod tempore præsentis Dominij aliqui fuerint functi & fungantur de præsenti aliquibus honoribus, officijs, aut dignitatibus, omnes favorabiliter pertractentur.

3 Item, quod omnia membra civitatis more solito redintegrentur cum civitate: & si forte propter aliqua pacta & promissiones aliqua membra ab ipsa civitate habeant remanere separata aut remota, quod omnes cives habentes bona, possessiones, & jura in illis locis, castris, terris, aut villis sic separatis, debeant & possint dictis suis bonis uti & gaudere, ac redditus & proventus inde provenientes pro libito ad civitatem Veronæ absque injunctione alicujus oneris aut gravaminis perinde conducere, ac si ipsa membra sic remota cum civitate responderent, & prout etiam, & quemadmodum ante guerram facere soliti erant.

4 Item, quod in civitate & districtu Veronæ non possit, nec debeat nunc & in futurum imponi aliquod onus vel gravamen, aut indirecte aliquod extraordinarium exigi, nisi solum quod ordinarie, & ex datijs usita-

usitatis & consuetis percipi potest & solet: nihil ultra ipsos introitus ordinarios ac datia, per modum alicujus conditionis, nec etiam per modum alicujus impræstiti, taleæ, seu collectæ a civibus aut districtualibus quo quomodo aut tempore aliquid nomine Illustriss. Du. Dominii Venet. auferendo. Sed tamen exigente aliqua necessitate, si per præfatam Dominationem Venet. requireretur a Veronensibus subsidium personarum, quod tunc illis personis, quæ sic mitterentur, per præfatam Illustriss. Dominationem provideatur de stipendio more aliorum, qui tunc in expeditione forent, conferendo & contribuendo.

5 Item, quod omnes Veronenses, & Vicentini, qui super Veronen. habent, tenent, & possident aliqua bona, jura, honores, aut jurisdictiones quovis legitimo titulo acquisita, gaudeant & gaudere possint dictis juribus, bonis, honoribus, ac jurisdictionibus, & in ipsorum tenuta, possessione, vel quasi, debeant manuteneri & conservari, prout sunt & erant in amissione civitatis tempore Dominii Ducis Mediolani.

6 Item, quod omnes Veronenses habentes possessiones & bona in Vicentia & super Vicentino districtu, & e converso omnes Vicentini habentes possessiones & bona in Verona & super Veronensi districtu, utantur & gaudeant dictis suis possessionibus, prout faciebant ante præsentem guerram: & de fructibus & redditibus ipsarum possessionum debitum jus reddatur & fiat illis, ad quos spectat: non obstante aliquo interdicto seu suspensione, occasione præsentis guerræ emanatis, & recisis quoque omnibus contractibus & distractibus de hujusmodi bonis & possessionibus in præjudicium illorum, ad quos seu quas de jure spectant & pertinent, quomodolibet celebratis, si qui facti aut celebrati forent.

7 Item, quod omnia Statuta civitatis Veronæ, & domus mercatorum inviolabiliter observentur, & secundum formam dictorum Statutorum contra inquilinos, decimales, laboratores, & partiarios de fructibus & redditibus ipsarum possessionum, ac residuis temporum elapsorum civibus Veron. debitum jus reddatur & fiat: non obstante aliqua promissione facta in præjudicium civium quibuscumque rusticis. Si tamen debitores propter occursas guerras forent minus habiles ad solvendum quod juridice dare debent, inspecta qualitate personarum, sit in arbitrio statuere terminos competentes debitori, infra quos creditor jus suum consequatur.

8 Item, quod omnia Officia civitatis Veronæ, exceptis Potestaria civitatis Veronæ et officiis merum et mixtum imperium habentibus, nec non officiis requirentibus guardam, seu custodiam, quæ quidem officia pro libito conferenda reservare potest Illustriss. Dominatio præfata, et in compensationem hujusmodi officiorum Veronensibus ad hæc idoneis in aliis suis civitatibus et locis præfata Dominatio potest per tempora providere; permittantur regi et gubernari per cives Veronenses, et illos dumtaxat, qui cum civitate substineant scuffas, onera et factiones. Et

quia Illustriss. Du. Dominatio nostra de beneficiis Ecclesiasticis se non intromittit, quinimo dispositioni sanctissimi Domini nostri Papæ et aliis Prælatis Ecclesiæ dimittit, illud quod requiritur super hoc promittere non possumus, sed offerimus quod Illustr. Du. Dominatio penes præfatum Dominum Papam ipsos Veronenses recommissos habebit.

9 Item, ne civitas Veronæ ex hujusmodi submissione fienda prælibatæ Ducali Dominationi efficiatur solito carior, et populus Veronensis restrictius vivere cogatur, quod provideatur et ordinetur ut nulla victualia conducantur, nec extrahantur extra districtum Veronę, nisi prius civitati fuerit uberrime provisum, et taliter satisfactum, quod de hujusmodi victualibus non capiat indigentiam populus Veronensis.

10 Item quum fere omnis substantialis bonitas, et restauratio civitatis Veronæ consistat in mercantiis, et maxime in lanificio, ad hoc nec ex huiusmodi submissione, ut præfertur, fienda ipsa civitas bellorum calamitatibus fere collapsa deducatur ad infima, sed ut sub brachio præfatæ Dominationis nedum restauretur, sed subcrescat uberius; ex qua quidem re etiam ipsa Ducalis Dominatio augumentatione introitus dictæ civitatis post amplas laudes, quæ inde sequentur per tempora, de die in diem maxima percipiet commoda et emolumenta; requiritur, ut infrascripta concedantur, videlicet, quod nulla libertas civitatis circa expeditionem quarumcumque mercantiarum ultra solitum restringatur, sed uti prius cuicumque liceat, nulla injecta necessitate, per unum locum magis, quam per alium, quascumque suas mercantias mittere, conducere, vendere, et expedire.

11 Item, super Domo mercatorum nullus ponatur officialis nisi Veronensis, & per omnia conserventur Statuta, & consuetudines dictæ Domus: & quibuscumqne Veronensibus conducere volentibus pannos & alias mercantias ad civitatem Venetiarum permissum sit ipsas ibidem vendere & expedire ad numeratas pecunias, absque quod cogantur alias res seu mercantias, nisi spontanee ipsas recipere voluerint, insolutum accipere. Liceat præterea quibuscumque Veronensibus volentibus mercantias facere & exercere in civitate Venetiarum, vendere & emere, & alias mercantias cujuscumque conditionis facere, & quemadmodum faciunt cives Veneti intus. In præmissorum autem fidem & evidentiam pleniorem, præsens privilegium nostrum fieri jussimus, & bulla nostra aurea communiri. Datum in nostro Ducali Palatio anno Dominicæ incarnationis MCCCCXIV. die XVI. mensis Julii, Indictione XIII.

Aliud Privilegium a Bulla Aurea aliorum Capitulorum ab eodem Illustriss. Dominio promissorum.

NOS Michael Steno Dei gratia Dux Venetiarum &c. Universis & singulis præsens nostrum Privilegium inspecturis facimus manifestum, quod

quod quum egregii, & generosi milites D. Peregrinus de Cavolongis, Veritas de Veritatibus, Joannes de Peregrinis, Aleardus de Aleardis, Petrus de Sacco, Paulusphilippus de Fragastoriis, Joannesnicola de Salernis, ac eximius legum Doctor D. Jacobus de Fabris, & D. D. Joannes a Castro & Bartholomeus de Carpo jurisperiti, nec non nobiles & circumspecti viri Petrus de Caballis, Dominicus de Ciserchis, Thomeus de Caliariis, Clemens notarius de Insulo, Gaspar de Quinto, Leo de Confaloneriis, Tebaldus de Broilo, Nicolaus de la Capella, Ruffinus a Campanea, Pasius de Guarientis, ac Zeno de Nigrellis, honorabiles Oratores civium & communitatis civitatis nostræ Veronæ, ultra alia capitula per Nos, ut apparet per nostrum privilegium eisdem traditum, concessa & confirmata, porrexerint & dederint nostro Dominio certa alia capitula, quæ ipsi petebant communitati prædictæ concedi per Nos, & de speciali gratia confirmari; Nos cognoscentes quod Ducalis Solii nostri dignitas laude decoratur & gloria, quum se subjectis benivolam exhibet, ipsorumque petitionibus gratiosum prestat assensum: augemus enim per id fidem fidelibus, & cæteros ad bonum exemplum hujusmodi provocamus: cum auctoritate nostrorum Consiliorum super dictis Capitulis providimus in hac forma.

Et primo, super primo, per quod Oratores prædicti petebant & supplicabant, quod venditiones factę per D. Franciscum de Carraria, vel alios suo nomine civibus & districtualibus Veronensibus, sive sint originarii sive ex privilegio, valeant & teneant, ac manuteneantur & conserventur eisdem &c. Quod pro conservatione honoris nostri cancellentur, cassentur, annullentur, & irritentur omnes dictę venditiones factę per ipsum Dominum Franciscum, vel alios suo nomine, sed ex nostra benignitate, & gratia speciali, volumus, quod omnibus illis civibus Veronensibus & districtualibus Veronę, sive sint originarii sive ex privilegio acquisito a duobus annis preteritis retro, & dummodo illi qui sint cives ex privilegio soliti sint subjre, subjerint, & subeant onera & factiones & scuffas cum communi Veronę, omnibus illis, videlicet ex prædictis, qui dictas venditiones legitime fecerint a die XXII. Septembris MCCCCIV. usque ad diem XIV. Junii inclusive anni MCCCCV., & qui solverint aut totum pretium aut partem pretii, restituatur de pœcunia, quæ quomodolibet pertinet in factoriam nostram Veronæ, vel in manibus nostrorum officialium Veronensium, tota pœcunia soluta per ipsos pro dictis emptionibus in hunc modum, videlicet, quod a die Nativitatis Domini proximæ incipiendo solvere, & sic de die in diem prosequendo solutionem usque ad unum annum tunc proxime futurum restituantur, & restitutæ esse debeant integraliter omnes quantitates pœcuniæ, quæ sunt a ducatis L. infra, quæ tota dicitur posse esse circa ducatos sex mille trecentos in personis circa trecentis quinquaginta; quæ tamen solutio, & restitutio fiat per tesseras, quæ projiciantur de quar-

 teriis

teriis Veronæ , & qui fuerit primus de dictis quarteriis, primo habeat solutionem, & successive secundus, & sic de aliis. Tota vero alia quantitas dictæ pœcuniæ a ducatis l. supra, reficiatur & solvatur in annis sex proxime futuris, de pœcuniis quæ pervenient in dictam nostram factoriam, & in manibus nostrorum officialium Veronensium quoquomodo, incipiendo primum annum a dicto die Nativitatis proximæ, videlicet omni singulo anno sextam partem dictæ quantitatis pœcuniæ a ducatis l. supra, quæ sexta pars detur & restituatur per ratam, soldum, & libram habere debentium.

Ad secundum capitulum per quod petebant integre satisfieri de bonis factoriæ Veronæ omnibus habere debentibus a curia præfati Domini Francisci ex caussa quacumque, & habere debentibus a communi Veronæ de intratis communis Veronæ; Deliberavimus, pro habendo plenariam & sufficientem informationem superinde, scribere & mandare Rectoribus, & Provisoribus nostris Veronæ, quod debeant diligenter & particulariter inquirere pro quibus caussis prędicti tales dicunt habere, & qui sunt illi, qui habere debent: qua informatione habita, respondebimus, & providebimus superinde, prout nobis justum videbitur.

Ad tertium capitulum, per quod requirebant, quod officia Notarii Stabilis super domo mercatorum Veronæ, & militis dictę domus dentur ad brevia singulis sex mensibus, prout dantur alia officia, & quod reclamationes dictæ domus remaneant Notario dictę domus, secundum quod declaratur per Statuta domus prędictę; Deliberavimus complacere eis, & volumus complacere juxta suam requisitionem, non obstante quod jam bono tempore citra servatum esse in contrarium sentiamus.

Ad quartum capitulum continens, quod omnes & singulę mercantię, denarii, credita, res & bona intromissa, & arrestata, vel aliter accepta tam in civitate Venetiarum quam Mantuę, Ferrarię, Vicentiæ, vel alibi, aut in earum districtibus, civibus, vel habitatoribus Veronæ eisdem libere restituantur &c. Deliberavimus; non obstante, quod talis intromissio, & arrestatio, vel bonorum occupatio per Nos vel de nostro mandato facta, licita & honesta fuerit, & ad restitutionem intromissorum & occupatorum minime teneamur; quod omnia bona, mercantię, denarii, credita, & quæcumque res aliæ nostro nomine intromissæ, & arrestatæ ubicumque libere restituantur illis civibus & habitatoribus Veronæ, quorum sunt, si extabunt: si autem haberi non possent, quia venditæ forent, restitui & dari eisdem debeat pœcunia, & valor extractus de rebus & mercibus antedictis.

Ad quintum capitulum, per quod petebant quod deberemus eis confirmare Datium, & concessionem datii Baratarię communis Veronæ olim sibi concessi per Ducem Mediolani, & quod tertia pars omnium condemnationum fiendarum in communi Veronæ per officiales Palatii communis

munis Veronæ pecunia, pervenirent in commune Veronæ pro certis expensis occurrentibus dicto communi, utpura in mittendo Ambasciatores ad nostrum Dominium, & in donando caballarijs, & nuncijs mittendis, & alijs expensis &c. non obstante quod præsenti tempore videamus expensam communis Veronæ introitibus satis majorem, tamen volentes illi communitati complacere in iis, quæ honeste possumus, etiam cum incommodo nostri communis; Deliberavimus consentire sibi, & complacere de datio Barathariæ communis Veronæ prædicti, ut de introitibus illius possint facere expensas secundum quod superius continetur.

In præmissorum autem fidem, & evidentiam pleniorem præsens nostrum Privilegium fieri jussimus & Bulla nostra aurea pendente muniri.

Datum in nostro Ducali Palatio anno Dominicæ incarnationis Millesimo Quadringentesimo quinto, Indictione XIII. die. XVI. mensis Julij.

Pacta cum Magnifico Domino Mantuæ super Fortilitijs & Terris Veronensibus, Pisceriæ, Castellarij, Villempentæ, Hostiliæ, & Belfortis.

MICHÆL Steno Dei Gratia Dux Venetiarum &c. Nobilibus & Sapientibus viris Rosso Marino de suo mandato Potestati, Petro Arimundo Capitaneo, ac Ludovico Mauroceno, & Socijs Provisoribus Veronæ, & successoribus suis fidelibus dilectis salutem, & dilectionis affectum. Significamus vobis, quod M CCCC VI indictione XV die XXIX. mensis Octobris deliberatum fuit per Nos & nostrum Consilium, ut infra scribitur, & sic responsum fuit Magnifico Domino Mantuæ, videlicet, Quum Magnificus Dominus Mantuæ fecerit aliquas petitiones Illu. nostro Dominio super aliquibus tangentibus civitatem nostram Veronæ secundum quod in capitulis suis, quorum effectus etiam hic insertus continetur, & pluries coram dicto nostro Ducali Dominio comparverit idem Dominus Mantuæ, allegando & sustinendo jura, quæ ipse asserebat habere pro locis & Castris Veronensis districtus, quæ ipse tenet & possidet, & viceversa pro parte Ducalis Dominij, sive Civitatis Veronæ allegatum & responsum fuerit id, quod apparuit honestum & conveniens; tandem factis pluribus disputationibus & examinationibus super infrascriptis materijs, & specialiter visis Scripturis, Privilegijs, & Testificationibus allegatis & productis pro parte Civitatis Veronæ, fuit deliberatum per Collegium Dominorum Consiliariorum Capitum de xl & Sapientum Consilij, & sic responsum eidem D. Mantuæ.

Primo, super primo capitulo, per quod Dominus Mantuæ requirit an Dominium nostrum velit, quod homines terrarum Pisceriæ, Castellarij, Villempentæ, Hostiliæ, & Belfortis tractari debeant a nostro Dominio,

minio, nostrisque officialibus in Verona & Territorio Veronensi tanquam Veronenses, an tanquam Mantuani & forenses, deliberatum fuit per suprascriptum Collegium, & sic responsum Domino Mantuæ, qui remansit contentus; quod omnes cives & habitatores Veronæ, Castrorum, & Districtus habentes bona, possessiones, & jura in terris, & territorijs Pisceriæ Castellarij, Villempentæ, Hostiliæ, & Belfortis, debeant & possint dictis suis bonis uti & gaudere, ac redditus & proventus inde provenientes pro libito possint libere absque injunctione alicujus oneris aut gravaminis extrahere deinde, & conducere ad civitatem Veronæ prout erant soliti facere: & similiter ac versavice omnes homines dictarum terrarum, & locorum supranominatorum habentes in Verona, Castris, & Districtu bona, possessiones, & jura debeant & possint dictis suis bonis uti & gaudere, ac redditus & proventus inde provenientes possint pro libito libere absque injunctione alicujus oneris aut gravaminis extrahere deinde, & conducere ad dictas terras, & loca, prout erant soliti facere. Pro mercantijs vero, & alijs rebus, quæ conducerentur per Veronenses ad dictas terras, & loca supranominata, vel de ipsis extraherentur per eos, et quæ conducerentur per homines dictarum terrarum, et locorum supranominatorum vel ad Castra, vel super districtum Veronæ, vel de ipsis extraherentur per eos, solvantur datia consueta; videlicet. Veronenses, datia et gabellas Magnifici Domini Mantuæ, et Homines dictarum terrarum, et locorum supranominatorum, datia et gabellas civitatis Veronæ; cum hac declaratione tamen, quod si antequam Ducalis Dominatio haberet Veronam, dicti homines de Verona et locorum solvebant aliquod datium in Verona de cupis, quas extraherent de Verona pro portando ad dicta loca sua pro suo usu, solvere debeant etiam nunc illud idem: si vero nihil solvebant, nihil etiam de cętero solvere teneantur. Pro personis vero, equis, plaustris, bobus utriusque dictarum partium euntibus et redeuntibus de Verona ad dicta Castra et loca, et de dictis Castris et locis Veronam, nihil solvatur, sed possint et debeant officialibus bulletarum pręsentari, vel Rectoribus, aut Vicarijs, sicut fit et observatur de alijs intrantibus et exeuntibus.

Super secundo capitulo, per quod dictus Magnificus Dominus Mantuę requirebat, quod quęcumque res, quę per Lacum Gardę ducerentur ad terram Pisceriæ, non impedirentur, nec arrestarentur per Capitaneum Lacus Gardæ, sed servarentur consuetudines solitæ, et quod nihilominus Ducalis Dominatio determinaret, prout ei justum et rationabile videretur; deliberatum fuit per Ducale Dominium, & suprascriptum Collegium, & sic fuit data responsio dicto Magnifico Domino Mantuæ: quod Lacus Gardæ erat & est civitatis nostræ Veronę, & per consequens nostri Ducalis Dominij Venetiarum, & ad Dominium Venetiarum, sive civitatem nostram Veronæ spectabat custodia ipsius Lacus, & spectat, ac etiam exactio datiorum, & introituum

tuum ipsius Lacus pertinet & spectat civitati nostræ Veronæ, & per consequens nostro Dominio, & propterea nostræ intentionis erat, & est, quod quilibet conducens mercantias, & alias res per Lacum de partibus superioribus ad aliquam terram vel locum partium inferiorum dicti Lacus, vel de aliqua terra vel loco partium inferiorum ad aliquam terram vel locum partium superiorum, solvere debeat datia consueta nostræ civitatis Veronæ in una ex terris vel locis nostri Ducalis Dominij sitis super dictum Lacum: & si non solvit in primo, possit solvere in secundo, & si non solvit in secundo, possit solvere in tertio, & sic successive ad ultimum locum nostri Dominij; & solutis datijs civitatis nostræ Veronæ, possit ire quo sibi placuerit sine aliquo impedimento. Si vero eundo ad partes inferiores dicti Lacus transiret Lazisium ab uno latere, vel Sermionum ab altero latere, non solutis datijs civitatis nostrę Veronæ, habeatur & tractetur, & intromitti & capi possit, & debeat pro contrabanno per Capitaneum vel alios custodientes Lacum pro Ducali nostro Dominio Venetiarum; de quo contrabanno fiat secundum consuetudinem hactenus observatam: & similiter observetur contra illos, qui eundo ad partes superiores transirent Malsesinum vel confinia solita, non solutis datijs civitatis nostræ Veronæ. Et ultra prædicta intelligantur etiam reservatæ omnes aliæ præeminentiæ & jurisdictiones, quas solita est habere civitas nostra Veronæ, sive Capitaneus, & custodientes Lacum Gardæ contra illos, qui irent per transuersum dicti Lacus ad loca districtus Brixiæ, vel ad aliquem alium locum; quibus præeminentijs propter supradicta non intelligatur derogatum esse.

Super tertio capitulo, per quod Dominus Mantuæ prædictus dicebat possessionem de Cavalcasellis esse sub jurisdictione, & de pertinentijs Pisceriæ, per Ducale nostrum Dominium, & Collegium fuit eidem D. Mantuæ ostensum, quod dicta possessio erat locus separatus a Pisceria, et regimini civitatis Veronæ suppositus: qui Dominus Mantuæ remansit contentus, & respondit *quod habebat verum esse, sicut dicebat nostrum Dominium*.

Super quarto capitulo, per quod præfatus D. Mantuæ requirebat, quod homines Castellarij de Lacusello non molestarentur per officiales nostri ducalis Dominij pro decimis possessionum, quas homines prædicti possident in Contrata de sparaveriis, asserendo dictam possessionem esse ęstimatam in communi Castellarii, & ad ipsos homines pertinere pleno jure; fuit datum responsum per Ducale Dominium, & Collegium, quod dicta decima erat & est de jurisdictione Monzambani, & non Castellarij de Lacusello. Qui D. Mantuæ auditis rationibus allegatis superinde, respondit, *quod jus est quod homines Castellarij de Lacusello laboratores super Territorijs Monzambani solvant decimam Monzambano, & e converso*.

Super facto terreni, quod est inter Turrim de medio, & Turrim de Molen-

Molendino, & super aliquibus pratis, nemoribus, & vallibus, quod terrenum, prata, nemora, & valles sunt de jurisdictione & pertinentijs villæ de Ronchanova districtus Veronæ, & confinant cum pertinentijs Hostiliæ, Ducalis Dominatio concessit Magnifico D. Mantuæ, quod ipse & Filij sui, donec tenebunt et possidebunt Hostiliam, possint uti, & fruidictis terris, nemoribus, et vallibus, et eorum redditibus sine contradictione, vel aliquo alio impedimento hominum dictæ villæ de Ronchanova; salvo tamen jure singularium personarum: et etiam possint homines dictæ villæ de Ronchanova accipere et habere ligna pro suo usu secundum consuetudinem. Verumetiam non possint dicti D. Mantuæ, nec Filij sui, nec aliquis alius pro eis ædificare, vel ædificari facere in suprascriptis locis aliquod Fortilitium.

Quare mandamus vobis, quatenus omnia suprascripta in quantum ad vos spectat observare, & observari facere inviolabiliter debeatis, facientes eadem in actis vestræ Cancellariæ ad memoriam futurorum registrari.

Datum in nostro Ducali Palatio, die v. mensis Novembris, Indictione xv. M.cccc.lxi.

Terminatio Ducalis cum Magnifico Domino Mantuæ, ne Fovea Fisseri fiat.

FRANCISCUS Foscari Dei gratia Dux Venetiarum &c. Nobilibus, & Sapientibus viris Paulo Rhenerio de suo mandato Potestati, & Georgio Cornario Capitaneo Veronę fidelibus dilectis salutem, & dilectionis affectum. Fuerunt ad præsentiam nostram honorabiles Viri Gabriel de Veritatibus, & Federicus de Zacharijs cives & fideles nostri Veronæ, per vos & illam nostram fidelissimam communitatem huc missi pro illo laborerio quod Magnificus D. Mantuæ facere intendebat, quos audivimus: & audivimus quoque Oratorem præfati Magnifici D. ad Nos pro ea caussa transmissum. Intellectis itaq; omnibus, quę dicti Gabriel & Federicus prudentissime retulerunt, ac cæteris, quæ per partem alteram allegata fuerunt, omnibusq; ad materiam pertinentibus bene consideratis; Deliberavimus secundum opinionem illius nostræ fidelissimæ communitatis, *quod illud laborerium non sit in aliquo modo fiendum, quia in maximum damnum, & detrimentum non solum Territorij nostri Veronensis, sed & plurimorum aliorum locorum nostrorum concerneret*. Sicque diximus præfato Oratori Magnifici D. Mantuæ, qui sicut certi reddimur, intellecta natura facti, remanebit de hac nostra deliberatione contentus.

Data in nostro Ducali Palatio, die xxv Octob. M. cccc. xxviii.

Ter-

Tertium privilegium super unione membrorum, & officiis, & aliis.

FRANCISCUS Foscari Dei gratia Dux Venetiarum &c. Nobilibus & Sapientibus viris Victori Bragadino de suo mandato Vicepotestati, & Thomæ Duodo Provisoribus Veronæ, & successoribus suis fidelibus salutem, & dilectionis affectum. Ad nostram fuerunt præsentiam egregii fideles nostri D. Madius de Madiis famosus utriusque juris Doctor, ac Gabriel de Veritate, Bartholomæus de Peregrinis, ac Desideratus de Pindemontibus Oratores illius fidelissimæ nostræ Communitatis Veronæ, nobisque porrexerunt infrascripta quinque capitula, ad quorum quodlibet respondebimus cum nostro Consilio Rogatorum, & additionis, prout inferius videbitis continere.

Et primo, ad primum sic inquiens, quod multi cives confugerunt propter atrocem pestem ex infecta civitate per varias villas territorii Veronensis, & alia loca, prout cuique commodius fuerat, firmiter tenentes secundum affirmationem Magnificorum Rectorum, D. Mantuanum esse filium vestræ inclytæ Dominationis: Ecce autem quod post paucos dies Mantuani hostis exercitus prius visus, quam auditus fuit, præsertim ad plura ex ipsis locis, ex quo ipsi cives sic præventi, & interclusi ad urbem cum suis familiis venire nequierunt, quamvis eorum aliqui fuerint litteris Magnificorum Rectorum invitati, quod utique sua sponte fecissent, si potuissent, ut simul nobiscum sinceram eorum fidem erga Majestatem vestram declararent, sicuti nonnulli commodum loci ac temporis habentes fecerunt; & quamquam ex eis plurimi maximam fecerint instantiam hosti Mantuano pro repatriando, nihil tamen ab eo impetrare potuerunt, jam machinante, quod de eis facere intendebat: quinimmo eos invitos, & pro viribus repugnantes, ipse sua vi, ac malis & variis artibus in exercitum suum coegit, & seduxit. Proinde clementia Serenitatis vestræ, quæ videt, & dolet nobiscum hoc lethale vulnus, quod hostis noster laceratis membris nobis fecit in capite per iniquam tot civium nostrorum rapinam, dignetur illud medella suæ gratiæ resanare, & languentem atque afflictissimam civitatem vestram consolari & erigere, optatissima suorum civium restitutione & unione ad statum vestrum, ne civitas tam intrinsecam divisionem & fides nostra tam duros labores quotidianarum suspicionum veniat ad reportandum, cum destructione ipsius civitatis, & gloria hostis nostri, & fundamento vanæ spei & malæ voluntatis suæ: Respondemus, quod dispositi intercessionibus, & precibus illius fidelissimæ communitatis nostræ annuere, sumus contenti acceptare, & ex nunc acceptamus ad gratiam illos, pro quibus in capitulo supplicant & intercedunt, ita tamen quod veniant & stent pro præsenti a Padua citra, & gaudeant bonis suis; & quanto citius venient, tanto gratius nobis erit.

Ad secundum continens, quod Leniacum, & Portum, & omnia alia membra, seu omnia alia Castella, Terræ, & loca, quæ tempore præterito, & maxime tempore illorum de la Scala, Potestariæ, Ditioni, & Imperio Veronæ respondebant, redintegrentur, & unita remaneant cum civitate, in quibus Hostiliæ, & Piscoeria, & omnia alia loca per Dominum Mantuanum, & alios occupata comprehendantur, quum per vestram Serenitatem fuerint acquisita: Regantur quoque prædicta & omnia alia loca, & personæ Territorii Veronensis Statutis, & ordinibus civitatis tam factis, quam fiendis, & respondeant civitati in refectionibus æstimorum larium Veronensium, in onere salis levandi, in descriptionibus pecudum, in factis lanarum & lanificii, in factis aggerum & dugalium generis cujuscumque, & in cunctis aliis muneribus & oneribus publicis pariter, & eodem modo cum aliis locis & personis Territorii Veronensis, non obstantibus in singulis prædictis aliquibus eorum prætensis consuetudinibus, Statutis, ordinibus, litteris, sententiis, privilegiis, exemptionibus, confirmationibus, & aliis quibuscumque in contrarium tam generaliter quam specialiter loquentibus in favorem alicujus personæ, universitatis, aut loci, etiam si verba vel clausulas derogatorias haberent, quæ habeantur præsentibus pro expressis, & specialiter revocatis, sic enim suadet honestas, & cuncta jura sic fuerunt pro magna parte primæ promissionis vestri Dominii, quibus stantibus quæquæ contraria debent annullari. Respondemus quod, quamquam omnibus consideratis, sicuti ipsi clare intelligunt, res fuisset differenda, tamen quia inclinati sumus semper facere ea, quæ grata sint illi fideli nostræ communitati, sic suis exigentibus fidelibus & laudabilibus operibus; contenti sumus ut fiat, quemadmodum in capitulo supplicatur; exceptis tamen illis de Valle Pulicella, ac de Montaneis Carbonum, & Ronchatæ, quos intendimus privilegiare cum tempore, prout examinatis privilegiis quæ habebant, & aliis occurentibus, Nobis videbitur. Et hortamur, ut rem hanc velint habere quam secretiorem fieri potest: Declarantes tamen, quod ut certi reddimur eos etiam intelligere, Colonia in prædictis non includatur.

Ad tertium hujus tenoris, quod omnia officia civitatis & districtus Veronæ, excepta Potestaria, & Capitaneria, & Camerlengaria ipsius civitatis, & Officiis custodiarum, pontium, portarum, & fortilitiorum, tam civitatis quam districtus, quæ remaneant in dispositione vestri Dominii, gerantur & administreatur per cives Veronæ subeuntes cum dicto communi factiones, & onera, & per Consilium civitatis conferantur; in quibus comprehendatur Capitaneus vetiti circa & ultra Athesim, & Lacus Gardæ, & specialiter Leniaci, & Porti, & pertinentiarum, sive quocumque nomine censeantur officia jurisdicendi, expensis ipsarum communitatum Leniaci, & Porti & pertinentiarum, sicut fit in reliquis locis districtus Veronæ, & similiter Hostiliæ, & Pisceriæ, & aliorum locorum Veronensium per D. Mantuanum, & alios occupatores; quæ omnia redintegrentur, & veniant in communi: non obstantibus

bus aliquibus privilegiis, provisionibus, seu pactis eisdem de Leniaco, & Porto, & aliis locis, communitatibus, & personis factis per D. Mantuanum, aut alios per tempora præterita tam generaliter quam specialiter loquentibus in favorem alicujus personæ, universitatis, aut loci, etiam si verba, vel clausulas derogatorias haberent, quæ habeantur præsentibus pro expressis, & specialiter revocatis. Respondemus, quod dispositi ad honores, & commoda fidelissimorum civium nostrorum Veronen. contenti sumus, ut fiat quemadmodum petitur; excepto quam de Capitaneo de vetitis propter inconvenientias, & errores evitandos, ac Officio bulletarum Veronæ, quæ duo Nobis reservamus, ut nobis videbitur ac excepta electione Vicarii Vallis Pulicellę quam volumus remanere ipsis fidelibus nostris ejusdem Vallis, juxta formam privilegiorum suorum: sed prædicta etiam secreta habeantur. Verum declaramus, quod cum Deo placebit, quod habeamus Leniacum, sit reservatum Nobis arbitrium ultra Vicarium per communitatem Veronæ ad eum locum mittendum, mittere in Capitaneum ipsius loci unum nostrum Nobilem, qui habeat custodiam illius loci, & præsit stipendiariis: & hoc idem dicimus de Pisceria, & Hostilia, si ad manus nostras pervenerint.

Ad quartum ita continens; cuum per Statuta & longam consuetudinem civitatis continue sint deputati pro Curia D. Potestatis octo Consules cives, videlicet quatuor Juristæ, & quatuor alii cives, cum salario xx. librarum denar. Veronen. pro quoque eorum quibuslibet sex mensibus, & illud a certo tempore citra fuerit per Provisores vestri Dominii subtractum, quæ subtractio quodammodo extinguit tam honorabile, & fructuosum officium; Propterea dignetur Serenitas vestra dictum salarium reducere, percipiendum juxta solitum in pecuniis provenientibus de taleis per dictam Curiam signandis, quum sit justum, ut qui altari servit, de altari debeat vivere, &c.

Ad quintum & ultimum sic inquiens; quod ab obviandum injustitiis, & ad amputandum inconvenientia, quæ fiunt contra cives, & districtuales pro ponderibus, & mensuris, & aliis per duos milites Potestatis, qui forenses, & nimium avidi impuniti vadunt de multis gravaminibus, a quibus particulariter pauperes non possunt adversum illos coram vestra Dominatione reclamare, & contra quæ probatum est jam annis triginta aliud non esse remedium, nisi istud quod supplicatur, videlicet, quod Serenitas vestra mandare dignetur, quod milites Potestatis, qui de duobus possent reduci in unum pro executionibus justitiarum, non posint, nec debeant se de ponderibus, & mensuris, & aliis pertinentibus ad grassam impedire, quod erit incredibile contentamentum, & sublevamen civium & districtualium vestrorum; sed ea jurisdictio, & arbitrium sit militum communis Veronæ, qui cives subiacebunt quotidiano syndicatui Potestatis, & correctioni bonorum: & eorum inventiones, eorumq; & aliorum accusationes, denunciationes, & querelæ de prædictis produci

debeant ad officium Judicis Procuratorum communis Veronæ, per quem fiant absolutiones, & condemnationes prædictæ ad banchum suum; & dictæ condemnationes deveniant amodo, non ad Cameram vestram sed ad commune Veronæ, de quibus solvere teneatur ipsis militibus communis Veronæ de suis salariis, quibuscumque contrariis non obstantibus. Respondemus, quod intenti quibuscumque honoribus & commodis civium & fidelium nostrorum Veronensium, contenti sumus ut fiat, sicut in ambobus capitulis continetur.

Mandamus igitur vobis cum nostro Consilio suprascripto, ut suprascriptas nostras concessiones observare debeatis, & facere inviolabiliter observari: Facientes has nostras litteras in actis Cancellariæ vestri regiminis ad futurorum memoriam registrari, & registratas ipsi Communitati restitui & assignari.

Datæ in nostro Ducali Palatio, die ultimo mensis Septembris, Indictione III. Mccccxxxix.



Pri-

Privilegiorum omnium confirmatio per Illustriss. Duc. Dom. Venetiarum.

LEONARDUS Lauredanus Dei gratia Dux Venetiarum &c. Nobilibus, & Sapientibus viris Aloysio Contareno de suo mandato Potestati Veronæ, & Joannipaulo Gradenico Provisori nostro generali ibidem existenti, & successoribus suis, fidelibus dilectis salutem, & dilectionis affectum. Magnifici Domini Joannesphilippus Malaspina Marchio, Galeotus de Nogarolis Eques & Comes, Augustinus de Justis Comes, Joannesfranciscus de Bevilaquis Comes, Spectabiles Doctores D. Hieronymus Bravus, Gulielmus Guarientus, Petrusfarncifcus de Braida, Gabriel de Peregrinis, nec non egregii Franciscus Brenzonus, Leonardus de Lischa, Carolus de Caballis, Franciscus Bajalotus, omnes cives & honorabiles Oratores, quos Magnifica & fidelissima Communitas Veronæ de ipsius civitatis recuperatione, aliisque prosperis successibus nostris gratulaturos ad Nos misit, functo gratulationis officio, nonnullas petitiones nobis porrexere; quarum tenor est infrascriptus. Quibus cum Senatu nostro respondimus die octavo Maii nuper occursi, ut infra.

Serenissimo Principe, & Illustriss. Signoria, gli Oratori della fidelissima Città vostra di Verona producono al conspetto di vostra Illustriss. Signoria gl' infrascritti capituli, & supplicano, che per il suo Eccellentiss. Conseglio se degni essaudirli, & espedirli ad onor, comodo, & gaudio pubblico della detta vostra Devotissima Communità.

Primo, che inviolabilmente siano osservate le leze, e Statuti, si comuni, come della casa de mercadanti, ordeni, parti, decreti, & consuetudini sue in niuna parte offese, & con quelle si regga ogni loco del Territorio Veronese; che integramente siano conservade le sue jurisdizioni, immunità, officii, concessioni, privilegii & ogni altra sua rason, senza diminuzione, o derogazione alcuna, & in tutto, & per tutto restituide, conservade, confirmade, & da novo concesse, in quel medesimo stado, esser, & grado che s'attrovavano nel infelice giorno della mutazion del Dominio.

Ad primum; volentes in cunctis omnibus, quæ a nobis honeste fierat possunt, gratificari, & complacere illi Magnificæ, & fidelissimæ Communitati, sicuti semper fecimus; sumus contenti, & ita cum Senatu approbamus, & confirmamus omnia privilegia, concessiones, immunitates, jurisdictiones, & officia; nec non omnes leges, Statuta, ordines, & decreta, tam Civitatis quam Domus Mercatorum, quæ a nobis antea cum Consiliis nostris concessa, seu confirmata fuere, ita ut in cunctis omnibus Communitas ipsa sit in eo jure, statu, conditione, & esse, in quibus erat ante hoc proximum bellum anni 1509. Exceptis tamen Vicariatu

cariatu Illasiorum, & Capitaneatu Lacus Benaci, qui concessi fuerunt per Consilium nostrum Decem fidelissimis, & de Statu nostro optime meritis.

Secundo, che 'l sia al tutto reintegrado, & unido ogni membro, officio, & loco, che per questi disturbi, revoluzion de guerre fusse sia in tutto, o in parte diviso, & separado, dal corpo della Città, o Territorio Veronese, ovver ad altri concesso, o per alcun modo transferido, & tal loci, & persone in tutte le cose se gubernino, & rispondano alla Città, & Territorio, per gli Statuti, ordeni, & decreti di essa Città come prima, ritornando, & rimettendo le cose, & caduna d'esse in tutto, & per tutto in quel medemo grado, stato, & esser, che se ritrovavano, si nel tempo antecedente, come nel infelice giorno della mutazion del Dominio.

Ad secundum; insuper, quia fidelissimis nostris Leniaci & Porti, ob eorum fidem, devotionem, nec non optimas operationes erga Dominium nostrum, concessimus cum nostro Consil. Rogat. quod sint separati a Civitate Veronæ, & justum, & conveniens sit pro honore Dominii nostri observare ea, quæ promisimus; propterea volumus, quod locus ipse Leniaci & Porti remaneat, & sit separatus a civitate Veronæ, sicuti erat in prima acquisitione Anni 1405.

Tertio, che essendo si nella Gardesana, come in altri luochi del Veronense Territorio prohibito, ovver interditto, & sequestrado a molti Cittadini Veronesi lo scuoder suoi fitti, dritti, parte, dacii, decime, jurisdizione, & altre sorte de intrade, & per quanto si dice de mandato della Sublimità vostra; sia remesso ogni proibizion, & interditto talmente, che ditti Cittadini possino liberamente scuoder ditte sue intrade, & rendite di caduna condizion, senza suspension, o impedimento alcuno.

Ad tertium; circa autem introitus, qui sunt tam in Gardesana, quam in aliis locis territorii Veronensis, quos sequestratos fuisse dicunt, jam providimus, & ordinavimus, quod omnes liberentur, & ita factum fuisse non dubitamus; tamen in gratificatione illius fidelissimæ Communitatis de novo jubebimus, quod omnes hujuscemodi sequestrationes leventur, ut cives illi gaudere & frui possint introitibus suis.

Quarto, che trovandose quel vostro esausto, & calamitoso Popolo, & el mendico, deserto, & abbandonato Contado Veronese, constituido in estrema inopia, & calamita per le continue gravezze, prede, cattivita, depopulazion, & universal devastazion de possessioni, & campagne, destruzion de animali, incendii, & ruine de casamenti, infirmita, trucidazion, & morte de huomini danni intolerabili, danni incredibili; se non despiacesse, o non fusse molesto a questo Pientissimo Dominio donarghe, & concederghe qualche esention, & restauro, per soccorso, & sollevazion de sue miserie, ovver almen averlo per umilmente raccomandato al manco cargo di gravezze sia possibile, saria cosa molto gloriosa in recognizion della fede nostra, opera misericordiosa, & elemosina a Dio gratissima.

Ad

Ad quartum; quantum autem ad exemptionem, quam petunt pro territorio Veronensi, Nos semper sumus habituri rationem beneficii, & commodi ipsius territorii, & providebimus, ut in posterum non graventur plus debito, sed tantum contribuant ad onera, quantum pro eorum viribus honeste ferre poterunt. Die sexto Iunii MDXVII.

De sententiis, & processibus factis tempore, quo Civitas Veronæ erat sub Dominio aliorum Dominorum.

Die sexto Iunii 1517. in Rogatis.


QUUm Spectabiles Oratores Magnificæ Communitatis nostrę Veronę egerint gratia, Dominio nostro de expeditione Capitulorum suorum, supplicaverintque ut pro majori eorum satisfactione provideatur etiam, & terminetur circa sententias latas, ac actus factos per Judices alienos tempore, quo Civitas ipsa Veronæ erat sub Dominio aliorum Dominorum, & quum sit conveniens satisfacere, præfatæ petitioni, & supplicationi dictę Civitatis nostræ, propterea vadit pars: Quod auctoritate hujus Consilii omnes processus, acta, & sententiæ civiles, tempore quo Verona occupabatur ab alienis Dominis, latę per Judices de Collegio jurisconsultorum Communitatis Veronæ ordinarios, deputatos ad tribunalia consueta, ac etiam legitime deputatos a quocomque superiore; in quos parte voluntarie consenserint, tam ex capite suo, quam de consilio sapientis, iuxta formam juris & Statutorum Communis Veronæ; remaneant in eo statu & esse, quo reperiuntur, nisi dictę sententię, vel processus agitati fuerint contra aliquem necessaria vel probabili causa absentem: salvo jure cujcumque gravato dicendi de nullitate, vel appellandi, non obstante quod sententia transiverit in rem judicatam lapsu temporis, conformitate sententiarum, vel aliter: Et caussa ipsa nullitatis, seu appellationis decidatur consilio Sapientis, si ab aliqua partium fuerit petitum, juxta formam Statutorum Veronę. Non intelligendo tamen in his appellationes seu cognitiones sententiarum, quæ appellationes seu cognitiones spectarent Rectoribus nostris Veronę.

Sententiæ autem latę per Judices alienos ex capite suo tantum, nec non sententiæ criminales sint revocatæ & nullæ, & pars Consi. nostri Rogat. in hoc firma remaneat.

Declarando tamen, quod si super aliquibus sententiis aut actis factis per Rectores nostros, & super decisione nostrorum Consiliorum cognitum, & judicatum fuisset per Judices de Collegio vel alios delegatos, tale judicium, & cognitio ipso facto sit nullum. Quare auctoritate Consilii

filii noſtri Rogatorum mandamus, ut ſingula in his reſponſionibus noſtris contenta obſervetis, ab omnibusq; obſervari ad unguem & inviolabiliter faciatis; regiſtrabitisque hæc omnia in Cancellaria veſtra ad futurorum memoriam, quo & ipſi cuncta ſimiliter obſervent, & exequantur.

Datum in noſtro Duc. Palatio, die xxii. Junii. Indictione quinta, M.D.xvii. Præſentes autem regiſtratas prædictæ Magnificæ Communitati reſtituetis.



INDEX ALPHABETICUS

Verborum, & rerum notabilium, quæ in quinque libris Statutorum, & Privilegiis continentur.

A

cien-

Arbi-

tio.

B

Bestias

C

Cape-

In

Com-

Com-

Cri-

Dona-

Et

In

E

Exe-

F

Ad

G.

H.

De

I.

Ju-

Pri-

 & se-

L

dei-

M

De

Me-

Mo-

N

ne-

O

P

Reliu-

Vide

Poe-

Poe-

Pon-

Præ-

Re-

Q

Re-

Ru-

Sa-

S.

Sal-

tri

Zzz 2 Sen-

rit

Sor-

Sor-

De

Ta-

 bus

Tor-

V

Vin-

quæ-

natam

Z

Explicit Index Tomi primi.

NOI RIFFORMATORI

DELLO STUDIO DI PADOVA.

CONCEDEMO licenza ad Agostino Savioli Stampatore di Venezia di ristampare il Corpo de' Libri intitolato: Raccolta di tutte le particolari Leggi, e Statuti delle Città soggette, al Dominio della Serenissima Repubblica di Venezia, già altre volte à parte à parte stampati nel Serenissimo Dominio con licenza de' Superiori.

Data li 16. Maggio 1741.

(*GIO: EMO Proc. Riff:*

(*PIETRO GRIMANI Proc. Riff:*

(

Agostino Bianchi Segr.

DECRETA,

ET

PARTES